

GASPERIS SCIOPPII
GRAMMATICA PHILOSOPHICA

Primum à Viro Amplissimo

PETRO SCAVENIO,

plurimis in locis e ſchedis ipſius Auctoris inſigniter aucta, & Præfatione de Veteris ac Novæ Grammaticæ Latinæ origine, dignitate, & uſu ornata, cui alia Marquardi Gudii præfixa.

Jam autem multo commodior facta: quo Annotationes ſuis locis inſeruit; lectionem intricatam doctis reſtituit; atque ita

SCHOLARUM USUI


deſtinare voluit

TOBIAS GUTBERLETH,

J. U. D. Bibliothecæ Academiæ Franekeranæ Præfectus.

Hac poſtrema editione ſubnectuntur ejuſdem Scioppii Paradoxa literaria, & de Rhetoricarum Exercitationum generibus diſſertatio.

VENETIIS, M.DCC.XXVIII.
Apud LAURENTIUM BASILIUM
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



TYPOGRAPHUS LECTORI S.



Uanta requiratur prudentia in arte Grammatica tradenda, nusquam, opinor, melius patet quam in scriptis veterum Grammaticorum. Qui cum multa coacervarint lectu prorsus injucunda, & intellectu difficilia, eorumque interpretes non multo saniora attulerint, inhærentes passim eidem luto, incredibile dictu est, quantum id incommodi bonis literis attulerit. Ea res imprimis male habuit Batdaviæ nostræ Ordines, qui videntes quantopere hinc fluctuarent studia adolescentiæ, Viro summo Gerardo Joanni Vossio id onus imposuerunt, ut multa intricata & aspera expediret & emolliret: sed ita imposuerunt, ut ratio illi esset habenda Ludolfi Lithocomi, qui præcepta linguæ Latinæ ediderat, & cum applausu satis magno omnium manibus terebatur. Sed & hæc docendi ratio fuit operosa, & multorum jure merito querimonias concivit. Id secum reputans Vir Eruditissimus Tobias Gutberlethus consilium cepit Grammaticam Scioppii philosophicam in usum auditorum suorum

& Gymnasii Franekerani denuo in lucem emittendi, sed ita ut quas annotationes Scioppius separatim operi subjunxerat, ipsi contextui subjicerentur, quo statim oculis legentium possent exponi, & cum regulis datis conferri. Dum in eo totus est Vir optimus, vivendi finem facit. Nos itaque, quod potuimus, executi sumus, quod ille animo præceperat, & in commodum tuum, Lector benevole, evulgavimus.

VALE.

MAR-



MARQUARDI GUDII

PRÆFATIO.

LECTORI.



GAsperem Scioppium virum fuisse multarum literarum, ab ipsa pueritia disciplinis institutum liberalibus, assuefactumque accuratissimæ lectioni auctorum elegantium, non ignoras, Lector erudite, qui solutum liberumque animum ad scripta ejus paulo studiosius cognoscenda applicasti. Potest fieri, ut fallant oculi, videmur nobis cœteroquin in scriptis illis videre, non facile alium a multorum annorum memoria tantam rationem intelligentiamque antiquæ & urbanæ Latinitatis habuisse. Non opus est, ut scientiam eruditissimi hominis exquisitis verbis ornemus. Certe omnium, qui tradendæ linguæ operam profitentur, neminem prope unum invenias, quem in Latinis studiis anteponas Scioppio. Placent ipsa verba, ipse

modus & in opinionibus examinandis eruendisque mira viri accuratio. Erat enim ingenium sagax, versutum, inquies, cultu præsertim literarum optimarum fœcundissimum: easque naturæ dotes habebat inter laudes primarias. Quantum aliis abundarit sive vitiis animi sive virtutibus, nihil interesse nostra arbitramur. Non probamus tamen acerbitatem, qua viros maximos plerunque sine fronte, sine fide invasit, tanquam scurras de catasta. Raptus æmulatione atque invidia sæpenumero in ipso etiam doctrinæ atque humanitatis studio modestiam humanitatemque omnem solebat exuere: scilicet ea parte peccabat maxime; qua maxime aliis innumeris hominibus præstabat. Sed nulla est apicula absque aculeo; observatur tamen coliturque, quia impendio magis prodest quam lædit. Mittamus ista, quæ calumniose asperiusque scripta sunt: erunt alia, quæ doceant, quæ disciplinis atque artibus elegantissimis informent: jam vero dictum est, eam partem eruditionis reconditæ, quæ Latini sermonis aut caussam exigit aut munditiam observat, perfectissime omnium explicasse Scioppium. Nihil tamen nostra opinione delibabimus de laude Sanctii, divini hominis, proprio atque immortali quodam beneficio suo satis commendati. Primus enim ille sincero gravissimoque judicio exercuit Grammaticos, quorum in doctrinis purgandis, tanquam in sordidissi-

mo Augiæ ſtabulo alter Hiſpaniæ ſuæ Hercules immenſam operam moleſtiamque devoravit. Tanti viri veſtigiis inhærens Scioppius paſſim illuminat quæ acceperat, multa adhuc monſtra conficit, multa ſomnia explodit, inveteratam plurimorum verborum peregrinitatem exterminat, plures alias veterum fruſtrationes, varia commenta oſtendit, quæ ne Sanctius quidem potuit olfacere. Ita tandem deſitum eſt in Grammaticis nugari! a multis annis vapulant boni homines & malum nomen eſt Grammaticus. Jactabatur olim in *concœnationibus* Athenæi: οὐδὲν εἶναι τῶν γραμματικῶν μωρότερον. Videntur enim laboribus ærumnoſiſſimis ſoli mortalium nihilo plus agere quam id operam dare, ut præceptis & rationibus inſaniant. Quod ipſis quidem permittendum eſt, dummodo deſipiant ſibi. Sed hac labe inficiunt alios & virtutem prope omnem adoleſcentiæ noſtræ extinguunt. Corrigant iſtum morbum, cedant occaſioni & tandem ſapiant. Sapient autem ſi confeſtim ſeſe cum Priſciano ſuo tradant in diſciplinam Sanctianam & patientiſſimo animo diſcant artem, quam fruſtra docent. Equidem moroſa ea & difficillima inſtitutio eſt. Nemo ſeneſcenti magiſtro facile perſuadebit: ecquis autem tantis opinatoribus nugas ſine turbis eripiet? Sunt plerumque pervicaci animo, obfirmant ſeſe libenter & puriſſimæ aquæ ſordidum lutum ſuum præferunt. Veremur certe, ne

 Sciop-

Scioppius excitet crabronum examina, aut plane ad insaniam adigat literatores istiusmodi gregarios, quos toties ignorantiæ, & inanitatis convincit. Sed jam libellus in mundo est quantivis pretii & ex parte caussam auctoris sui dicet. Tenta, Lector, sententiam & argumenta! inspice mysteria! feras, ut poteris, stomachum, commendabis profecto in homine perspicaciam: laudabis multa, quædam etiam exosculaberis; sed offendes aliquando, & forte aliquando dissenties. Neque enim unus omnia perspicere, neque omnibus omnia probare poterit. Nobis adhuc de integro est potestas ampliandi: testamur videlicet nonnulla esse, quæ parum liqueant, & de iis fortasse alio tempore disputabimus. Interea temporis hoc Catone contentus esto.

M. G.

Amstelodami
Eid. Juniis M.DC.LIX.

IN-

INDEX LIBRORUM
GASPERIS SCIOPPII,

Quos de Latinæ Linguæ, & Literarum præsertim humaniorum studio conscripsit.

1. GRammatica Philosophica pro Lat. Lingua Magistris, & Tironibus; ut scilicet Tirones Magistri, Magistri autem Tirones fiant. Mediolani, 1628. Et Amstelod. 1659. Nova ejus editio, beneficio V. Ampl. Petri Scavenii plurimis in locis insigniter aucta & recognita ex schedis ipsius Auctoris, Et quam hic damus, Annotationibus nunc primum suis locis repositis. Franekeræ, 1704.

2. Minerva Sanctiana, hoc est, Francisci Sanctii Brocensis de Lingua Latina causis, ipsi etiam Ciceroni, Varroni, Quintiliano ignotis, Commentarius: cum observationum Scioppianarum auctario. Patavii, 1663. & multo correctius Amstelod. 1664. Et cum notis longe uberioribus Jac. Perizonii. Franekeræ, 1687. item ibid. 1693. Sed ibid. tertia editione multum aucta. 1703.

3. Paradoxa literaria, in quibus multa de literis novè contra Ciceronis, Varronis, Quintiliani, aliorumque literatorum hominum, tam veterum, quam recentiorum sententiam disputantur, sub nomine Pasc. Grosippi. Mediol. 1628. & Amstelod. 1659.

4. Auctarium Grammaticæ Philosophicæ, in quo etiam de Lexicorum Latinorum virtutibus, ac vitiis, quaque ratio in conficiendo lingua Latinæ thesauro tenenda sit distinctè differitur. Mediolani, 1629. & Amstel. 1659. item alicubi in Germania.

5. Rudimenta Grammaticæ Philosophicæ in usum Tironum: Ibid. 1629. & Amstelod. 1686.

6. Mercurius bilinguis, sivè nova & compendiosa ratio Latinæ, aut Italica lingua intra vertentem annum perdiscenda,

scendæ, in eorum usum, qui alterutram linguam jam intelligunt, Mediolani, 1628. & alibi sæpe; ut Amst. 1686. *una cum præced.*

7. *Septem rationes, quæ religionem seu scrupulum Episcopis injicere debent, ne veterem Grammaticam diutius in scholis tolerare, sed novam in eas inducere velint. Una cum Mercurio edita:* Item *cum Grotii & alior. Dissertationibus de studiis instituend.*

8. *Editiones novæ aliquot auctorum, Cornelii Nepotis, Velleii Paterculi, & Dictys Cretensis, cum Indicibus novis ad observandi & excerpendi rationem usui futuris.*

9. *Priapeja, sive diversorum Poetarum in Priapum lusus, cum Commentariis Gasperis Scioppii Franci. Francofurti,* 1601. *Patav.* 1664.

10. *Propædia Rhetorica. Opus novum omnibus, non modò Rhetoricæ, & Poeticæ Studiosis, sed & auctores quà sacros, quà profanos cum studii sui pretio legere cupientibus in primis conducibile.* Cujus fragmentum de Exercitationibus Rhetoricis editum est *Mediolani*. 1629. Et quidem hoc titulo: *De Rhetoricarum Exercitationum Generibus Dissertatio. Amstelod.* 1660. & 1666.

11. *Elementa Philosophiæ Stoicæ Moralis, quæ in Ciceronem, Senecam, Plutarchum, aliosque veteres Commentarii loco esse possunt. Moguntiæ, anno* 1606. in 8.

12 *Consultatio de studiorum ratione, deque Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis: Patavii,* 1636. *& Amstelod.* 1660. 1665.

13. *De Pædia Humanarum ac Divinarum Literarum. Amstelod.* 1660.

14. *De natura, & officio Historiæ, deque virtutibus & vitiis styli Historici.* Item.

15. *Infamia Famiani: sive castigationes Famiani Stradæ rerum Belgicarum Scriptoris, Soræ Danorum.* 1658. *& Amstelod.* 1663.

16. *Miscellanea Latini sermonis, in usum eorum, qui interiores literas cognoscendi desiderio tenentur.*

17. *Observationes novæ Latini sermonis ex Plauto, Varrone, Vitruvio, veterum poetarum fragmentis, Livio, Hygino, Phædro, Celso, Asconio, Curtio, Senecis, Quintiliano declamatore, Justino, aliisque auctoribus.*

18. *Observationes juveniles Lat. Linguæ pro tironibus ad imi-*

imitationem Ant. Schori . Helmstad. & alibi in *Germania* . (*E Schoro excerptas scias*)

19. *Animadversiones in V. Cl. Ger. Jo. Vossii libro de Vitiis Sermonis . Patavii* , 1646. *Ravennæ* , 1647. & *Amstel.* 1660. 1666.

20. *Verisimilium libri quatuor . Norimbergæ* , 1595. & *Amstel.* 1662.

21. *Ars Critica , sivè mendosos Latinorum auctorum locos ex ingenio emendandi ratio* . Ibidem , 1596. *vel Altodorfii* , 1597. *Amstelod.* 1662.

22. *Suspectarum lectionum libri quinque* . Ibidem , 1597. & *Amst.* 1664.

23. *Symbola Critica in L. Apuleii Opera* . Ibid. & *Amstelod.* 1664.

24. *Hercules Coprophorus , in quo virorum doctorum , qui nostra , aut patrum nostrorum memoria maximè videntur Latinè scripsisse , plurima corrupta & vitiosa locutiones notantur & castigantur* . Laudat librum illum in *Alexipharmaco suo* , & aliquid ejus generis inter reliquias schedarum *Patavii* extat.

25. *Thesaurus Scioppianus , sivè Romana Eloquentiæ Promptuarium* . Auctores , quibus in hoc Promptuario Sciopp, perpetuò usus est : M. TULLIUS CICERO , M. ACCIUS PLAUTUS , P. TERENTIUS , Quibus frequenter usus est: T. LUCRETIUS CARUS, CORNELIUS NEPOS , TITUS LIVIUS . Quibus rarius usus est : Omnes Philosophi , Medici , Oratores , Jurisconsulti , Historici & Poetæ Latini : ex his enim nomina , & omnium ferè rerum appellationes excerptæ hic leguntur . Cujus operis quia summa est omnium literatorum hominum expectatio , ne nimis facili spe ducantur , monere visum est , hactenus nihil certò promitti posse , sed expectari & quotidianis votis expeti ab humanitate celeberrimi Viri *Jo. Michaelis Pierruccii* antiquum jus *Patavii* magna cum laude publicè docentis .

26. *Philotheca Scioppiana , sivè Gasp. Scioppii Narratio annis distincta de Benefactoribus , amicis & familiaribus suis , quos in omni vita habuit* . Servatur *Patavii* inter ἀνεκδότα.

27. *Symmartyria Scioppiana* , hoc est , *Pontificum* , *Imperatorum* , *Regum* , *Principum* , & *primariorum virorum*

CON-

CONTESTATIO *de Gasperis Scioppii ingenio, studiis, moribus & consiliis*. Accessit *Catalogus librorum Scioppii, quos editioni paratos habet cum professione fidei suæ*. Latet eodem loco. Cujus Specimina extant in Pædia superius memorata.

Cætera ejus *Theologica, Politica, Satyrica opuscula* parum moramur, & huc non pertinent, maligna partim, partim vana: excipimus tamen πολιτικότερα quædam, quæ typis aut commisit ipse, aut parata hæredi reliquit: in quibus facile familiam ducunt *Machiavellica*; sivè *Apologia duplex*, quarum priore *Rom. Ecclesia* de *Nicol. Machiavelli* libris decreta defenduntur: posteriore ejusdem *Machiavelli* innocentia propugnatur. Hoc opus *Patavii* privatis parietibus custoditur cum cæteris. Ejusdem *Pædia Politica* edita est *Romæ & Mediolani*, 1624.

DE

GASPER SCIOPPIUS DE VETERIS, AC NOVÆ GRAMMATICÆ LATINÆ ORIGINE,

dignitate, & usu.



Tsi nullam ipse in puerili ætate mea Grammaticam Latinam didici, sed octo jam annos natus, post nominum verborumque declinationes memoriæ mandatas, ex quotidiana Latinè loquentes audiendi, loquendique consuetudine, sex admodum mensium intervallo unà cum multis condiscipulis & convictoribus meis tantum profeci, ut quicquid ætatis illius usus posceret, non multo minore negotio vernacula, quam Latina lingua enunciare possem, etsi etiam procedente ætate assidua *Ciceronis*, *Cæsaris*, *Livii*, *Plauti*, *Terentii*, *Nepotis*, *Virgilli*, *Lucretii*, *Horatii*, *Catulli*, *Tibulli*. *Propertii* & *Ovidii* lectione eam Latini sermonis non quidem facultatem, sed intelligentiam certè consecutus mihi videbar, ut, cur cognoscendis Grammaticorum præceptis quicquam opere consumerem, ratio nulla esset: postea tamen quam in *Hispania* in *Francisci Sanctii Brocensis*, viri omnium divinarum & humanarum rerum scientia admirandi, *Minervam*, sive *Librum de linguæ Latinæ causis* incidi, in eoque aliquot errorum millia Grammaticis impingi, acriterque exagitari comperi, non ego jam me conti-

nere

nere potui, quin per otium subinde Grammaticorum libros evolverem, ut quo jure, *Sanctio* vapulassent, explorato judicare possem. Sic factum est, ut veteres omnes quotquot ante mille hos annos aliquid in ea arte literis consignatum reliquerunt (qui quidem duobus voluminibus *Francofurti*, anni M. DC. V. editis continentur) tùm recentiorum complures, ut quisque in *Hispania*, *Gallia*, *Germania* & *Italia* præter cæteros in ea præstitisse visi sunt, cognitos haberem. Inter quos, ut verum fatear, *Emmanueli Alvaro* primas deberi animadverti: nam & ipse longè cultius dicendi genus, quam non dico veterum quisquam (nam illi pessimè omnes Latinè scripserunt) sed quam recentiores plerique in arte tradenda præstitit, & ea ex optimo quoque veterum auctorum exempla seligere curæ habuit, quibus regulæ artis plurimum stabiliri & sine negotio à tironibus intelligi possent. Verum enim quoniam ille à veterum Grammaticorum præceptis, omnium præsertim consensu traditis, discedere religioni habuit, effugere non potuit, quin eosdem ferè omnes errores, quos in aliis *Sanctius* agitavit, in ipsius quoque arte inveniamus. Hæc porrò res desiderium mihi injecit cognoscendi, cùm originem tam vitiosæ artis, tùm tantarum virium causam, quantas oportet eas fuisse, quæ mille quingentis annis amplius ipsam artem tueri potuerint. Oportunè autem in manus meas *Suetonii* de illustribus Grammaticis libellus incidit, cujus secundo capite id quod quærebam, satis planè traditum inveni. Sic enim scribit ille:

Primus quantum opinamur studium Grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes Aristarchi æqualis, qui missus ad Senatum ab Attalo rege in-

ter

ter secundum ac tertium bellum Punicum , sub ipsam Ennii mortem , cum in regione Palatii prolapsus in Cloacæ foramen crus fregisset , per omne legationis simul & valetudinis tempus plurimas Acroases (id est , prælectiones) *subinde fecit , assidueque disseruit , ac nostris exemplo fuit ad imitandum.*

Hæc ergo ut legi, minimè jam mirandum mihi visum est, tanti flagitii erroribus inquinatam esse veterem Grammaticam , quæ omine tam malo ex *Cloacæ foramine* una cum claudo magistro emerserit. Neque verò admirabile duxi ne illud quidem , *Cloacinam* istam Grammaticam inde ab eo , quo *Roma* primum exorta est , tempore ad hanc usque diem per ipsos M. DCC. XCVI. annos inconcussam perstitisse , & omnium non tironum modò , sed & ipsorum eloquentiæ Latinæ principum ingenia excarnificare potuisse . Jus quippe gentium violare sibi Romani videbantur , si hanc invectam à Regio Legato artem parum comiter habuissent , cum præsertim Regi *Attalo* tantum se devinctos agnoscerent , quippe qui regnum suum testamento ipsis legasset , aditumque eo pacto ad *Asiæ* totius imperium mox armis vindicandum patefecisset.

Hoc loco exaudire jam videor , qui mihi dicat ; Quæ (malum !) tua ergo est temeritas novam istam *Sanctii* Grammaticam orbi universo obtrudentis ? tamquam fieri possit , ut eam loco moveas , quam tanta cum auctoritate Romæ ortam mille octingentis annis perdurasse tutemet confiteris ? Accipe ergo benevole Lector , quæ res spem mihi afferant , fore ut *Cloacina* illa huic *Sanctianæ* locum mox cedere necesse habeat ; Longè major videli-

videlicet hanc, quam illam, commendat auctoritas, cumque primum novæ hujus utilitas fuerit cognita, nemo tam fatuus fore videtur, ut fruges divino beneficio inventas aspernatus victitare malit:

Glandibus, & puræ rursum procumbere lymphæ.

Nam quod ad auctoritatem attinet, tantum abest, ut hæc illi concedere debeat, ut ad hanc illa ne comparanda quidem videatur. Illam scilicet *Attali* quidem Regis legatus, sed idem tamen homo Grammaticus ex cloaca, in quam prolapsus fuerat, una cum fracta tibia extulit. At *Sanctianam* * ipse *Romam* ex

* *In prioribus editionib. aliter legitur; a Scavenio certe ex auctoris ipsius schedis ita mutata: hæc autem erant;* At *Sanctianam* non Legatus modò regius, sed etiam regiæ stirpis Princeps, nec Grammaticæ modò artis peritus, sed & Theologiæ ac Philosophiæ studiis excultissimus, nec ex cloaca, sed ex clarissima *Europæ* Academia, quæ *Salmantica* est, *Romam* secuum detulit. Is est *Ferdinandus Henricides Dux Alcalaus & Tartessi Comarchus*, inter cujus majores, a quibus ipse perpetua generis serie deducitur, XXIX. Imperatores Augustos, CXXXIX. Reges, probatissimorum historicorum fide numerare possum. Quem omnes Christiani orbis Reges liberique Principes consanguineum habere sibi gloriæ merito ducunt. Hic anno M. DC. XXV. *Philippi* IV. Catholici Regis missu *Romam* venit, tantoque cum splendore legationem suam obiit, ut non modò Legatus regis *Attali*, sed ne ipse quidem Rex tantum dignitatis ac majestatis Romanorum oculis ingerere potuerit. Ille tamen, ut est inanium contemtor, veris ac solidis bonis se optimo ac maximo cuique probare semper studuit. Et jam quidem in vulgus quoque nota est ejus erga Deum pietas, in imperiis justitia, in congressibus comitas, erga egentes liberalitas, in literas earumque professores beneficen-

ex *Clarissima Europæ* Academia, quæ *Salmanticæ* est attulisse me glorior, nihil prorsus veritus, ne cujus erga Ecclesiam & Remp. *Christianam* merita, Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, &

** opti-

centia, qui vero familiarius eo usi sunt, quorum numero me quoque accedere contigit, de prudentia ejus, de judicii acrimonia, de exacta Theologicarum ac Philosophicarum rerum cognitione, de Romanarum denique antiquitatum usu ac peritia testes esse possunt. Hic ergo tantus Princeps cum cæteris animi & ingenii ornamentis *Sanctiana* quoque *Grammaticæ* scientiam *Romam* secum pertulit: cujus etiam in familiari sermone specimen subinde promere nihil dubitavit. Et quadam quidem die cum orta illi esset nescio quę de literis controversia, ipseque sententiam suam contra adversarium, qui minime illiteratus perhibebatur, *Sanctiana* auctoritate tutaretur, convenit tandem, ut ego captus arbiter quid verum esset decernerem, meaque staretur sententia. Ego re ad me delata cum utra Ducis esset opinio nescirem, secundum illum pronunciavi, & quod ille ex *Sanctio* didicerat, rationi atque idoneorum scriptorum consuetudini consentaneum esse ostendi. Hæc res sic ejus mihi conciliavit animum, ut non ipse modo magna me munificentia prosequeretur, sed a Catholico Rege civitatis *Hispanæ* jus ad capiendum ex Hispanicorum Sacerdotum fructibus mille aureorum vectigal annum mihi impetratum auferret: quod ipse Rex diplomate suo se mihi propter multa mea erga Ecclesiam & Remp. Christianam merita impetrato in eam rem publico regnorum suorum assensu impertisse prædicat. Itaque etsi nunc *Sanctiana* Grammatica magno meo studio exculta & perpolita, multoque cum auctior, quam a *Sanctio* fuit edita, tum methodi legibus congruentior luci se committit, non tamen est, ut a me potius etsi & ipso Principis nullo genere *Attalo* rege minoris legatione *Romæ* olim functo, quam a tanto Principe, cujus auspicio ac ductu, propeque dixero velut propitii & adspirantis numinis favore opus apparet, auctoritas ei accedat.

optimus ac doctissimus quisque, privatis publicisque tabulis, tam magnificè prædicant, & quisquam hominem *Gramaticum* ex *Cloaca* in quam prolapsus fuerat, cum fracta tibia emersum, vel potiùs fune subductum, præferendum contendat, nam quod quis eundem *Attali Pergameni* Regis legatione apud *Romanos* functum fuisse dicat, nihilo vincibiliorem ea re Artis ejus causam fecerit, cum & ipse *Romæ* Principis *Attalo* haud paulò majoris, hodierni scilicet Imperatoris nostri Augustissimi Legationem apud *Paulum* V. obierim, & Catholici fœderis fundamenta jecerim, cui fœderi multorum Regnorum ac Provinciarum salutem, & Catholicæ fidei in universa pœnè *Europa* conservationem, omnium intelligentium consensus superioribus annis non dubitanter acceptam referebat, nec minus hodie quoque referret, nisi fidelium meorum monitorum contemtum Deus regnorum clade, & provinciarum excidio, atque urbium & opidorum strage vindicandum censuisset *. Quo minus dubito, quin illi saltem, qui tanti quidque pendere solent, quanti ejus auctorem & adstipulatorem faciunt, *Cloacinam* illam Grammaticam illuc tandem, unde emersit, jubeant *χαίροντες, εὐφημοῦντες ἐκπέμπειν δόμων*, quod est *Cicerone* interprete, *Efferre læto prosequentes omine.*

Multò tamen magis de cæteris hoc mihi polliceor, qui utriusque veteris & novæ hujus Grammaticæ commoda, quæ inde peti possent, inter se contendere voluerint. Veterem enim nec magnopere discentibus prodesse, & non minimum etiam nocere deprehendent. Prioris argumentum est, quod nec ullum discendi compendium, nec (δήλωσιν) certitudi-

titudinem præstet. Si enim in illis, qui artem meliore, quam cæteri, ordine & elegantia scripsisse judicantur, numerum inire velint, de sola *Nominum*, *Verborum* & *Participiorum* Syntaxi plus quingentas regulas traditas invenient, quibus ediscendis haud scio an quinquennium solidum satis sit. Sed etiam cum quis eas memoriæ mandarit, tamen vel propter earum turbam, vel propter tot exceptiones, quibus potestas earum restringitur, semper hæsitet animique incertus sit, necesse est, cum merito vereatur, ne aliqua ei sivè regula, sivè exceptio, sivè appendix effluxerit: quo accedit, quod ipsi quoque qui *Ciceronis* æquales, aut suppares fuerunt Grammatici, apertè tulerunt regulas suas plerasque ab optimo quoque linguæ auctore parum observari: id quod ipsis eorum verbis in medium allatis *Paradoxa* nostra *literaria* ostendunt. Hinc porrò fieri nequit, quin sibi diffidant, qui regulas easdem didicere, jureque adeo metuant, ne cum maximè ex artis præscripto fecerunt, bonorum auctorum multum dissimiles inveniantur. Damna porrò quæ id genus regulæ discentibus afferunt, jactura cùm temporis, tùm rei familiaris, tùm denique existimationis spectantur. Primum enim non ferè ante quinctum vel sextum annum addiscuntur, cum interea sine ullis præceptis vel usu solo (quemadmodum de me meisque condiscipulis retuli) Latinæ linguæ notitia acquiri potuisset, adeòque tempus, quod gravioribus addiscendis impendi poterat, in primis elementis conteritur: qua quidem haud scio an major fieri jactura possit. Simul tamen tot annorum impensis res plerorumque familiaris atteritur, ut primæ istæ literulæ majoris etiam constent, quam vel Philosophiæ,

vel Theologiæ, aut Jurisprudentiæ ſtudia. Tandem cum quis ætatem in literis omnem exegerit, magnumque nomen, & ſi forte Principatum multis & egregiis libris editis compararit, non erit nullo prorſus periculo, cum ei vel ſcriptorum à ſe rationem reddendi neceſſitas, vel judicii de alienis faciendi occaſio in hominum doctorum congreſſu evenerit, ne regulis illis veteris Grammaticæ in errorem inductus aliquid flagitii faciat, ea reſpondendo, quæ vix quoquam literarum tirone ſatis digna videantur. Hoc ipſum certe viro ſine controverſia doctiſſimo & diſertiſſimo uſuvenit, qui rogatus à me, cur Græco more *latet me* potius, quam Latino *latet mihi* ſcripſiſſet, ſe verò Latinè ſcripſiſſe *Plinii* auctoritate ab *Alvaro* relata contendit. Sed poſtquam ei repoſui, minimè locupletem Latinitatis auctorem eſſe *Plinium*, neque nos verbis ejus aliter, quam ab inopia uti, quando ſcilicet Latinas rerum appellationes unde petamus alium habemus neminem: cum Quinctilianus ætate illa totum propemodum ſermonem in deterius mutatum eſſe apertè tulerit. Sed rectius eum hoc *Virgilii* exemplo uſurum fuiſſe: *Nec latuere doli fratrem Junonis & iræ*. Etſi non idem aliis, quod in verſu poetis permittitur, ut liberius græciſſent: nam *Varronem* aliàs pro conſuetudine bene loquentium *latet mihi* dixiſſe (ut lib. 8. de lingua Latina: *Similia non ſolum à facie dici, ſed etiam ab aliqua conjuncta vi, quæ & oculis & auribus latere ſoleat*) aliàs more ſuo extra *Latium* peregrinantem *latet me*, ut lib. 1. rei ruſt. cap. 40. *Unum genus ſeminis, quod latet ſenſum noſtrum: alterum, quod apertum*. Sed nullo genere melius hoc ab eo dictum eſſe, quam quod ibidem ſequitur: *Illud quod appa-*

apparet ad agricolas , pro , *agricolis apparet* , aut *patet* , aut *apertum est* . Meminisse eum debere , quid in *Bruto Tullius* monuerit , sua scilicet ætate , linguam Latinam corrumpi ab iis cœptam , qui à peregrinis , qui in urbem confluxerant & inquinatè loquebantur , non satis cavissent : adeoque operam iis , qui diligenter loqui velint , dandam esse , ut antiquitatem imitentur , & rationem tanquam obrussam adhibentes à similitudine se Græcæ locutionis abstrahant , & consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendent . Cui *Ciceronis* monito si paruisset , facturum *Varronem* fuisse , ut ipsius *Ciceronis* , *Lucretii* & *Plauti* exemplo loqui mallet . Esse verò hoc *Ciceronis* post reditum in Senatu : *Ubi nobis hæc auctoritas tam diu tanta latuit* . Et *Catil.* 1. *Nihil moliris , quod mihi latere valeat* . Hoc autem *Lucretii* lib. 3. verf. 280. *Sic tibi nominis hæc expers vis facta minutis corporibus latet* . Hoc denique *Plauti* Trin. act. 4. sc. 2. *Quid ergo ille mihi latitabat* . Ad has auctoritates & optimæ ætatis consuetudinem accedere rationem , quæ non magis patiatur , ut dicas *latet me* , quam *patet me* , cùm utrumque eodem modo verbi substantivi vim in se contineat , nec aliam , quam internam actionem & foras non transeuntem significet . Est enim hoc apertum , illud occultum esse , ac propterea fieri non potest , ut aliud quam internum & (ut Logicorum lingua utar) essentialem ac formalem accusativum adsciscat , qui *Nomine verbi* , velut Grammatici vocant , hoc est verbo infinito nominis vim habente significatur , *latere* puta & *patere* , quasi dictum sit : *Hæc res latet mihi latere* , id est , *latebram* seu *latens abditumve negotium* , & *patet mihi patere* ,

** 3 id

id est, *patens* seu *patulum* aut *propatulum negotium*; quo modo in hoc: *Fulminat illa oculis & quantum fœmina ſævit*, ſubauditur *ſævum*, hoc eſt, *ſævum negotium*, *rem ſævam*, ut *Horat. Fortuna ſævo læta negotio*, id eſt, *quæ ſævitia lætatur*: ex quo diſcamus licet, in *Dulce ridet*, *amarum renidet*, *turbidum lætatur*, *lucidum fulgent oculi*, ſubaudiri *negotium*, quod Latinis illud ipſum, quod *res*, Græcis πρᾶγμα aut χρῆμα ſignificat. Sicut ergo *vivere* alium accuſativum regere nequit, quam cognatum, ſivè apertum, ſivè tectum, cum interna ſit ejus, quæ ſignificatur, actio (ut *Vivere vitam*. *Vivere bacchanalia*, id eſt, *vitam quæ bacchanaliorum tempore vivi ſolet*) ſimiliter nec *latere* aut *patere*; adeoque illud *latet me*, pariter rationi ac meliorum auctorum conſuetudini adverſatur. Sed quoniam Græcum λήθω, λανθάνω, unde *lateo* formatum videtur, actionem externam ſignificat, non aliter, quam Latina *fugio* & *prætereo*, hinc factum eſt, ut multi nativæ ac vernaculæ loquendi conſuetudinis parum obſervantes, ſicut *fugit* aut *præterit me*, ſimiliter & *latet me* dicere cœperint; quomodo Græci, οὔ με λήθει, *non me latet*. Hæc talia cum ex me vir ille literatiſſimus audiſſet, ipſius mihi *Ciceronis* auctoritatem impegit, cujus oratione pro *Sylla* perſpicuè ſcriptum ajebat: *Lex dies fuit propoſita paucos*, *ferri cœpta numquam*, *poſita eſt in Senatu*, *populum Romanum latuit*. Sed ea re turpem antiquitatis ignorantiam prodidit, qui neſciret, nec *Populus Romanus*, nec *Res publica* ullo caſu integrè à veteribus perſcribi, ſed notari tantum ſolitum, ut eſſet *P. R.* & *R. P.* id quod omnes illi, qui veterum monumentorum uſum habent, veriſſimè à me dici fatebuntur.

buntur. Itaque in veteribus *Ciceronis* libris fuit: *P. R. latuit*, quod jam vernaculæ & incorruptæ Latinitatis periti non accusandi, sed dandi casu legendum esse sciunt.

Paris flagitii est, quod tot disertissimi homines libris editis ab *Austrius*, *Castrius*, & id genus aliis vocandi casum formant in *i* exeuntem. Sic enim palam faciunt, se quid nomen proprium, quid appellativum seu commune sit, prorsus non intelligere. *Austrius*, *Austria*, *Austrium* nomen possessivum est, ab *Austro* derivatum, quod nomen ejus provinciæ proprium est, quæ olim *Pannonia* superior, hodie *Austria* vocatur; pro quo alii *Austriacum* dicere malunt exemplo *Homeriaci*, *Iliaci*, *Olympiaci*, *Corinthiaci*, *Hellespontiaci*, *Titaniaci*, ac similium. *Castrius*, *castria*, *castrium* nomen est similiter possessivum ab alio communi nomine *Castrum* derivatum, pro quo alius *Castrensis* dixerit. Jam satis apparere arbitror, si quis *Joannes Princeps Austrius* aut *Franciscus Comes Castrius* vocetur, valde imperitè appellationes illas pro nominibus propriis haberi, quippe quæ tot aliis rebus sint communes. Sunt enim *Austrii populi*, *Austriæ terræ*, *Austria oppida*; similiterque *Castrii* aut *Castrenses homines*, *Castriæ ædes*, *Castria tecta*. Si quis autem hominum tali cognomine designetur, id per *Tropum* fieri nec pueri ignorant, qui est *Synecdoche* totius pro parte, & quidem illa ejus species, quam *Antonomasiam* Rethores vocant: quo pacto & *Apostolus*, pro *Paulo*, & *Philosophus*, pro *Aristotele*, & *Poeta*, pro *Virgilio* dicitur. *Tropus* autem non naturam verbi, sed significationem modò mutat, adeoque nec *Austrius*, nec *Castrius* communia esse desinunt, etsi ad

 hunc

hunc vel illum ab *Austro*, aut de *Castro* hominem significandum adhibentur. Certè si quis Romanorum aut *Salamine* expugnata, aut *Rhodo* sub ditionem redacta *Salaminii* aut *Rhodii* cognomine insignitus fuisset, nemo ei bona cum *Orbilii* gratia, *ò Salamini*, *ò Rhodi* diceret, sed *ò Salaminie*, *ò Rhodie*, quemadmodum *Jovi Saturni* filio *Saturnie*, *Evandri Pallanti Evandrie*, *Telamonis Ajaci Telamonie* dicendum esse recte Priscianus monet: qua de re tam perspicua me verbum facere piguisset, nisi maximi nominis viros in eo errasse, quosdam etiam, in quibus est *Hieronymus Aleander*, pertinaciter pro errore tam deformi propugnare animadverterem.

Non minus turpiter se dedit vir omnium confessione eruditissimus, *Antonius Quærengus*, qui versuum, quos scribit, latinitate atque cultu non temere cuiquam Augustæi ævi priores concedat, cum in elegia *Virginii Cæsarini*, herois illustrissimi, vereque literarum Phœnicis, quam de Serenissimi *Bavariæ* Ducis victoria *Bohemica* conscripserat, solœcismi insimulavit, quod ibi legebatur:

——— *privata silebo*

Damna: *queri nobis publica causa vetat*.

Sic: *licet me facere*, non *mihi facere*. *Cicer*. 5. *Verrin. Hodiè Syracusanum in ea parte habitare non licet*. *Virgil. non licet me exire servitio*. Sic: *Suadet me facere*. *Lucr. l.* 1. *Sed tua me virtus tamen, & sperata voluptas Suavis amicitię quemvis perferre laborem Suadet. Terent.* Hecyra act. 3. s. 5. *Me pietas matris commodum suadet sequi*. Sicut *Virgil. Juturnam misero, fateor, succurrere fratri Suasi*. *Horat. Vetuit me tali voce Quirinus*. *Virg. Is me laudare quę vellem, calamo permisit agresti*.

Nega-

Negabat enim Latine dici , *Vetat mihi queri* , sed *vetat me queri* : in qua censura sua quantum *Avius à vera longè ratione feratur* , quivis ephebus , qui *Sanctianę* Grammaticæ præcepta teneat , sine negotio demonstraverit . Dativus videlicet cuicumque orationi adjungi potest , in qua *acquisitio* vel *ademptio* , *commodum* aut *incommodum* , aut *finis* , quem in Scholis Logici *Finem cui* dicunt , significatur . Omne verò verbum infinitum pro supposito habet accusativum sivè expressum , sivè per figuram *Ellipsin* suppressum . Omne denique verbum activum adsciscit accusandi casum sivè expressum , sivè suppressum , sivè infinito verbo aut alia oratione commutatum . Per primam trium istarum regularum , quam *Jubet mihi* , tam *vetat mihi* , recte dicitur . *Cic.* 9. *Attic.* 15. *Dolabellę literę jubent mihi ad pristinas cogitationes reverti* : per secundam verò , *Queri* & *me queri* : per postremam denique , *Jubet* vel *vetat mihi queri* , *ut querar* , *questum* vel *querelam*. *Plaut. Capt.* a. 1. f. 1. *Non licet mihi me loqui ?* Per *Hellenismum* verò accusativo nominativi vice posito ; *jubet* vel *vetat me ut quęrar* : quarum locutionum exempla in *Minerva Sanctiana* reddemus : nunc satis erit illud confirmasse , quod insolentius dictum videbitur , *vetat ut querar* . Habet ergo *Tibullum* auctorem lib. 2. eleg. 7. *Illius ut verbis sis mihi dura veto* , quod est , *ut ne sis mihi dura* . Et Persium ; *Hoc juvat* , *hic inquit* , *veto quisquam faxit oletum* , pro , *ut ne faxit* . Et *Plautum* Pseud. act. 1. sc. 2. *Amor amatoribus prohibet* , *faciant adversum lenones quod volunt* . Et *Mil.* act. 4. sc. 8. *Cave istuc feceris* , pro , *ut ne faciant* , *ut ne feceris* . Neque tamen acumen viri tam insignis , quem multiplicis doctri-

næ

næ nomine colo & suspicio, hac in re tam facili & expedita delirasse mirandum est, cum ipsis etiam *Ciceroni*, *Varroni* & *Quinctiliano* (nam *Agellium* si cum eo *comparem*, sim injurius) istas veteris Grammaticæ regulas non semel fraudi fuisse videamus, ut quæ rectè, quæ perperam Latinè dicta essent, aut prorsus decernere non possent, aut ita dijudicarent, ut eos consuetudine potius, quam ulla ratione aut scientia, bene loqui, aut scribere planum fieret: cujus rei quoniam satis multa *Paradoxis literariis* specimina dedi, nihil me hic longiorem esse attinet.

Jam ex diverso *Sanctiana* Grammatica eam facilitatem habet, quam prodigii similem omnibus videri necesse sit: nec enim quamvis ingenio minus possit, qui ordine à nobis præscripto in discendo procedet, amplius trimestri in ea probè percipienda consumet. Jam enim *Mercurii bilinguis* magisterio Latinam linguam intelliget, & *Nomina* ac *Verba* per *casus*, *numeros*, *tempora* & *personas* inflectere didicerit, ut vix sex de Etymologia pagellas memoriæ mandandas habeat. Syntaxis postea pro quingentis amplius veteris Grammaticæ regulis, quibus *Nominum*, *Verborum* & *Participiorum* constructionem dirigi dixi, non nisi xv præscribit, perspicuas illas nulliusque exceptionis patientes; quas qui mediocri sit ingenio *una* die ludibundus edidicerit. Accedit regularum *certitudo*, certa satisque explorata firmitas, cùm ratione, tùm eorum consuetudine nixa, quos aurea Latini sermonis ætate, quam literatissime, emendatissimeque loqui ac scribere solitos constat: ut jam minus etiam in auctorum lectione versati omnium, quæ vel legunt, vel ipsi Latinè scribunt,

bunt, certam rationem intelligant, nec ullum adeant periculum, ne qua regularum artis hujus, ubi semel eas memoria comprehenderint, obliviscantur, ex eoque alicubi læsæ Latinitatis ad Grammaticum tribunal rei agantur. Quod quidem quantivis momenti commodum cùm omnibus, tùm vel præcipuè Theologiæ ac Philosophiæ studiosis videri debet. His enim de plano polliceri possum, eos cognitis nostræ artis præceptis uno, ut prædixi, trimestri tantum profecturos, ut etsi parem dictionis puritatem, cultumque non afferant (nam ea res aut totam hominis ætatem, aut tale saltem subsidium requirit, quale in *Commentariis linguę Latinę* jam olim præparamus) non minus tamen Grammaticè præceptisque congruenter scribere queant, quam illi, qui omne vitæ tempus in Latinorum auctorum lectione scribendique exercitatione consumunt. Hunc quidem certè artis nostræ fructum huic ætati sententia sua non dubiè despondebat *Scipio Paschalius Casalensis Episcopus*, vir Hebraicè & Græcè non mediocriter, Latinè verò præcipuè doctus & cum primis *Italię* luminibus numerandus, qui quoad vixit, mihi gratiam habere numquam destitit, quod opera mea se à timore illo vindicassem, quo prius manum sibi, quoties scribere Latinè aggressus erat, contremiscere sensisset. *Romę* autem is, quem dixi, omnis sapientiæ & eruditionis princeps *Virginius Cę. sarinus* ὁ μακαρίτης tanto gaudio efferebatur ex eadem arte nostra secum communicata, ut propemodum eam vulgari a me nollet, quod se non alia magis re, quam causarum linguæ Latinæ tot sæculis, vel dicam perpetuò ignoratarum scientia à literatorum turba secerni longèque cæteris anteire judicaret, quod

Acha-

Achaten ejus *Johannem Ciampolum*, virum cujuſcumque prædicatione majorem, adhuc ſatis meminiſſe libenterque teſtaturum confido. In eadem urbe, rerum domina familiariſſimè uſus fui *Guilelmo Setonio*, nobili Scoto, Juris Divini & humani, tum Philoſophiæ & Sacrarum ac profanarum antiquitatum conſultiſſimo, Græciſque ac Latinis literis perpolito. Is ingentis pretii theſauro ſe à me donatum arbitrabatur, poſtquam ei multis precibus à me contendenti, ut artis hujus cum maximè naſcentis, ac necdum ſatis exactæ copiam deſcribendi facerem, aſſenſi. Negabat etiam vereri ſe, ne quiſquam quantocumque cum ingenio aut literis tam parum humanus inveniatur, quin mihi maximo ſe devinctum beneficio agnoſcat pro tam luculenta face, quam omnibus abditiſſima quæque Latinitatis myſteria penitius perſpicere aventibus præluceam. Nec alia *Mantuæ* eſt ſententia viri cum genere, tum libris Latino & Hetruſco ſermone ſumma cum doctiſſimi cujuſque gratulatione editis, præterea rerum atque hominum uſu domi militiæque parto illuſtriſſimi *Balduini de Monte Simoncelli*: ſicut nec ejus, quem ibidem non minus vitæ innocentia commendat, quam Eccleſiaſtica dignitas exornat, *Antonii Salmatiæ*, ſummi Theologi, nec eorum, qui Græcarum & latinarum literarum laude hodiè florent, cuiquam ſecundi. Jam *Mediolani* nota eſt *Ludovici Septalii*, viri priſca cum fide, tum nobilitate præcellentis, non Medicinæ tantum & Philoſophiæ Peripateticæ, in quibus planè regnat, ſed & humaniorum literarum ſcientia: nec etiam ſua *Joſephum Paulum Meronum* modeſtia uſque eo notitiæ hominum ſubducit, quin optimum quemque ac doctiſſimum ſuæ pietatis, ſapientiæ,

picntiæ, eloquentiæ & interioris literaturæ conscium, approbatorem testemque habeat. Uterque autem iis præconiis artem hanc nostram diligenter à se inspectam quotidie prosequitur, tantoque ejus cognoscendi desiderio omnes inflammat, ut multos non mediocriter editionis ejus torqueat expectatio, eisque ego non nisi serò satisfacturus videar. Quid? quod ipsius Pontificis Maximi URBANI VIII. judicium, & optatum arti nostræ successum, nec dubiam ejus experimentum capturis utilitatem despondet. Is enim cum adhuc Cardinalis annis superioribus in rus suburbanum rebus prolatis concessisset, inibique per otium Syntagma meum *de Stili Historici virtutibus* * diligentissimè translegisset, non modò causam se nactum censuit, cur sibi & suis de amicitia mea gratularetur, sed etiam cur magnum Latinis literis lumen opera mea allatum iri Princeps Græcè ac Latine † minime indoctus confideret. Ita cum *Roma* nuper discessurus, vale postremum ei dicerem, & de hac arte mea percunctanti distinctè rem omnem explicarem, magnopere se aliis gratulari ostendit, quibus posthac tanto cum temporis ac laboris compendio literas discere liceret, quas sibi, præsertimque Græcas, quibus jam magno natu dedisset operam, ingenti studio ac labore constitisse recordaretur. Et quoniam Ecclesiæ ac Reipub. Chri-

* *Hic expuncti sunt fide Scavenii quinque versus : qui in aliis editionibus ita apparent* : una cum lectissimo nec vulgariter Græcis & Latinis literis exculto juvene *Francisco Barberino* fratris filio (quem hodie non tam sanguinis commendatione, quam virtutum ejus merito purpuratum videmus)

† *Ire* minime indoctus *legebatur* pariter doctus.

Christianæ plurimum in omnem partem interesse judicabat, me *Commentarios de lingua Latina* jam olim à me cœptos ad umbilicum adducere; ne mihi aliena improbitas, injusto quæstui semper inhians, debitum speratumque ex multis lucubrationibus meis fructum interciperet; quo me ad operis vasti laboriosique impensas uti est æquius, denunciato anathemate sancire ei visum est, ne quis quicquam ex officina mea profectum; non modò typis, nisi bona cum gratia mea describere; sed nec ab alio sine venia mea descriptum væno exponere animum inducat. Hoc amplius autem, ut in eandem rem Cæsaris Augusti, aliorumque Regum & Principum diplomatis mihi caveretur, impendio annisus est.

Hæc ergo sunt, quorum causa meritò mihi futurum pollicear, ut qui ratione utuntur *Sanctianam* hanc Grammaticam; velut à summo Philosopho primum inventam, tanto cum virorum clarissimorum plausu & acclamatione à me perpolitam; *Cloacinæ* illi posthabere nolint. Cæterum; ut quo ea ordine ac modo disci debeat nemini possit esse dubium; de Magistri prius, qui eam præcipere cupiet, tum de Discipuli officio; quæ mea sit sententia, distinctè libet exponere.

Mediol. Calend. Febr. Anni M. DC. XXVIII.

MA-

MAGISTRI OFFICIUM.

I. Ipse omnium primum discet XII illas *Maximas* regulas totius Syntaxis Latinæ fundamentum continentes, una cum earum interpretatione, quam in Annotationibus ad Syntaxin, *pag.* 169. & seqq. inveniet.

II. Regulas omnes de *Nominum*, *Verborum* & *Participiorum* Syntaxi cum *Maximis* illis componet, tam *falsas*, quam *veras*, ut causas veritatis & falsitatis singularum probè intelligat.

III. Leget, quæ ad Etymologiam pertinent una cum Annotationibus.

IV. Consulet *Paradoxa* nostra, ubi de multis accuratius disputatum inveniet. Sed omnia quæ ad rem pertinent, præcipueque auctorum exempla, *Minerva* nostra repræsentabit.

DISCIPULI OFFICIUM.

I. Discet partem generalem Grammaticæ, tum ea, quæ de *Nomine*, *Verbo*, *Participio*, *Præpositione* & *Conjunctione* traduntur: quæ cùm paucas pagellas impleant, minimè difficulter memoriæ mandabit. Quæ de *Adverbiis* traduntur, satis erit sæpius legisse.

II. Discet versus *Sanctii* de *Genere nominum*, deque *Declinationibus*, ut & probè eos intelligat & memoria contineat.

III. Edíscet XII illas *Maximas*, quæ Syntaxis fundamentum sunt.

IV. Edíscet omnes regulas de vera *Concordia & Rectione*

Rectione Nominum, *Verborum & Præpositionum*; quæ omnino sunt quindecim, sic tamen ut pleraque in duodecim illis *Maximis* contineantur. Regulas de falsa *Rectione* aut *Concordia*, ut memoriæ mandet, nihil necesse est, modò sæpius eas relegat, causamque falsitatis rectè intelligat. Quot de *Conjunctionum* & *Adverbiorum Syntaxi* præcepta sunt, non tam Regulæ sunt, quam exemplorum observationes, quas sæpius legisse satis erit.

V. Edíscet *Definitiones Figurarum*, cum uno alteroque exemplo. *Ellipseos* tamen genera satis erit si Magistro diligenter explanante probè intelligat. Si quis tamen ea quoque memoriæ mandare velit, tanto majus operæ fecerit pretium.

VI. Edíscet *Alvari* versus de *Verborum Præteritis & Supinis*.

VII. Edíscet ejusdem versus de *syllabarum quantitate*.

Comparatio *Cloacinæ* & *Sanctianæ* Grammaticæ.

Cloacina est

- *Turpis*, quia mendax, cùm de sexcentis ejus regulis vix decima pars sit vera.
- *Molesta*, quia impedita & difficilis, ob tot
  - *Regulas*,
  - *Appendices*,
  - *Observationes*,
  - *Exceptiones*.
- *Damnosa*, quia affert magnam jacturam
  - *Rei familiaris*,
  - *Temporis*,
  - *Existimationis*.

Sanctiana est

- *Honesta*, quia verax, cùm omnes regulas ratione & incorrupta consuetudine stabilitas habeat.
- *Jucunda*, cum sit expedita & perfacilis, ob
  - *Regulas paucissimas*,
  - *Nullas* prorsus in Syntaxi *exceptiones*.
- *Utilis*, quia habet compendium
  - *Sumtuum*,
  - *Temporis*, quippe quæ tribus mensibus disci queat.
  - *Existimationis*, quia regulis ejus instructus de Latinitate melius judicare potest, quam qui omnem in literis ætatem exegerit.

Magistri nunc est etiam atque etiam considerare, utra Grammatica discipulis præcipienda, ut viri boni officium custodire, majoremque Dei & hominum gratiam inire possit.

SYNOPSIS ARTIS GRAMMATICÆ.

TABULA PRIMA.

Grammatica

- Definitio,
- Finis, officium,
  - Dirigere locutionem vel sermonem;
  - Corrigere locutionis vitia
    - Barbarismum,
    - Solœcismum.
- Subjectum, Partes orationis,
  - Primæ, ut Litera, cujus
    - Definitio,
    - Divisio, in
      - Vocalem
        - Simplicem
        - Compositam
          - Diphth.
          - Tripht.
          - pag. 1. 2.
      - Consonantem
        - Simplicem
        - Compositam.
          - Semivocalem & Liquidam,
          - Mutam.
  - Ex primis ortæ, ut
    - Syllaba, cujus
      - Definitio
      - Divisio in
        - Brevem,
        - Longam,
        - Ancipitem.
    - Vox, cujus
      - Definitio
      - Accidentia
        - Accentus.
        - Figura,
        - Species. pag. 3.4.
      - Divisio in Numeri
        - Participem
          - Nomen,
          - Verbum,
          - Particip.
        - Expertem.
          - Præpositionem,
          - Adverb.
          - Conjunctionem,
          - Interjectionem.
- Instrumenta,
  - *Orthoepeia*, seu regulæ de literarum pronunciatione.
  - *Prosodia*, seu regulæ de Syllabarum quantitate.
  - *Etymologia* de singularum vocum accidentibus & partibus
    - Nominis, Tab. II.
    - Verbi, Tab. III.
    - Participii, pag. 27.
    - Præpositionis, pag. 19.
    - Adverbii, pag. 31.
    - Conjunctionis, pag. 50.
    - Interjectionis, pag. 52.
  - *Syntaxis*, seu regulæ de vocum debita inter ipsas compositione, Tabula IV.

TABULA II.

Etymologia Nominis.

- **Nominis**
  - Definitio, pag. 6.
  - Accidentia
    - Commune cum verbo, Numerus.
    - Propria
      - Casus
      - Genus
        - Masculinum, pag. 7.
        - Fæmininum.
        - Neutrum.
      - Declinatio
        - Prima,
        - Secunda,
        - Tertia,
        - Quarta,
        - Quinta.
  - Divisio ratione
    - Generis in
      - Substantivum
        - Proprium, pag. 9.
        - Commune.
      - Adjectivum
        - Absolutum;
        - Relativum,
          - Generale
          - Reciprocum.
    - Speciei in
      - Primitivum, pag. 9.
      - Derivativum
        - Possessivum.
        - Diminutivum.
        - Comparativum.
        - Superlativum. pag. 11.
        - Verbale. pag. 13.

TABULA III.

Etymologia Verbi.

- **Verbi**
  - Definitio pag. 13
  - Accidentia
    - Commune cum Nomine, Numerus.
    - Propria
      - Perſona
        - Prima ſingul. & plur.
        - Secunda ſingularis & plur. pag. 13.
        - Tertia ſing. & plur.
      - Tempus
        - Præſens,
        - Præteritum,
          - Imperfectum,
          - Perfectum,
          - Pluſquam perfectum.
        - Futur.
      - Conjugatio
        - Prima,
        - Secunda,
        - Tertia,
        - Quarta.
  - Diviſio ratione
    - Perſonæ in
      - Perſonale ſeu Finitum.
      - Imperſonale ſivè Infinitum vel
        - Verum, pag. 14.
        - Falſum
          - Gerundum, pag. 15.
          - Supinum.
    - Significati in
      - Subſtantivum,
      - Activum,
      - Paſſivum. pag. 15.

TABULA IV.

Syntaxis in
- Genere, est vel
  - Regularis eaque vel
    - Concordia, pag. 79.
    - Rectio, pag. 79.
  - Irregularis seu Figurata, Tab. XI.
- Specie, est vel
  - Nominis, Tab. V.
  - Verbi, Tab. VI.
  - Participii, Tab. VII.
  - Præpositionis, Tab. VIII.
  - Adverbii, Tab. IX.
  - Conjunctionis, Tab. X.

TABULA V.

Syntaxis Nominis, est vel
- Concordia Nominis
  - Substantivi cum Adjectivo, pag. 80.
  - Relativi generalis cum antecedente, pag. 80.
  - Reciproci cum antecedente,
  - Cujuscumque cum verbo personali. pag. 82.
- Rectio
  - Vera Nominis
    - Substantivi cujuscumque, pag. 83.
    - Substantivi verbalis.
    - Adjectivi ex participio activo facti, pag. 84.
    - Adjectivi participio passivo similis, pag. 85.
  - Falsa
    - Nominativi,
    - Genitivi,
    - Dativi, pag. 86.
    - Accusativi, pag. 87.
    - Vocativi,
    - Ablativi, pag. 88.

TABULA VI.

- Syntaxis Verbi, est vel
  - Concordia Verbi
    - Finiti seu personalis, cujus duæ sunt regulæ, pag. 90. 91.
    - Infiniti sive Impersonalis cujus duæ sunt Regulæ, pag. 92. 93.
  - Rectio
    - Vera in
      - Genere cujuscumque verbi, sivè Finiti, sivè Infiniti. pag. 94.
      - Specie verbi activi Infiniti, pro nomine substantivo positi, pag. 95.
    - Falsa Verbi
      - Finiti, ejusque vel
        - Substantivi, cujus duæ falsæ sunt regulæ, pag. 97.
        - Activi, cujus tres falsæ sunt regulæ, pag. 98.
        - Passivi, cujus quatuor falsæ sunt regulæ, pag. 99.
      - Infiniti, ejusque vel
        - Gerundi, cujus duæ falsæ sunt regulæ, pag. 101.
        - Supini, cujus una falsa est regula, pag. 102.

TABULA VII.

- Syntaxis Participii, est vel
  - Concordia, pag. 102.
  - Rectio
    - Vera, pag. 103.
    - Falsa, cujus duæ falsæ sunt regulæ, pag. 103. 104.

TABULA VIII.

Syntaxis Præpositionis, est vel
- Concordia, pag. 104.
- Rectio Præpositionis cum
  - Accusativo, pag. 105.
  - Ablativo, pag. 105.
  - Utroque, pag. 105.

TABULA IX.

Syntaxis Adverbii, est vel
- Concordia, cujus novem sunt regulæ, pag. 107.
- Rectio, sed falsa Adverbiorum cum
  - Nominativo, pag. 110.
  - Genitivo, pag. 110.
  - Dativo, pag. 112.
  - Accusativo, pag. 112.
  - Ablativo, pag. 112.

TABULA X.

Syntaxis Conjunctionis, est vel
- Concordia, cujus sex sunt regulæ, pag. 113.
- Rectio, cujus una est regula, pag. 116.

TABULA XI.

Syntaxis irregularis seu Figurata, est vel

- Vernacula, vel
  - Simplex
    - Pleonasmus.
    - Ellipsis.
    - Zeugma.
    - Syllepsis.
    - Hyperbaton.
    - Cum artis regulæ negliguntur propter orationis
      - Exsuperantiã, pag. 119.
      - Defectum, Tab. XII.
      - Defectum, Tab. XIII.
      - Discordiam, Tab. XIV.
      - Ordinem turbatum, Tab. XV.
  - Composita, ut cum Ellipsis conjuncta est cum
    - Syllepsi
      - Generis, 162.
      - Numeri. 163.
    - Græcismo.
- Peregrina, id est, Græcismus, Tab. XVI.

TABULA XII.

Ellipsis, in qua deest vel

- Nomen, sivè
  - Idem, pag. 120.
  - Aliud, idque vel
    - Cognatũ, sivè sit
      - Nominativus, p. 121.
      - Accusativus, p. 121.
    - Alienũ, sivè sit
      - Solitariũ, quod est, vel
        - Suppositum
          - Nominis
            - Substantivi, pag. 121.
            - Adjectivi sive
              - Absoluti, quæ ellipsis est vel
                - Apertior, pag. 123.
                - Tectior, pag. 135.
              - Relati, pag. 137.
          - Verbi
            - Finiti, pag. 137.
            - Infiniti, pag. 138.
          - Præpositionis, pag. 138.
        - Appositum
          - Nominis, idque vel
            - Substantivum pag. 139.
            - Adjectivum, pag. 139.
          - Verbi, pag. 140.
          - Conjunctionis, pag. 142
      - Consociatum, p. 143.
- Verbum sivè
  - Infinitum & vel
    - Cognatum, pag. 148.
    - Alienum, pag. 149.
  - Finitum, pag. 149.
- Præpositio, pag. 151.
- Adverbium aut Conjunctio, pag. 158.

TABULA XIII.

Zeugma { Verum, pag. 160.
Falſum, pag. 161.

TABULA XIV.

Syllepſis {
- Abſoluta, vel {
  - Generis, pag. 162.
  - Numeri, pag. 163.
  - Utriuſque, pag. 164.
- Relativa, pag. 164.

TABULA XV.

Hyperbaton, eſt vel {
- Anaſtrophe, pag. 165.
- Tmeſis,
- Parentheſis,
- Synchyſis,
- Anacoluthon, pag. 166.

TABULA XVI.

Græcismus, est vel
- Generum, cum
  - Masculinum ponitur pro Neutro, pag. 167.
  - Fæmininum ponitur pro Neutro, pag. 167.
  - Neutrum ponitur pro Masculino, pag. 167.
- Casuum, cum
  - Nominativus ponitur pro Accusativo, pag. 167.
  - Genitivus ponitur pro
    - Accusativo, p. 167.
    - Ablativo
  - Dativus ponitur pro Accusativo, pag. 168.
  - Accusativus ponitur pro
    - Nominativo, p. 168
    - Dativo,
    - Ablativo.
  - Ablativus ponitur pro Accusativo, pag. 168.

SYNOPSIS

Duodecim Maximæ, seu *Regulæ fundamentales Syntaxeos Latinæ.*

Regularum aliæ pertinent ad

- Orationem totam, ut
  - 1 Omnis affirmatio & negatio Nomine & Verbo constat. vid. pag. 171.
  - 2 Præter Nomen & Verbum sunt quædam particulæ certis significationibus asſignatæ, quibus Nomen & Verbum aliæque minores orationis partes velut nervis colligantur; quę particulę secundum regulas exprimuntur, per figuram ſupprimuntur. vid. p. 172.
- Orationis partes, id est, vel ad
  - Nomen ejusque vel
    - Species, quæ sunt Nomen
      - 3 Adjectivum. Omne nomen Adjectivum habet suum subſtantivum, vid. pag. 173.
      - 4 Relativum. Omne nomen seu pronomen Relativum habet suum nomen Antecedens, quod refert. vid. pag. 173.
      - 5 Comparativum. Omne nomen Comparativum habet suum Positivum cum quo comparatur. vid. pag. 174.
    - Casus, ut
      - 6 Omnis Nominativus est Verbi finiti ſuppositum, aut ad ſuppositum pertinens, sivè verbum illud sit expreſſum, sivè ſuppreſſum. pag. 83. 174.
      - 7 Omnis Genitivus Latina constructione à nomine ſubstantivo expreſſo aut ſuppreſſo regitur, Græca verò constructione etiam à præpositione ἐκ expreſſa vel ſuppreſſa. pag. 85. 174.
      - 8 Omnis Accuſativus à Verbo activo, aut à Nomine verbali, aut à Præpositione regitur. vid. pag. 177.
      - 9 Omnis Ablativus à Præpositione regitur. vid. pag. 178.
  - Verbum, ut
    - 10 Omne verbum accidentale, aut activum est aut paſsivum, quorum illud ſemper accuſativum expreſſum aut ſuppreſſum regit. vid. pag. 178
    - 11 Omne Verbum finitum habet pro ſupposito Nominativum expreſſum aut ſuppreſſum. vid. pag. 179
    - 12 Omne Verbum infinitum habet pro ſupposito Accuſativum expreſſum aut ſuppreſſum Latina constructione, Græca verò ſæpe Nominativum. pag. 180.

Nomina verbalia sunt, vel

- Verbi expertia, ut Doctor, Doctrina, Amor, Spectaculum.
- Participia, quæ aliquid verbi participant, ut
  - Rectionem casus & significationem motus, eaque vel
    - Substantiva, sive
      - Natura, ut Spectatio spectatus
      - Usu, ut Amans uxoris.
    - Adjectiva, ut Lætabundus, Vitabundus, Moribundus.
  - Tempus & significationem, sive
    - Status, ut
      - Ens.
      - Futurus.
    - Motus, eaque vel
      - Activa, ut
        - Amans.
        - Amaturus.
      - Passiva
        - Amatus.
        - Amandus.
      - Terminatione passiva, significatione activa, ut juratus, pransus, cœnatus.
- Participialia, quæ cum participiis communem habent
  - Originem, ut
    - Comparata; Amantior, Doctior, Comitatior.
    - Composita: Indoctus, Indecens, Immeritus.
  - Terminationem: Laureatus, Ocreatus, Cristatus.

INDEX CAPITUM

& Sectionum.

de

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del P. F. Tomaso M.ria Gennari Inquisitore, nel Libro Intitolato: *Gasperis Scioppii Grammatica Philosophica*, & *Pascasii Grosippi Paradoxa literaria*, & *De Rhetoricarum Exercitationum Generibus Diss.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Secretario Nostro, niente contro a' Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza à Lorenzo Baseggio Stampatore, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 29. Maggio 1727.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Riform.
(Alvise Pisani Kav. Proc. Riform.
(

Agostino Gadaldini Segret.

9. Luglio 1727. Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degl'Esecutori contro la Bestemmia.

Antonio Canal Nod.

IN:

INSTITUTIONES GRAMMATICÆ LATINÆ.

Quid est Grammatica?



Est ars rectè loquendi.

Quis est finis Grammaticæ, cujus causa discitur?

Oratio congruens, id est, cujus nulla pars sit, quæ præceptis artis non congruat.

Circa quid versatur ars Grammatica?

Circa partes orationis.

Quotuplices seu quot generum sunt partes orationis?

Duplices: Aliæ primæ, ut *Literæ:* aliæ ex primis ortæ, ut *Syllabæ* & *Voces* seu *vocabula*, quæ vulgo malè vocantur *Dictiones*.

Quid est Litera?

Est individui soni comprehensio.

Quotuplex est Litera?

Duplex: Alia *Vocalis*, alia *Consona* vel *Consonans*.

Quid est Vocalis?

Est litera, quæ per se syllabam efficit.

Quot generum sunt Vocales.

Duorum: Aliæ sunt *Simplices*, aliæ *Compositæ*.

Quæ sunt Vocales simplices?

A, *e*, *i*, *o*, *u*, & Græca *y*.

Quot generum sunt Vocales compositæ?

Duorum: Aliæ sunt *Diphthongi*, compositæ ex duabus simplicibus vocalibus: aliæ *Triphthongi*, compositæ ex tribus.

Quot sunt Diphthongi?

Viginti duæ. *Ae*, *ai*, *ao*, *au*: *Ea*, *ei*, *eo*, *eu*: *Ja*, *je*, *ji*, *jo*, *ju*: *Oa*, *oe*, *oi*, *ou*: *Va*, *ve*, *vi*, *vo*, *vu*. Ex his quatuor magis cognitæ sunt, *Ae*. *oe*, *au*, *eu*.

Quot sunt Triphthongi?

Octo. *Vae*, *vai*, *vau*, *vea*, *vei*, *vie*, *voa*, & *voi*.

Quid est Consonans.

Est litera, quæ sine vocali syllabam non efficit.

Quotuplex est Consonans?

Duplex. Alia *Simplex*, alia *composita*.

Quot sunt consonantes simplices?

Quatuordecim. *B*, *c*, *d*, *f*, *g*, *h*, *l*, *m*, *n*, *p*, *q*, *r*, *s*, *t*.

Quot generum sunt consonantes simplices?

Duorum. Aliæ sunt *Semivocales* eædemque *Liquidæ*, ut *L*, *m*, *n*, *r*, *s*: aliæ *Mutæ*, ut *B*, *c*, *d*, *f*, *g*, *h*, *p*, *q*, *t*.

Quot sunt consonantes compositæ?

Quinque, quarum tres apud Latinos propriam figuram, qua scribantur, non habent, ut *CH*, *PH*, & *TH*, duæ verò suis characteribus depinguntur, ut *X* & *Z*. Sed etiam istis prisci carebant & posteriores carere poterant, cum *X*, sit *CS*, vel *GS*, *Z*, sit *DS*.

Quid est Syllaba?

Est

Est integri soni comprehensio, ut *Mons*, *nox*, *flos*.

Quotuplex est Syllaba?

Triplex. Alia *Brevis*, quæ unum tempus consumit: alia *Longa*, quæ duo tempora consumit, ac si eadem vocalis bis pronunciaretur, ut in *Felix*, quod pronunciatur & antiquitus scribebatur *Feelix*: alia *Anceps*, cujus pronunciatio indifferenter uno, aut duobus temporibus absolvitur, ut media in *Steterunt*, *Tenebræ*.

Quid est Vocabulum?

Quo unumquodque vocatur. Aliter dicitur *Vox*.

Quæ sunt quæ voci accidunt?

Accentus, Figura & Species.

Quid est Accentus?

Est modulatio vocis eam in pronunciando vel attollens, vel deprimens.

Quæ sunt Regulæ Accentus?

„ Vox ipsa accentum in sese monosyllaba ponit.
„ Exacuit sedem dissyllabon omne priorem.
„ Ex tribus extollit primam penultima curta.
„ Extollit se ipsam quando est penultima longa.

Quid significat Figura?

Sit ne vox simplex, an composita, ut *Justus*, est vox simplex: *Injustus*, est vox composita ex *in* & *Justus*.

Quid significat Species?

Sit ne vox prima, an aliunde flexa, sive, sit ne primitiva, an derivativa, ut *Pater* est vox primitiva, *paternus* & *patrius*, sunt voces derivativæ *Sanctus* est vox primitiva, *sanctior*, *sanctissimus*,

sanctitas, *sanctimonia* & *sancte*; sunt voces derivativæ.

Quot sunt genera vocum?

Duo. Aliæ enim voces sunt participes numeri, aliæ expertes numeri.

Quid est Numerus?

Est differentia vocis secundum unitatem aut multitudinem.

Quotuplex est Numerus?

Duplex. *Singularis*, qui unum significat, ut *Homo vivit*. *Pluralis*, qui plura significat, ut *Homines vivunt*.

Quot sunt voces numeri participes?

Tres. *Nomen*, *Verbum*, & *Participium*.

Quot sunt voces numeri expertes?

Quatuor. *Præpositio*, *Adverbium*, *Conjunctio*, & *Interjectio*: quæ quatuor communi nomine vocantur, *Particulæ*.

Quot sunt Instrumenta artis Grammaticæ?

Quatuor. *Orthoepeja*, sive regulæ de recta literarum pronunciatione. *Prosodia*, sive regulæ de syllabarum quantitate. *Etymologia*, sive regulæ de vocum singularum accidentibus & partibus, ut de nominum generibus & declinationibus, de verborum conjugationibus, &c. *Syntaxis*, sive regulæ de vocum debita inter ipsas compositione.

DE Grammaticæ divisione sollicitum esse nihil attinet. Satis est *Subjectum* artis, quæ sunt orationis partes, *Literas* puta, *Syllabas*, & *Voces*, tum *Instrumenta*, quomodo ad subjectum adhibeantur, probè cognita habere. Atque hoc Grammatici est officium, præmonstrare scilicet, quomodo artis instrumentis efficiatur congruens oratio, quæ artis opus & finis est; ad

ad quem omnia, quæ in arte sunt, referuntur. Instrumenta porrò omnino sunt quatuor, quorum primi usus est in literarum pronunciatione, quam veteres *Orthoepejam* vocabant: alterum in syllabarum modulatione occupatur, diciturque *Prosodia*; tertium *Etymologia*, vocis partes, *Nomen* puta, *Verbum*, *Participium* & *Particulas*, eorumque accidentia, ut *casus*, *genera*, *species*, *personas*, & *tempora* exsequitur; postremum *Syntaxis* circa vocum inter se compositionem versatur. De *Orthoepeja* linguarum, quæ multis jam sæculis in usu esse desierunt, vani ac propemodum irriti laboris est, quicquam velle præcipere, cum nisi de suspicione vix quicquam in medium afferri queat. Nihilominus ego quicquid de literarum Latinarum pronunciatione apud veteres inveni, diligenter exscripsi ac digessi, ut non tam quo pacto pronunciari, quam quomodo non pronunciari fuerint solitæ, inde animadverti possit. Eam ἐκλογὴν his Annotationibus nostris subjiciemus: ubi Lector, unde nobis tot *Diphthongi*, & *Triphthongi* Latinæ natæ fuerint, de quibus nemo nec veterum, nec recentiorum commeminit, inveniet. De *Prosodia* discipulos artis hujus ad Emmanuelis Alvari præcepta, versiculis satis feliciter comprehensa, rejecimus, adeoque nihil nos, quin ad *Etymologiam* properemus, remorari debet, nisi quod Magistri prius admonendi videntur, ut versiculos de accentibus hoc modo explanandos meminerint.

1. Vocabulum unius syllabæ in pronunciando attollitur, ut *Mos*.
2. Vocabulum duarum syllabarum habet acutam priorem syllabam, ut *Mores*.
3. Vocabulum trium, aut plurium syllabarum habet acutam ante penultimam, si penultima sit brevis, ut *Moribus illicitis*.
4. Vocabulum trium aut plurium syllabarum habet penultimam acutam, si ea sit longa, ut *Moratus*.

ETYMOLOGIA

De Nomine.

Quid est Nomen?

Ex vox particeps numeri casualis cum genere, id est, quæ numerum, casum & genus, aut saltem terminationem generi quadrantem habet.

Quid est 1 *Casus?*

Est specialis differentia numeri nominalis.

Quot sunt Casus?

Sex. *Nominativus*, *Genitivus*, *Dativus*, *Accusativus*, *Vocativus*, & *Ablativus*.

Quid

1 *Casus est specialis differentia numeri nominalis.*) Ita Sanctio post alios definire visum est, quem in plerisque sequimur, velut primum & unicum artis hujus magistrum. *Specialis* (ait ille) *differentia dicitur illa, quæ cuique parti propria ac peculiaris est*. Jam verò numerus alius nominis est, alius verbi. Hinc ea, quæ sub eodem numero nominali inter se differunt, *Casus* vocantur, sicut *Persona*, quæ inter se sub eodem verbali numero discrepant. *Casus* autem à *cadendo* dicitur, quod aliter atque aliter desinat sivè cadat, quod quidem in plerisque verum est; nam pauca nomina sunt monoptota, quæ unum modò casum seu terminationem habent, ut *Genu*. Neutra etiam tribus tantum casibus variantur, ut *Templum*, *templi*, *templo*. *Opus*, *operis*, *operi*. Dativi etiam & ablativi omnes antiquitus tam apud Latinos, quam apud Græcos similiter cadebant, & hodie quoque in plurali numero eodem fine terminantur. Etsi autem casus à terminatione nomen habet, numerus tamen casuum à significatione, non à terminatione pendet, adeoque sex omnino in omnibus linguis casus sunt, velut *Minerva* nostra *Sanctiana* demonstrat.

Quid est 2 *Genus?*

Est differentia nominis secundum sexus notam.

Quot sunt Genera?

3 Tria. *Masculinum*, cujus nota est *hic*, ut *Hic dominus*. *Fœmininum*, cujus nota est *hæc*, ut *Hæc mensa*. Neutrum, cujus nota est *hoc*, ut *Hoc templum*.

Quot sunt Declinationes Nominum?

Quinque: nam est vel *prima*, cujus genitivus singularis desinit in *æ*, ut *Mensa*, *mensæ*, vel *secun-*

 da,

2 *Genus est differentia nominis secundum sexus notam.*) Nomina sexum non habent, adeoque Grammaticus ea non sexu, sed nota sexus distinguit. Nota verò sexus masculini est *hic*, fæminini *hæc*, neutri *hoc*. Itaque nomen pueri *Pægnium*, & meretricis *Glycerium*, sunt neutri generis, non quia sexu neutrum sint, sed quia nota neutri generis afficiuntur propter terminationem: nam per terminationis regulam nomina in *um* exeuntia sunt neutri generis.

3 *Tria sunt Genera*) Fugit ratio Grammaticos, cum quædam nomina *Communis* generis, alia *Omnis* generis fecerunt, ut *hic* & *hæc homo*: *hic*, *hæc* & *hoc felix*. Nec enim Latinè dicitur, *hæc homo*: neque ulli nomini adjectivo sexus nota præponitur, propterea quod adjectiva genus non habeant, sed tantum terminationem accommodabilem, sivè uni modò generi, ut *Bonus*, *bona*, *bonum*: sivè duobus, ut *Fortis*, *forte*: sivè tribus ut *Par*, *oriens*, *felix*. Itaque cum legis, *hic felix*. nota sexus non pertinet ad nomen adjectivum, sed ad substantivum, *homo*, quod per figuram *Ellipsin* suppressum est & subaudiri debet. Similiter cum audis, *hæc homo*, subaudis aliud substantivum, nempe *fæmina*, ad quam illa sexus nota pertinet, quæ Elliptica Syntaxis erit, si dicas: *Helena fuit homo pulcherrima*; alia tamen res est in illo Sulpicii ad Cic. de Tulliola. *Quoniam homo nata erat*. Ibi enim plena Syntaxis est: *Tulliola nata*

da, cujus genitivus singularis exit in *i*, ut *Dominus*, *domini*: vel *tertia*, quæ facit genitivum singularem in *is*, ut *Sermo*, *sermonis*: vel *quarta*, cujus genitivus singularis terminatur in *us*, ut *Sensus*, *sensus*: vel *quinta*, cujus genitivus singularis exit in *ei*, ut *Dies diei*.

Quot modis dividuntur Nomina?

Duobus: Ratione *generis*, & *speciei*.

Quotuplex est nomen ratione generis?

Du-

nata homo. Sicut Just. l. 1. *Semiramis credita est puer*. Liv. 28. *Porcus natus erat fœmina*, Atque hoc ipsum in omnibus illis valet nominibus substantivis, quæ *Epicœna* dicuntur, id est, quæ sub una terminatione utrumque sexum, sed alterutrum præcipuè significant, quorum alia masculina sunt, ut *Homo*, *latro*, *vates*, *miles*, *agricola*, *custos*, *dux*, *elephantus*, *leo*, *bubo*, *milvius*, *mus*, *sus*, *grus*, *piscis*, *lupus*, *bos*, *porcus*, *anguis*, &c. alia fœminina, ut *Balæna*, *aquila*, *vulpes*, *talpa*, *dama*, *musca*, *hirundo*, *hirudo*, *testudo*, *cornix*, *perdix*, *ovis*, *virgo*. Epicœna quoque masculina sunt nonnulla nomina verbalia in *tor* desinentia, ut *Pictor*, *auctor*, *auditor*, *scriptor*: alia Epicœna non sunt, cum eorum fæminina in *trix* exstent, ut *Victor*, *ultor*, *altor*, *genitor Victrix*, *ultrix*, *altrix*, *genitrix*: quorum etiam nonnulla in plurali neutrius generis terminationem invenere, ut *Victores*, *victrices*, *victricia*: *Ultores*, *ultrices*, *ultricia*. In Epicœnis verò substantiva nomina *mas* vel *fœmina* subaudiuntur, ut si dicas: *Penthesilea olim strenua miles erat*, pro, *strenua fœmina miles erat*. *Hortensia fuit civis disertissima*, pro, *civis fœmina disertissima*. *Gravissima in filium testis est mater sua*, pro, *gravissima testis fœmina*. *Elephantus gravida*, subaudi, *fæmina*. Vide in Syntaxi figurata *Ellipsin*. Latinè secundum regulam dices: *Hæc mulier est miles strenuus*, *bonus vates*, *idoneus auctor audendi*. *Vinum est dux pessimus*. *Aurum repudiatum est abstinentiæ testis optimus*.

Duplex: *Substantivum* & *Adjectivum*.

Quid est nomen Substantivum?

Quod cum uno genere declinatur, ut *Pater*, *mater*.

Quotuplex est nomen Substantivum?

Duplex: *Proprium*, quod uni soli rei, personæve convenit, ut *Cicero*, *Roma*, *Tiberis*, *Ego*, *Tu*, *Sui*. Et *Commune* sive *Appellativum*, quod multis convenit, ut *Homo*, *urbs*, *flumen*.

Quid est nomen Adjectivum?

Quod nullum genus habet, sed tantum generibus tribus quadrat, vel sub uno fine, ut *Felix*, *par*, *oriens*: vel sub duobus, ut *fortis* & *forte*: vel sub tribus, ut *Bonus*, *bona*, *bonum*. Italicè & Hispanicè ferè semper significat *cosa*, Gallicè *chose*, Germanicè *ding*.

Quotuplex est nomen Adjectivum?

Duplex: *Absolutum*, quod ad aliud non refertur: & *Relativum*, quod ad antecedens nomen refertur.

Quotuplex est nomen Relativum?

Duplex: Aliud *Generale*, quod ad antecedens sic refertur, ut in se ipsum non reflectatur, ut *Qui*, *hic*, *is*, *ille*, *ipse*, *iste*, *qualis*, *quantus*, *quotus*. Aliud *Speciale*, quod *Reciprocum* dicitur, & in se ipsum reflectitur, ut *suus*, *sua*, *suum*; nam *sui* & *sibi* & *se* sunt substantiva.

Quotuplex est nomen ratione speciei?

Duplex; *Primitivum*, seu primæ positionis, quod ipsum aliundè non formatur, ut *Beatus*. Et *Derivativum*, quod ab alio nomine habet originem, ut *Beatitas*, *beatulus*, *beatior*, *beatissimus*.

Quot

Quot sunt genera nominum Derivativorum?

Sunt quidem plura, sed hæc quinque præcipua, *Possessiva*, *Deminuta*, *Comparata*, *Superlata*, & *Verbalia*.

Quid est nomen Possessivum?

Quod idem significat, quod genitivus unde derivatur, ut *Paternus*, *meus*, *tuus*, *suus*: nam *Paternus amor* significat idem quod *Patris amor*.

Quid est nomen Deminutum seu Deminutivum?

Quod minus significat, quam suum primigenium, cujus semper genus & significationem servat, ut 4 à *fune*, *funiculus*; à *rege*, *regulus*; à *pistrina*, *pistrilla*.

Quid est nomen 5 Comparatum seu Comparativum?

Quod fit à positivo, id est, nomine adjectivo, addita syllaba *or*, ad primum casum in *i*, ut à *Doctus docti*, *doctior*, & significat idem, quod posi-

4 *A fune funiculus.*) Apud Lucretium quidem legitur: *Aurea de cælo demisit funis in arva*. Et lectionem Agellius, & Nonius agnoscunt. Sed cum Quintilianus perspicuè affirmet, ex *funiculus* certò constare de masculino genere *funis*, facile mihi persuadeo poetam scripsisse *Aureu'*, unde postea effectum *Aurea*.

5 *Comparatum, quod fit à nomine adjectivo.*) Qualia suscipiunt magis & minus, substantiæ non item, ait Aristoteles, seu quisquis auctor est Categoriarum. Non ergo à nominibus substantivis comparativa derivari possunt. *Senex*, *juvenis*, *adolescens*, *infans*, adjectiva sunt, adeoque magis suscipiunt, ut dicatur *Senior*, *juvenior* seu *junior*, *adolescentior*, *infantior*. A *penus*, Plautus finxit *penior*, quoniam *penus* ei adjectivum est, pro, *astutus*: quo exemplo dices *Neronior*, ut *Nero* pro adjectivo *crudelis* sumatur. Nec à verbis (ait Sanctius) possunt creari comparativa, quia verbum est

ſitivum, addita voce *magis*: nam *Doctior* eſt *magis doctus*. *Prudentior* eſt *magis prudens*.

Quid eſt nomen Superlatum ſeu Superlativum?

Quod fit à poſitivo ſeu nomine adjectivo addita *ſſimus* ad primum ejus caſum in *i*, ut à *Doctus*, *docti*, *doctiſſimus*, à *Prudens*, *prudentis*, *prudenti*, *prudentiſſimus*, & ſignificat idem quod poſitivum cum *valde*: nam *Doctiſſimus* ſignificat *valde doctus*. Quædam tamen Superlativa in *llimus*, *rimus*, *timus*, aliterque exeunt, ut ab *Exterus* fit *extimus* & *extremus*: à *Superus*, *ſummus* & *ſupremus*: à *Poſterus*, *poſtumus*, ſive *poſtimus* & *poſtremus*.

Hæc tria dant llimus, *ſimilis*, *facilisque*, *humilisque*.

Cum rectus fit in *ER*, ternus gradus in Rimus exit:

Ut *veter* & *deter*, queis 6 *matur* jungito priſcum.

Sex

eſt veluti forma orationis, nec recipit comparationem, niſi addito adverbio, ut, *Currit*, *magis currit*. *Potior* igitur & *deterior* non ſunt derivata à verbis *potior* & *detero*, ſed à nominibus *potis* & *deter*. Nec etiam à particulis comparata formantur. *Citer*, *exter*, *ſuper*, *infer*, *ulter*, *ſæpus*, *propus*, apud priſcos in uſu erant. Inde formata, *Citerior*, *exterior*, *ſuperior*, *inferior*, *ulterior*, *ſæpior* & *ſæpius* ac *ſæpiſſimus*, *propior*. Falſum eſt, quod ajunt Grammatici, non poſſe formari comparativa à nominibus vocalem ante *is*, vel *us* habentibus. Bonos enim auctores habet *Tenuior* & *tenuiſſimus*: *aſſiduior*, *aſſiduiſſimus*: *ſtrenuior*, *ſtrenuiſſimus*: *exiguior*, *exiguiſſimus*: *egregior*, *egregiiſſimus*: *arduior*, *arduiſſimus*: *perpetuior*, *perpetuiſſimus*: *induſtrior*, *innoxior*.

Sex Timus accipiunt, *dexter*, *citer* atque *sinister*,
Interus atque *ulter*, *extremus* & *extimus*, *exter*,
Inferus *infimum* habet, *superus* cum *posterus* Emus,

Dic alia Comparativa & Superlativa Anomala,

Bonus, melior, optimus,
Malus, pejor, pessimus.
Magnus, major, maximus.
Parvus, minor, minimus,
Multum, plus, plurimum.
Maledicus, maledicentior, maledicentissimus.
Beneficus, beneficentior, beneficentissimus.
Benevolus, benevolentior, benevolentissimus.
Pris, *antiquum*, prior, primus.
Sic Poster & postris, *priscum*, posterior,
Sicut Sacer & sacris,
Senex, senior.
Juvenis, Junior,
Propior, proximus,
Pius, piissimus,
Invitus, invitissimus,
Novus, novissimus.
Ocyor, ocyssimus, à Greco ὠκὺς, id est, *celer*,

Quid

6 *Matur*) *Maturrimus* est Cæsaris; Ciceronis & Columellæ *maturissimus*. Plautus ab *ipse* finxit *ipsissimus*, à *patruo*, *patruissimus*. Senecâ ab *imbecillis*, *imbecillimus* & *imbecillissimus*. *Infandissimum* dixit Varius in Thyeste.

Quid est Nomen verbale?

Quod ab aliquo verbo ducit originem.

Quotuplex est Nomen Verbale?

Triplex: Aliud est verbi expers: aliud verbi particeps, quod Participium vulgo dicitur; aliud participiale. *Vid infra Annotationes, pag.* 17. *& seq.*

DE VERBO.

Quid est Verbum?

Est vox particeps numeri personalis cum tempore, id est, quæ numerum, personam, & tempus habet.

Quid est Persona, vel potius, Facies?

Est specialis differentia numeri verbalis.

Quotuplex est Persona?

Triplex. Singularis prima; ut *Amo*. Singularis secunda, ut *Amas*. Singularis tertia, ut *Amat*. Pluralis prima, ut *Amamus*. Pluralis secunda, ut *Amatis*. Pluralis tertia, ut *Amant*.

Quid est tempus?

Est differentia verbi secundum præsens, præteritum, & futurum.

Quot sunt Tempora Verbi?

Quinque. *Præsens*, *Præteritum imperfectum*, *Præteritum perfectum*, *Præteritum plusquam perfectum*, & *Futurum*.

Quot sunt verbi conjugationes?

Quatuor: nam est vel *Prima*, cujus secunda persona primi præsentis exit in *as*, ut *Amo*, *amas*: vel *Secunda*, cujus secunda persona primi præsentis exit in *es*, ut *Doceo*, *doces*: vel *Tertia*, cujus secun-

secunda persona primi præsentis exit in *is*, & infinitum in *ere* breve, ut *Lego*, *legis*, *legere*. Vel *Quarta*, cujus secunda persona primi præsentis exit in *is*, & infinitum in *ire* longum, ut *Audio*, *audis*, *audire*.

Quot modis dividuntur verba?

Duobus. Ratione accidentium suorum, & ratione significati.

Quotuplex est verbum ratione accidentium?

Duplex: *Personale*, seu *Finitum*, & *Impersonale*, sive *Infinitum*.

Quid est Verbum Personale seu Finitum?

Quod certa persona, tum etiam numero & tempore certo finitur, seu determinatur, ut cujus personæ, numeri & temporis sit, dici possit, ut *Amo*, *legisses*, *curritur*, *pluit*, *ningit*, *lucescit*.

Quid est verbum Impersonale sive Infinitum?

Quod certa persona non finitur, sed nec numerum aut tempus certum habet, ut *Amare amavisse*. Plaut. Curc. a. 1. s. 1. *Ita conferto tuum amare*, pro *tuum amorem*. Vulgo vocant verbum *Infinitivi modi*, quod sæpe nominis substantivi vim habet, ut *Virtus est vitium fugere*, pro, *fuga vitii est virtus*. *Tempus est abire*, pro, *abitionis*. *Magis paratus servire*, *quam imperare*, pro, *magis paratus servituti*, *quam imperio*. *Non tanti emo pœnitere*, pro, *pœnitentiam*. *Ibo videre*, pro, *ad videre*, sive *ad visionem*. *Dignus legi*, pro, *lectu* vel *lectione*. *Dignus amari*, pro, *amore*. Tibul. *Causa perire*, pro, *interitus*. Plaut. Aul. a. 2. s. 5. *Ne operam perdas poscere*, id est *in poscendo*.

Quotuplex est verbum ratione significati?

7 Tri-

7 Triplex: *Substantivum*, quod substantiam sive subsistentiam significat, ut *Sum*, *fio*, & priscum *fuo*. *Activum*, quod actionem significat, ut *Vivo*, *amo*, *curro*, *consolor*, *amplector*: nam ista in *Or*, deposuerunt passivam significationem, ex eoque *Activa deponentia* dicuntur. *Passivum*, quod passionem significat, ut *Vivitur*, *amatur*, *curritur*.

Nullumne est verbum Gerundum seu Gerundium?

Nullum: nam *legendi* & *legendo*, quæ vulgo verba *Gerunda* dicuntur, non sunt verba, quoniam nec tempus, nec personam habent, sed sunt participia passiva cum genere, casu & numero. Nam *legendi* est genitivus singularis neutri *legendum*: *legendo* autem est ablativus singularis neutri *legendum*, ac propterea præpositio ei præponi potest hoc modo: *In legendo fies doctus*: ubi subauditur verbum infinitum *legere*, quod nominis vim habet in ablativo, quasi dictum esset: *In legendo lectu*, sive *in legenda lectione fies doctus*. *Tempus est legendi*, subauditur *legere*, quod vim habet nominis in genitivo, quasi esset: *Tempus est legendi lectus* seu *legendæ lectionis*. *Nunc est legendum*, subauditur *legere*, quod vim habet nominis

in

7 *Triplex est verbum ratione significati*.) Neutra verba (ait Sanctius) nullo pacto esse possunt, quia teste Aristotele, omnis motus, actio aut passio, nihil medium est. Communia verba, id est, simul activa & passiva, fuerunt multa ante Ciceronis tempora, postea verò deposuerunt passivam significationem, unde dicta sunt. *Deponentia*. Sed mera sunt activa: quid enim differant, *Prosequor te honore*, & *afficio te honore*.

in nominativo. *Legere* autem valet idem quod *lectio*, nisi quod illud neutrum est, hoc fœmininum. Idem enim sunt, *Legere jucundum est*, & *lectio jucunda est*.

Nullumne est verbum Supinum?

Nullum: nam *lectum* & *lectu* quæ vulgo *Verba supina* dicuntur, non sunt verba, quoniam in iis nec persona, nec tempus, nec numerus apparet, sed sunt nomina substantiva quartæ declinationis, accusativi & ablativi vel dativi casus, adeòque cum præpositione inveniuntur, ut *Oves eunt pastum*, vel *ad pastum*, sive *ad pastionem*. *Redeunt pastu*, vel *è pastu*, sive *à pastione*. *Visu mirabile*, pro *visui*: nam dativus facit *visui* & *visu*. Similiter autem dictum est, ut *Oculis mirabile*. *Acerbus sensu* & *acerbus sensibus*.

DE

DE
PARTICIPIO.

Quid est Participium?

Est vox particeps numeri casualis, tempus & constructionem à verbo ducens, sivè quod numerum, casum, tempus & verbi constructionem habet, ut *Amans*, *amaturus*, omnia tempora significat in activo, sicut *Amatus* & *amandus* in passivo. Dicimus enim: *Sum amans* & *amaturus*. *Sum amatus*. vel *amandus*. *Fui amans*, *amaturus*, *amatus amandus*. *Ero amans*, *amaturus*, *amatus*, & *amandus*, Quare dicitur Participium. *Vid. Annotationes.*

B

Participia orationis partem feci à Nomine & Verbo diversam: qua in re plus opinioni Grammaticorum, quam veritati dedisse me fateor. Verè enim nihil aliud participium est, quam verbale nomen, sed quod alicujus verbi accidentis sit particeps, qualia sunt cum tempus, tum casus rectio, tum denique status, aut motus significatio. Substantiva quippe verba statum, seu substantiam, aut subsistentiam significant, reliqua motum, id est, actionem, aut passionem. Rectè proinde nomina verbalia, id est, originem suam verbo debentia, vel à verbo derivata, trium generum fecerimus, ut eorum alia sint *Expertia verbi*, cum quibus nullum verbi accidens communicatur, alia *Participia*, quæ aliquod verbi accidens participant, alia denique *Participialia*, quæ aliquid participii, etsi nihil verbi participant. Nominum participium alia casus rectionem & significationem motus de verbi natura participant, eaque vel substantiva, vel adjectiva. Substantiva sunt, *Tactio*, *curatio*, & *tactus curatus*, quartæ declinationis *Motio*, *motus*, *momen*, *momentum*: cujus generis nomina cum actionem signi-

fi-

ficant, tum prisco more accusativum, id est, verbi sui casum regunt. Dicebant enim, *Quid tibi me tactio est? Quid tibi hanc rem curatio est?* Retentum quoque fuit, *Venio ad spectatum ludos*, & per *Ellipsin*, *Venio spectatum ludos*. Adjectiva sunt, *Vitabundus*, *latabundus*, *ludibundus*, *moribundus*, quæ & actionis significationem & accusativi expressi, aut suppressi rectionem cum verbis suis participant. Dicitur enim *vitabundus hostes*, in cæteris sicut in *latare latitiam*, in *ludere ludum*, in *mori mortem*, subauditur. Alia participium nominum, sivè participiorum cùm tempus, tum significationem, sivè status, sivè motus à verbo ducunt. Nam *ens* & *futurus* substantiva sunt: activa verò *amans* & *amaturus*: passiva denique *amatus*, *amandus*. Nonnulla terminatione passiva, significatione autem activa, ut *Cautus*, *qui cavet*: *Juratus*, *qui juravit*: *Cœnatus*: *qui cœnavit*: *Pransus*, *qui prandit*: *Obitus*, *qui obiit*, *Occasus*, *qui occidit*. Participialia nomina vel originem cum participiis communem habent, vel terminationem. Prioris generis alia sunt comparata nomina, ut *Amantior*, *doctior*, *comitatior*: alia composita, ut *Indecens*, *indiligens*, *indoctus*. Sic *Indicens* apud Terentium Adelph. *qui non dixit*, act. 3. sc. 4. *Non me indicente hac fiunt*. Et Cic. *Insciente me discessit*. Terminationem participiorum cum illis communem habentia, sunt *Laureatus*, *ocreatus*, *cristatus*, eorumque similia. Verum enim cum ista spinosiora, quam ut tenera tironum ætas ea possit intelligentia comprehendere, Magistros de iis admoneri satis mihi visum fuit.

DE

D E
PRÆPOSITIONE.

Quid est Præpositio?

Est vox expers numeri, quæ casibus præponitur, & in compositione reperitur.

§ *Quotuplex est Præpositio?*

Duplex: Alia *Casualis*, quæ casibus natura sua

§ Præpositionibus Grammatici annumerant; *Circiter*, *prope*, *propius*, *proxime*, *pridie*, *postridie*, *procul*, *secus*, *usque*, *versum* & *versus*. Sed ea esse adverbia Sanctii *Minervæ* docet; qua de re nos quoque in adverbiorum *Syntaxi* attigimus. *Secus viam*, pro; *juxta*; *secundum*: Quintilianus ætate sua vulgo usurpari solere significat, cum lib. 8. cap. 2. ita scribit: *Pessima sunt ἀδιανόητα, hoc est, quæ verbis aperta, occultos sensus habent*, ut *Conductus est cæcus secus viam stare*. Sed non intelligo, cur id dicat ἀδιανόητον, cum satis planus ejus esse sensus videatur; nimirum; *cæcum pretio fuisse conductum, ut staret secus viam*. In sacris quidem legimus Psalm. 1. de *Ligno secus decursus aquarum*. Atque hinc nisi me animus fallit, Historiæ Indicæ conditor, lumen & ornamentum *Societatis Jesu* Maffejus errorem illum hausit, ut *secus* præpositionem crederet; in eaque tantum non delicias faceret; ut Epist. lib. 2. epist. de obitu Silveriæ: *Secus diversorium*. Et lib. 3. epist. Ludovici Almeidæ: *Secus aream*. Et lib. 4. epist. 1. *Aream ad mare secus arcem optimò situ*. Atque hinc intelligi potest, quam parum tuta sit frequens eorum librorum lectio, qui minus bona Latini sermonis ætate scripti fuere, si quis præsertim, quod Italis hominibus sua ingeniorum felicitate fretis solelemne est, omnes veteres auctores & Grammaticos cognoscendi laborem refugiat. Certè si Charisium

Præponitur; alia *Compositiva*; quæ cum aliis vocibus composita unum vocabulum efficit, sivè eæ voces sint nomina, sivè verba; sivè particulæ.

Quotuplex est Casualis Præpositio?

Triplex: Alia accusativo tantum præponitur; alia ablativo; alia promiscuè utrique.

Quæ Prepositiones præponuntur Accusativo?

Ad; apud; ante; adversus *vel* adversum; cis; citra; circa, circum, contra; erga, extra; intra; infra; juxta; ob; pone; per; propter; post; præter; penes; supra; secundum; trans; ultra.

Quæ

Sosipatrum legisset Maffejus, numquam ille, ut ista scriberet, animum induxisset. Ejus enim lib. 1. verba sunt: *Secus*; *adverbium*; *significat*; *aliter*. *Unde nascitur secius* ἀλλοτρίως. *Cæterum id*; *quod vulgus usurpat*; *Secus illum sedi*, *hoc est*; *secundum illum*; *&* *fatuum* *&* *sordidum est*: Neque tamen deterioris notæ est *secus*; quam *amiculus*; pro; *amiculum*; quo idem Maffejus Histor. Ind. lib. 12. sic utitur: *Tunica amiculum superinduunt breviorem*; *manicis non ultra cubitum eminentibus*: quo etiam loco, satis imperitè *eminentibus* dixit; pro; *pertinentibus*; sivè; ut posteriores maluerunt; *pertingentibus*; etsi id alicubi sciolorum opera in uno Sallustii & Cæsaris loco subsedit: nam ut Servius notat, *eminere* dictum est, à *minis*, sivè pinnis murorum in altum editis. Etsi ergo ἄκυρον hoc, *Cubitus è manicis eminet*, pro; *exstat*; bonis auctoribus defendi potest; longè tamen aliud est; *Manica non ultra cubitum eminent*. Ejusdem notæ est *caliga*; pro; *braccis femoralibus*; libro 12. *Talarem gestant tunicam*; *hanc domi demittunt*; *prodituri autem in caligas infundunt ad imum æqualiter laxas*. Sed de istis eorumque similibus, quibus dictionem Maffeii cæterum cultissimam, inquinatam deprehendi, in *Syntagmate* nostro *de Styli historici virtutibus*, uberius disputatum Lector inveniet.

Quæ Præpositiones præponuntur Ablativo?

A, ab, abs, absque, cum, coram, de, è, ex, 9 foras, pro, præ, palam, 10 sine (ex prisco *se* vel *sed*) tenus.

Quæ Præpositiones utrique casui præponuntur?

Clam, in, sub, subter, super.

Quotuplex est Præpositio Compositiva?

11 Duplex. Alia extra compositionem habet propriam significationem, alia nisi in compositione nihil significat.

Quæ habent propriam significationem?

12 Abhinc, 13 admodum, 14 ante hac, 15 circum-

9 *Foras, Palam*) Ista præpositionibus contribuere mihi visum est, quod ea sexto casui præposita compe rissem, nec *Ellipsi* locum esse judicarem. Lucret. 6. de pestilentia: *Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem:* Et supra: *Atque aliud per ligna, aliud transire per aurum, argentoque foras, aliud vitroque meare*, id est, *exire ex argento*, seu *transire per argentum*. Liv. lib. 6. *Creditori rem palam populo solvit*. Horat. Epod. 11. *Ubi hac severus te palam laudaveram*, pro, *coram te*. Fallitur ergo Grammaticus vetustissimus Fl. Caper, cum scibit: *Coram illo dicendum est, non palam illo: nam palam ad multos refertur*.

10 *Sine* ex prisco *Se*, vel *Sed*) Pervulgatum est veteres dixisse; *Se fraude*, pro *sine fraude*, & *sedulo*, esse *sine dolo*. *Sed*, pro, *se*, notavit Festus. Ex *se* porro formatum est *sine*, ut ex *Prodit*, *prodinit*; ex *jecor*, *jecinor*. *Secors*, est sine *corde*. *Segnis*, sine *igni*, & velut frigidus ad agendum.

11 Præpositiones compositivas alias *Loquelares*, alias *Significativas* feci. Priorum nulla est Syntaxis præter illam, quam apertè ferunt. Posteriorum quis usus sit, jam exsequemur.

12 *Abhinc*) Significat *tempus*, quasi dicas, *ab hac die* (vel cum Cicerone *ex hac die*) *dies numerando*, ac promiscuè de præterito & futuro tempore usurpatur, Cic. *Abhinc annis quindecim*,

decim, ubi subaudi præpositionem, *in*, à qua ablativus regitur. Idem: *Abbinc duos & viginti annos est mortuus*, subaudi præpositionem *ante*. Terent. *Abbinc triennium huc commigravit*. Plautus eodem sensu *hinc* usurpat. Trucul. *Me nihilo magis respiciet; quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus*, subaudi *ante*: similiterque Turpil. Lindia: *Factum esse diem hinc quartum hodie*. Plautus Casin. *Annos abbinc factum est sexdecim; cum conspicatus est puellam exponi*, pro quo dici poterat: *Annos est sedecim cum conspicatus est*; sicut idem Aulul. *Hanc domum multos annos est cum possideo & colo*; pro, *ante multos abbinc annos factum est, cum possideo*; seu *quod possideo*: nam *quom* & *quod* indifferenter Plautus, Terentius & Cicero hac in re usurpant; eo quod *quom* sivè *quem* aut *cum* sit accusativus omnibus generibus congruens; à *quis* omnium generum; velut in Paradigmate annotavi. Quia verò *quom* & *quod* adjectiva sunt, eaque relata, nomen substantivum antecedens, quod referant, subaudiri necesse est. Tale verò nomen est *tempus*, aut etiam *negotium*, quod Latinis idem est quod *res* Italis & Hispanis *cosa*, Germanis, *ding*. Gallis *chose*. Jam satis constat rectè Latinè dici. *Si est ut ille hanc domum possideat*, pro, *si ita est negotium, si ita est res ut ille domum possideat*. Rectè quoque dicitur, *Quom vales, gaudeo*, & *Quod vales gaudeo*, pro, *ad quom*, sivè *ad quod negotium*, id est, *ad quod negotium quod attinet*: Sensus ergo est: *Quantum ad illud negotium attinet, ad quod vales, gaudeo*. *Quoniam est ut valeas*, *quoniam ita res est ut valeas, gaudeo*. Vis itaque Plautinorum verborum hoc modo explanabitur: *Negotium illud, ad quod ego hanc domum possideo, factum est abhinc ante multos annos*. Similis est alter Plauti locus in Persa: *Nondum sex menses est quom leno huc commigravit*, pro, *nondum abhinc ante sex menses factum est negotium, cum huc migravit*. Sin quis *tempus* subaudire malit, sensus erit: *Nondum abhinc ante sex menses factum est tempus*, sivè *fuit tempus*. Indifferenter enim dicitur: *Factum est tempus cum*, & *fuit tempus cum*. Ita *Tempus erit cum*, *tempus veniet cum*, *tempus fiet cum*, quod etiam subauditur, in *est cum*,

erit

cumcirca, 16 contraea, 17 dehinc, dein, deinde,

B 4 18 de

erit cum. (Si cui insolentius videbitur, *Factum est tempus*, noverit Ciceronem dixisse 5. Att. 20. *Apameæ quinque dies morati, Iconii decem fecimus*. Et Alfenius J. C. *Servus fugerat, & annum in fuga fecerat*. Et Senec. epist. 66. *Paucissimos una fecimus dies*.) Cæterum *abhinc* de futuro usurpat Pacuvius: *Seque ad ludos jam inde abhinc exerceant*. Cic. pro Roscio Com. *Repromittis tu abhinc triennium Roscio?* Ubi subauditur, *post*.

13 *Admodum*.) Cum *Modus* Latinis & quantitatem & qualitatem significet, hinc fit, ut *admodum* alias idem significet, quod *valde*, alias quod *propemodum*, *ferè*, *quasi*, *circiter*. Cicero: *Non admodum grandis natu*. Livius: *Exacto admodum mense Februario*. Idem: *Sex millia hostium cæsa, quinque admodum Romanorum*. Idem: *Vehicula mille admodum capta*. Cicero: *Curio literarum nihil admodum sciebat*, id est, *quasi nihil*. Columella: *Admodum exigui pulveris subjicimus*. Ubi subauditur *rem*: nam *res pulveris*, est *pulvis*. Ita Varro: *Apponendum est bene olentium herbarum*: aut dictum putabimus, *ad pulveris modum*, sicut *ad instar* dixit Serenus Septimius: cùm *instar* sit nomen substantivum effigiem vel similitudinem significans.

14 *Antehac*.) Significat *ante hac facta* aut *tempora*: nam veteres, *hac*, pro *hæc* dicebant. Plaut. Asin. *Ego illum antehac semper sum hominem frugi ratus*. Idem Mil. *Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servum pessimum*.

15 *Circumcirca*.) Plaut. Aul. a. 3. s. 4. *Ubi capit scalpurire unguibus circumcirca*. Sicut Græci ἀμφιπερὶ κρηνὴν *circumcirca fontem*.

16 *Contra ea*,) Una voce dixerunt, sicut *interea*, *praterea*, *postilla*, ubi ultima syllaba a poetis producitur, ut unum ex duobus vocabulum factum appareat. Exstat apud Cæsar. lib. 3. belli civilis, apud Sallust. Jugurth. apud Livium & Cor. Nepotem sæpius. Liv. 4. *Superbè ab Samnitibus legati prohibiti commercio sunt: contraea benignè à Siculorum tyrannis adjuti*. Nepos Agesil. *Nullum in eo signum libidinis, nullum luxuriæ: contraea plurima patientia at-*

que

18 derepente, 19 desubito, 20 desuper; 21 eloco,

que abstinentia. Idem Epam. *Quod me Agamemnona æmulari putas, falleris: namque ille cum universa Græcia vix decem annis unam cepit urbem; ego contra ea una urbe nostra, dieque uno totam Græciam liberavi*. Sic ibi lego, pro, *contra ex una*. Terentius, *Contra hæc, contra omnia, contra hæc omnia*, eodem sensu usurpat.

17 *Dehinc, dein, deinde*.) *Dein* per *Apocopen*, pro *deinde* dictum est. *Inde* verò sicut & *hinc*, motum à tempore aut loco significat. Usurpatur ergo *deinde*, pro *postea*, ratione loci. Terent. *Accepit conditionem, dein quæstum occipit*. Idem: *Factum esse non negat, & deinde facturum autumat*. Cicero: *An ego tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde Imperatori? deinde more majorum? deinde (quod caput est) amico?* Idem usus est præpositionis *dehinc*. Virgil. *Oscula libavit natæ, dehinc talia fatur*. Plaut. *Si quidem ante mentitus sit, nunc jam dehinc erit tibi verax*.

18 *Derepente*.) Cicero: *Tu derepente irrupisses*,

19 *Desubito*) Plaut. *Si apud te eveniat desubito prandium aut potatio*.

20 *Desuper*.) Significat idem quod *de supero* aut *superiore loco* quomodo Plautus loquitur Amph. *Illuc sursum ascendero, inde optimè sic cispellam virum. De supero faciam, ut sit madidus*. Virg. *His ego nigrantem commista grandine nimbum Desuper infundam*. Lucretianum est: *Ex supero*.

21 *Eloco, extemplo*.) Significat, *statim, è vestigio*. *Templum* enim pro quovis loco undique aperto dicebant. Usum præpositionis hinc licet colligere. Plaut. Asin. act. 1. sc. 2. *At malo cum tuo: nam jam ex hoc loco ibo ego ad tres viros, vestraque ibi nomina faxo erunt*. Et Trucul. act. 2. sc. 4. *Ego isti non munus mittam? Jam modo ex hoc loco jubeo ad istam quinque perferri minas*. Liv. 36. *Alii extemplo agendum, alii differendum in veris principium censebant*. Plaut. Cap. *Ne tu me ignores, cum extemplo è conspectu meo abscesseris*. Vide mox in *exadversum*.

22 *Exante*.) Liv. lib. 45. *Supplicatio pro concione popu-*

eloco, extemplo, 22 exante, 23 exadversum, 24 examussim, 25 exhinc, 26 exin, exinde, 27 ex-

populo indicta est exante diem quinctum Idus Octobris, id est, *ex illo die in diem quinctum, antequam dies quinctus finem haberet*: sic enim intelligebant, cum dicerent, *Ante diem tertium, quartum, &c.*

23 *Exadversum.*) Terent. Phor. *Modò vidi quandam virginem, suam lamentari matrem mortuam: ea sita exadversum*, id est, *mater mortua posita erat è regione virginis*. Ibid. *Exadversum ei loco tonstrina erat quadam.* Ubi Donatus ait, pro *eiloco*, legi etiam, *illico*. Nimirum scripserat Terentius, *eloco*. Nepos Thrasyb. *Cecidit Critias, cum quo exadversus Thrasybulus fortissime pugnarat*. Ita est in veteri codice optimo. Cic. 1. Divin. *Ara Ajo loquenti exadversus eum locum consecrata est*. Ubi duo illa verba, *eum locum*, ex glossa videntur irrepsisse; etsi apud Nepotem quoque in Themist. legimus; *Factum est, ut ab Arthemisio discederent, & exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.*

24 *Examussim.*) Significat *exactè, perfectè*, quasi *ad amussim*. Plaut. Amph. *Na ista adepol examussim est optima*. Et Most. *Ædes facta examussim*. Et Menæc. *Ut hanc rem vobis examussim disputem.*

25 *Exhinc.*) Lucret. lib. 3. citante Prisciano: *Anima cùm animi vi percussa est, exhinc corpus propellit*, id est, *statim, ex hoc loco*. Sueton. Tiber. *Post hac comatam Galliam rexit. Exhinc Rhaticum Vindelicumque bellum*. Cicero similiter *ex hac die*, de præterito & futuro usurpat, pro quo vulgo barbarè, *ex tunc* & *ex nunc*, quæ tamen sunt facta, ut *exhinc, exinde, inante, exante, præquam*. Plautus de futuro, Perf. act. 4. sc. 3. *Bonus volo jam ex hoc die esse*, id est, *posthac.*

26 *Exin, exinde.*) Virgil. *Quisque suos patimur manes, exinde per altum Mittimur Elysium.* Plautus Pseud. *Proinde ut quisque fortuna utitur, exinde sapere eum dicimus*. Et Truc. *Postquam alium reperit, qui plus daret, me exinde amovit loco*. Varro 1, rust. 20. *Alii asel-*

27 extraquam, 28 inante, 29 impræsentiarum, 30 inibi, 31 in loco, 32 insuper, 33 interea, interim,

asellis, *alii vaccis ac mulis utuntur*, *exinde ut pabuli facultas est*, pro *perinde ut*. Just. *Populum eodem ornatu vestiri jubet*, *quem morem vestis exinde gens universa tenet*, pro, *inde ex eo tempore*. Macer Jurisc. *Annus exinde computandus est*, *ex quo ea annotatio publicè innotuit*.

27 *Extraquam*.) Significat, *præterquam*, *nisi*. Cicer. *Addat exceptionem hanc*, *extraquam si quis reip. causa exercitum non tradiderit*. Livius: *Campanos omnes liberos esse jusserunt*, *extraquam qui eorum*, *aut ipsi*, *aut parentes eorum apud hostes essent*.

28 *Inante*.) Cicero: *Cædem te optimatium contulisse inante diem quinctum Calendas Novembris*, pro, *in diem ante diem quinctum*, id est, *in eum diem*, *qui incideret antequam dies quinctus præteriisset*. Propert. *Si quis vult fama tabulas anteire vetustas*, *Hic dominam exemplo ponat inante meam*.

29 *Impræsentiarum*.) Vix mihi persuadere possum, quin vocem hanc à posterioribus malefictam credam. Legitur etiam in Cornelio Nepote in vita Hannib. *Cum Scipione*, *exhaustis jam patria facultatibus*, *cupivit impræsentiarum bellum componere*, *quo valentior postea congrederetur*.

30 *Inibi*.) Significat *ibidem*. Cicero: *Luxuries Annibalem Capua corripuit*: *superbia nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur*. Idem: *Quod sperare debemus aut inibi esse*, *aut jam esse confectum*. Plaut. Pers. *Marsupium habeat*, *inibi paulum præsidii*.

31 *In loco*.) *In loco*, ex quo factum *inlicò* & *illicò*, significat *statim*, *e vestigio*. Dictys lib. 6. 12. *Acastus ubi præter spem se liberatum animadvertit*, *sponte in loco cuncta regni Neoptolemo tradit*.

32 *Insuper*.) Significat, *præterea*, vel *super illa*, *quæ jam dicta sunt*. Terent. *An pœnitebat flagitii*, *ni miserum insuper etiam patri indicares*? Livius: *Si hoc non satis est*, *insuper pœnas expetite*. Idem: *Humus insuper injiciebatur*, pro, *supra*. Virgilius cum ablativo ponit, *Insuper his*, pro, *præter hæc*, *his amplius*.

Lu-

rim, interibi, 34 interdiu, 35 interdum, 36 perinde, 37 postea, posthac, posthinc, postibi, postilla,

Lucretius cum accusativo: *Insuper alienos rogos exstructos consanguineorum cadavera locabant*. Ita & Cæsar: *Hanc insuper contignationem tantum adstruxerunt*.

33 *Interea, interim, interibi.*) Significat, *inter ea negotia, facta* vel *tempora*, id est, *per idem tempus, quo aliquid aliud negotii peragitur*. Cicero: *Hæc dum Romæ geruntur, Quinctius interea*, &c. Terent. *Interea dum is venit, domi opperiamur*. Livius: *Inter agenda hæc*, pro, *interea*, ut videatur *Ellipsis* esse in voce *interea*, subaudiaturque *agenda negotia*, sicut Plaut. Stich. *Inter illud negotium meis amicis curavi, ut cœna esset cocta*. Et Cistel. *Inter rem istam agendam heræ huic respondi, quod rogabat*. Idem Rudente: *Jam hic ero, tu interibi adorna, quod opus est*. Cicero: *Hoc interim spatio conclave illud concidit*. Uterque Seneca & uterque Quinctilianus *interim*, pro, *interdum, nonnunquam, aliquando* ponunt, sed id degenerantis jam Latinitatis specimen existimari potest.

34 *Interdiu.*) Significat, *de die, interim dum dies est*. Plautus etiam *interdius* usurpat. Cicero: *Noctu an interdiu*. Ridicule Quinctilianus lib. 1. extremo cap. 4. *Noctu* & *diu* adverbiis annumerat. Leguntur enim cum præpositionibus ablativum regentibus, & cum adjectivis ablativi casus. Plaut. *Hac noctu somniavi*. Ennius: *Hac noctu filo pendebit Hetruria tota*. Teren. *Cras cum primo lucu*.

35 *Interdum*. Significat, *aliquando, aliquo tempore*. Cicero: *Interdum, vel potius nimium sæpe*. *Geminatio verborum habet interdum vim, leporem aliàs*. Festus: *Interduatim dicebant antiqui, quod nunc interdum, & interim*. Hinc apud Plaut. Truc. act. 4. sc. 4. ubi legitur: *Vale Phronesium*. *PH. jam me tuum oculum non vocas? DI. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur*. Scribendum censeo: *Id quoque interduatim nomen commemorabitur*.

36 *Perinde.*) Significat, *similitudinem*. Plaut. *Omnes res perinde sunt, ut agas; ut eas magnifacias* Cic. *Habes à patre munus mea quidem*

stilla, postinde, postmodo, postidea, postidem, 38 præterea, præterhac, 39 præquam, 40 præterquam, 41 præut, 42 proin, proinde, 43 pronuper, 44 pro-

dem sententia magnum, sed perinde erit, ut acceperis. Liv. 27. *Ut viseret agros cultaque ab incultis notaret, & perinde dominos laudaret castigaretque*. Salluſt. *Mithridates corpore ingenti, perinde armatus*.

37 *Postea, posthac, posthinc, postibi, postilla, postinde, postmodo, postidea, postidem*.) Significat, *post factum* vel *tempus aliquod*, vel *post tempora*, sicut supra, *antehac* Ovid. 1. Fast. *Postea mirabar, quod non sine litibus esset*. Ubi *a* breve arguit nomen esse. Usus tamen talia fecit particulas, ex eoque *a* sæpius producitur. Plaut. Merc. *Nescio quid meo animo est ægre: postea hac nocte non quievi satis ex sententia*, pro, *tum vero*, *præterea autem*. Idem Stich. *Dejiciam telas aranearum. GE. misera algebunt postea*. Idem Curcul. *Eum qui vendidit mihi puellam, numquam postilla vidi*. Catul. *Nec sibi postilla metuebant talia verba*. Cic. *Id ne umquam posthac accidere possit, providendum est*. Virgil. *Posthinc ad naves graditur sociosque revisit*. Plaut. Mil. *Verberetur etiam, postibi amittendum censeo*. Et Stich. *Nunc intro ibo & sacrificabo, postibi jubebo nobis cœnam coqui*, Lucret. *In pedibus primum digitos livescere & ungues, Inde pedes & crura mori: postinde per artus Ire alios tractim gelidi vestigia leti*. Livius, *Si Ardeates arbitrium Senatui permittant, fore ut postmodo gaudeant se ira moderatos*. Plaut. Cist. *Ubi id erit factum, ornamenta ponent, postidea loci qui deliquit, vapulabit*. Idem Aul. act. 1. sc. 2. *Nunc quo profectus sum ibo, postidem domum*. Sic in optimis libris veteribus legitur. Varro lib. 8. de ling. Latina: *Verbis, quæ non ad rationem sunt, oportet non uti. Sic enim obsolescent, ac postidem facilius corrigi poterunt*. Sic ibi lego, pro, *postea idem*.

38 *Præterea, præterhac*.) Significat propriè, *præter* vel *ultra hæc, quæ jam dicta sunt*, aut *præter*, sivè *post hac tempora*, aut *facta*. Cicero: *Est philosophi nobilis filius, homo præterea festivus*. Idem: *Tibi uni concedo, præterea nemini*. Idem: *Non possu-*

propalam, 45 propemodum, 46 proporrò, 47 propterea, 48 proquam, prout, 49 protenus, 50 subinde, 51 superquam.

Hu-

possumus hujus & præterea cujusvis civitatis esse cives. Sallust. *Numquam Hispanos præterea tale facinus facere ausos*, id est, *præterquam illo tempore*. Plaut. Rud. *Si præterhac unum verbum faxis, ego tibi comminuam caput.*

39 *Præquam.*) Significat idem quod in comparatione alicujus imparis, si cum alio majori aut minori conferatur. Plaut. Amph. *Parva res voluptatum est in vita; præquam quod molestum est.* Mostell. *Jam minoris omnia facio; præquam quibus modis me ludificatus est.* Aulular. *Nemo sine grandi malo; præquam res patitur, studuit elegantiæ*; id est; *plus quam res familiaris patitur.* Nam *præ* comparationem inæqualium significat, sicut & *ante*.

40 *Præterquam.*) Terent. *Verbum si mihi unum, præterquam quod te rogo, faxis.* Cicero: *Nullas iis præterquam ad te dedi literas.* Livius: *Multitudo coalescere in populi unius corpus nulla re, præterquam legibus poterat.* Cor. Celsus: *Aqua frigida infusa præterquam capiti; etiam stomacho prodest*, pro, *non modò capiti.*

41 *Praut.*) Significat idem, quod *præquam*. Plaut. Mil. *Nihil hoc quidem est, praut alia dicam, quæ tu numquam feceris.* Amph. *Perii, ME. parum etiam praut futurum est, prædicas.* Menæc. *Modestior nunc est praut dudum fuit.* Ibid. *Folia nunc cadunt praut, si triduum hic erimus, tum arbores in te cadent.* Turpil. Epiclero: *Praut solent, me curæ somno segregant*, id est, *plus solito*; *præ eo modo, quo solent.*

42 *Proin*, *proinde.*) Significat idem quod *ideo*, *propterea*; *itaque*. Usurpantur etiam ad exprimendam similitudinem, sicut *perinde*. Terent. *Orationem sperat invenisse se, quare differat: proin fac apud te ut sis.* Cicero: *Proinde bono animo sis.* Plaut. Amph. *Scio isthæc facta proinde ut proloquor.* Pœnul. *Proinde habet hic orationem, quasi ipse sit frugi bona.* Pseud. *Proinde ut quisque fortuna utitur; ita præcellit.* Petron. *Senex exercitati vultus, sed cultu non proinde speciosus.*

43 *Pronuper.*) Significat, *nuper*

Hujus generis sunt omnes Præpositiones, quæ cum Nominibus aut Verbis sunt compositæ, ut *Adesse*, *adprobus*, *avocare*, *evocare*, *deducere*, *inimicus*, *inducere*, *obvius*, *obducere*, *perducere*, *præire*, *subire*, *transire*, &c.

Quæ

nuper admodum. Plautus Trin. *Quam sponsionem pronuper tu exactus es*.

44 *Propalam*.) Plaut. Mil. *Metuo ne hoc tandem propalam fiat nimis*. Idem Epid. *Minus jam sum furtificus, quam antehac, rapio propalam*.

45 *Propemodum*.) Significat idem, quod *ferè*, *pœnè*. Terent. *Propemodum jam tibi habeo fidem*. Cicero. *Verba componere & propemodum dinumerare*.

46 *Proporro*.) Lucret. *Et sibi proporro quæ sint primordia quærunt*, id est, *insuper*, *porro*, *præterea*.

47 *Propterea*.) Terent. *Haud propterea te rogo, ut hoc proferam*.

48 *Proquam*, *prout*.) Significant *comparationem parium*. Lucret. *Igitur parvissima corpora proquam, & levissima sunt, ita mobilitata feruntur*, pro, *quanto minora & leviora sunt, tanto etiam mobiliora*. Idem: *Nec satis est proquam largo se exæstuat æstu, unde queat tantum suboriri ac suppeditare*. Symmachus: *Non satis mihi videretur, proquam res postulat, fungi debitum meum*. Cicero: *Tuas literas, prout res postulat, exspecto*. Idem: *Prout facultates ejus ferebant*. Interdum per Ellipsin *Pro* reticetur: Liv. *Homo, non quam isti sunt, gloriosus*.

49 *Protenus* seu *protinus*.) Significat, *Porro tenus*, continuatè tam temporis, quam loci ratione. Virgil. de Sicilia Italiæ olim conjuncta: *cum protinus utraque tellus una foret*. Idem: *Protinus aerii mellis cœlestia dona exsequar*. Idem: *en ipse capellas protenus æger ago*.

50 *Subinde*. Significat, *deinde*, *paulo post*. Horat. *Si dicet rectè, primum gaudere: subinde præceptum auriculis hoc instillare memento*. Petronius & posteriores eo utuntur, pro *frequenter*, *identidem*, *per intervalla*.

51 *Superquam*.) Significat idem, quod *præterquam*. Livius 22. 3. *Primoribus superquam quod dissenserant à consilio, territis etiam duplici prodigio*.

Quæ Præpositiones nihil significant extra compositionem?

Ambe, *vel* ambi, am, an, con, di, dis, re, se, ut in *Ambecisus*, *ambio*, *amsanctus*, *anquiro*, *concors*, *diversus*, *dispar*, *reliquus*, *separatus*. Et hæ præpositiones à priscis Grammaticis *Loquelares* vocantur, quia extra compositionem loquelæ tantum, sed nullius significationis sunt.

DE ADVERBIO.

Quid est Adverbium?

Est vox expers numeri, quæ aliis vocibus tamquam adjectivum adjungitur, ut *Valde bonus*, *Discit cito*, *Bene mane*.

Quotuplex est Adverbium?

Multiplex, ratione variarum significationum, ut interrogandi, respondendi, affirmandi, negandi, prohibendi, jurandi, quantitatis, qualitatis, similitudinis, comparandi, intendendi, remittendi, hortandi, congregandi, separandi, excludendi, eventus, moris, principii & originis, dubitandi, &c.

Quotuplicia sunt Adverbia interrogandi & respondendi?

Sextuplicia: Quærunt enim & respondent vel de *Facto*, sitne aliquid, nec ne: vel de *Causa*: vel de *Tempore*: vel de *Loco*: vel promiscuè de *Tempore* & *Loco*: vel simul de *Tempore* & *Numero*.

Quæ Adverbia quærunt de Facto?

An, anne, ne: *enclitica*, num, numnam.

Quæ Adverbia respondent de Facto?

Ita,

Ita, sic, etiam, quippeni. Respondetur etiam per verba *Licet* & *Censeo*.

Quæ Adverbia quærunt de Causa?

52 Cur, quin, quianam. Queritur etiam per nomina *Quare*, seu *qua de re*, & *quam ob rem*.

Quæ Adverbia respondent de Causa?

Quia & quoniam, quod factum est, ex *Quom*

52 *Cur*, *quin*) Ista non sunt *nativa* adverbia, sed *repetita*, sivè ut Grammaticè loquar, *usurpata*. A natura enim, sivè primigenia significatione *cur*, est *cure*, sicut ex prisco *cume* factum est *cum*, ex *Sine*, prò, *Si non*, factum est *Sin*. *Cure* autem est *cui rei*, in ablativo casu, qui ut supra demonstravi, dativo erat similis: *i* porro in utraque voce omissum fuit Græcorum imitatione, ut in *musa* pro *musai*, supra contigisse dixi. Veteres scribebant *quor*, pro *quore*, id est, *quire*, seu *quare*; nam *quis*, ut dixi, omnium erat generum. Idem ergo prorsus sunt naturà & significatione *cur* & *quare*, & utrobique subauditur præpositio *de* vel *in*. Plautus Pœn. act. 1. sc. 2. *Nimia nos secordia hodie tenuit*. *AD. qua de re obsecro? AN. quia non dudum ante lucem venimus*. Nepos in Thymol. *Dixit se in ea re maximas diis gratias agere, quod se potissimum ducem esse voluissent*. Potest tamen *cur* pro *cui rei* in dativo accipi, quomodo apud Plautum Pœn. act. 2. sc. 1. *Viscum legioni dedi & fundas; eo prasternebam folia farferi*. *LY. cui rei? AN. ne ad fundas viscus adhæresceret*; sicut *Sin*, est *Sine*. Jam *quin* est *qui ne*. Ubi *ne* significat *non*, ut *Ne recte loqui*. *Nemo*, pro, *ne homo*. *Nepurus*, pro, *non purus*. *Nescio*, pro, *non scio*. *Nequeo*, pro, *non queo*. *Qui* est ablativus, pro, *qua* vel *quò*, ut subaudiatur, *re* vel *modo*. Est ergo *quin*, idem quod *quare non*, *quo modo non*, vel absolutè *quo non*, ut *Nullus dies est, quin de te cogitem*. Sed quia *qui* & *quis* sunt omnium generum apud veteres, eo factum, ut *quin* significet etiam *qua non*. Plaut. Persa: *Mulier nulla erit, quin sit mala, qua reticet, si quid fieri perversè videt*.

jam seu *Cum jam*. Respondetur etiam per Nomina, *Eo quod*, 53 *ideo*, *ea re*, *hac re*, 54 *propterea quod*.

C *Quæ*

53 *Ideo*) Duo sunt nomina etsi usus fecit unum & adverbium: nam & *quomodo* duo sunt nomina. Cic. 12. ad Attic. 6. *Quomodo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris*. Plaut. Trin. act. 5. Sc. 1. *Quem ego magis amo, quam te. ST. quam me? quomodo? PH. hoc modo, ut molestus ne sis*. Similia sunt in Plauto plura. Nihilominus usu factum est, ut *quomodo*, adverbium fieret, adeoque ultimam ejus syllabam. Horatius corripit 1. Sat. 11. *Cum Victore sequor. Mæcenas quomodo tecum*. Similiter *postremò*, cum natura & origine sit nomen ablativi casus, usurpatione exiit adverbium, ut ex Juvenali discimus, qui postremam ejus literam corripit. Ita & *siquidem* duæ sunt particulæ, usu tamen in unam coaluerunt, ut ex hoc Ovidii versiculo apparet: *Quæ mihi ventura est, siquidem est ventura senectus*. In hanc sententiam scribit Serv. in Æneid. 5. *Jam usus obtinuit, ut Hactenus, pro una parte habeatur. Ergo adverbium est, Omnis enim pars orationis, cum desierit esse, quod est, in adverbium migrat*. Id. in Georg. 1. nomen *supellex* ait esse *usurpatum*, quia scilicet usu fuerit introductum contra regulas artis, per quas rectum est, *hac supellectilis*. Similiter in Georg. 3. *Lea* dicit esse *usurpatum*: nam *Leæna esse Græcum, Latinè autem dici, hic* & *hæc leo*, ut tamen velut monui, in *hæc leo*, subaudiatur *fœmina*. Nimirum quod de verbis ait Cicero, alia eorum *nativa* esse, id est, quæ significata sint primo sensu, alia *reperta*, quæ ex his facta sunt: idem in verborum significationibus valet, ut aliæ sint nativæ vel primigeniæ, aliæ repertæ vel usurpatæ, quas usus nonnihil à natura sui primaque origine detorsit. Ita *quum* seu *cum* & *quod*, natura sunt duo nomina relativa, cum quibus præpositio *ad* subauditur, velut in Annotationibus *Paradigmatum* monui. Usus tamen fecit particulas, id est, vel adverbia, vel conjunctiones, quod ipsum in *magis*, *satis*, & *nimis* contigisse dixi. Quemadmodum

dum enim veteres indifferenter *potis* & *pote* de masculinis, fœmininis & neutris, tam pluralis, quam singularis numeri dicebant (quod in *Thesauro Scioppiano* id est, in Commentariis de lingua Latina multis auctorum exemplis confirmatum videbis) similiter nullo generis, aut numeri discrimine *nimis magis* & *mage*, *satis* & *sate*, vel per *Apocopen*, *sat*, cum substantivis conjungebant, vel expressis vel suppressis. Cic. *Nimis insidiarum adhiberi videtur*, subaudi, *negotium* vel *res*, quasi esset: *Nimia res*, vel *nimium negotium insidiarum*, hoc est, *nimia insidia*. Idem: *Non nimis me, sed alios admodum delectant litera illius*. Ubi *nimis* est, *ad nimis negotium*, vel *ad nimium*, sivè *in nimium negotium*: nam *nimium* sicut in *plus*, plerumque præpositio κατα', id est, *in*, *ad*, vel *in* vel *circa*, vel *secundum*, subauditur, quod ipsum in *plurimum*, *multum*, *tantum*, *quantum* (ex quo per contractionem *tam* & *quam* fecerunt) similiterque in *id*, *quid*, *quicquid*, *aliquid*, *nihil*, *melius*, *pejus*, *citius*, *parum* & *paulum* usu venit. Utrovis ergo modo per præpositionis *Ellipsin* dicitur, *Tempus nimium longum*, & *nimio longum*. Valet enim illud, *ad nimium negotium*, hoc autem *à nimio negotio*: id est, *quod ad nimium negotium attinet*. Cicero: *Hoc exiguum tempus, quod mihi tamen nimium longum videtur*. Plaut. *Nimium libenter edi sermonem tuum*. Idem *Vixisse nimio satius est, quam vivere*. Nævius Agitatore: *Nimio arctè colligo*. De *plus* exempla sunt, Cic. *Plus annum obtinere provinciam*, pro *ad plus templus*. Terent. *Ut cum matre plus esset una*. Similiter ut idem: *Ibi plurimum est*, pro, *ad plurimum*, vel *per plurimum tempus est*. In hoc Ciceronis, *Plus virium habet alius alio*, subauditur, *negotium*. Plaut. *Dii plus plusque sospitent istuc quod nunc habes*, pro *ad plus plusque tempus*: pro quo dici poterat eadem *Syntaxi*, *magis magisque*. Sicut Catull. *Notescatque magis mortuus atque magis*. Cic. *Magis & magis de Gracia cogito*, pro, *ad magis tempus*: nam *plus* & *magis* nihil differunt. Itaque sicut in nominativo rectè dicitur, *Plus est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem*. Similiter dixit Cicero, *Magis est quod gratuler*. Ita *minus minusque*: Ter. Heaut. a. 3. s. 3.

Nam

Nam mihi jam minus minusque obtemperat. Eadem in *satis* & *sat* ratio est: quæ nihil aliud significant, quàm *sufficiens*. Cic, *Cethego de repub. satis suppeditabat oratio*. Ubi *satis*, est nominativus fæmininus singularis, sicut masculinus accusativus singularis apud Virgil. *Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco, Sufficit humorem*: & nominativus neutralis singularis apud eundem Cic. *Ipse Romam venirem, si satis consilium esset*. Item: *Hoc facere satis est*, pro, *satis negotium*. Plaut. *Quicquid est domi, id sat est habendum*. Cor. Nepos Epam. *Abstinentia erit hoc satis testimonium*. Plurale masculinum est in hoc Plauti: *Quatuor homines sunt satis*, pro, *sunt satis homines*, vel *satis hominum*. Plurale neutrum apud eundem Plaut. *Ut satis consilia suppetant*. Et Propert. *Cum satis una tuis insomnia portet ocellis Fœmina*. Et Virgil. *neque enim responsa dabantur fida satis*: Si tamen *satis responsa* dictum volumus: nam si placeat *satis fida*, valebit, *ad satis negotium*: quod minus incredibile judicabit, qui *tantum* & *multum* eodèm prorsus exemplo suppressa præpositione & nomine *negotium* usurpari noverit. Catull. *Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo Compar*, pro, *in tantum negotium*, sicut Virgil. *Ne puer Iliaca quisquam de gente Latinos, In tantum spe tollet avos, nec Romula tellus ullo se tantum tellus jactabit alumno*. Ubi *tantum* & *in tantum* indifferenter poni videmus. Liv. 22. 27. *In tantum suam virtutem enituisse*. Juvenal. *In quantum sitis atque fames & frigora poscunt*. Cicero: *Si me amas tantum, quantum profectò amas*, pro, *ad tantum* sive *in tantum*, *in quantum*. Plaut. *Multum amo illam*: pro, *in multum negotium*. Cæsar: *Neque multum frumento, sed maximam partem vivunt lacte*. Plin. 10. cap. 36. *Solutus columbarum volatus est in multum velocior*. Ubi etiam dici poterat, *à multo velocior*, & per *Ellipsin* præpositionum *multum* & *multo velocior*. Cic. *Multum omnibus gloria præstare*. *Multo magnus orator præstat minutis imperatoribus*. Sicut *paulum* & paulo, *aliquantum* & *aliquanto* indifferenter dicitur præpositionibus suppressis. Varro: *Nemini paulum modò humaniori ignotus* Plaut. *Multum improbiores sunt, quam à primo credidi*. Fabius 1. cap. 6. *Sed paulum superiores quod nos di-*

timus Jussi, *dixerunt Jusi*. Sallust. Jug. *Cum vinea paulò processerant*, *igni aut lapidibus corrumpebantur*. Terent. Heaut. *Paulò qui est homo tolerabilis*, id est, *etiam ille*, *qui est aliquanto tolerantior*, *commodior*, *patientior*. Ibid. *Aliquantum iniquior erat*. Livius: *Quantum magis patres plebi se insinuabant*, *eo acrius tribuni contra tendebant*. Idem: *Ad immensum augere aliquid*, pro quo dici poterat, *immensum*, ut Ovid. 5. Fast. de Orione: *Creverat immensum*. Et Tacit. *Euphratem nulla imbrium vi sponte & immensum attolli*. Rursum Livius: *Formam viri aliquantum humana ampliorem intuens*. Et lib. 42. *Dextra pars la*[illegible]*e terra in aliquantum altitudinis diruta erat*. Dictys, seu quisquis optimis temporibus bellum Trojanum descripsit: *Nostris multorum dierum navigatione in aliquantum exhaustis*. Etiam in *id*, *quid*, *aliquid*, *nihil*, præpositionem subaudiri nemo, nisi indoctissimus, dubitaverit, ut in his Livii: *Militibus nihil rempub. committendam esse*. *Nihil ordinum memores*. *Magister equitum nihil consulto dictatore evectus*. Et Plaut. *Apage amor*, *non places*, *nihil te moror*. Et Senec. *Pollio eos servos*, *qui se aliquid offenderant*, *in vivarium abjici jubebat*. Plaut. Curc. *Non est mirandum*, *melius si nihil sit tibi*, pro, *ad nihil*, *à nihilo*, vel *nihilo melius*. Ulpianus quidem præpositionem sic expressit leg. 1. §. 7. Dig. ne quid in flumine. *Si ea res cursum fluminis ad aliquid immutavit*. Eodem nempe modo *ad nihil*, *ad multum*, *ad plus*, *ad magis*, *ad nimis* vel *nimium*, *ad satis* rectè dixeris, quod quidem ad artis regulas attinet: quibus tamen meminisse oportet potentiorem esse Romanorum usum, quem ex libris auctorum discimus. Ita quod Cicero dicit, *Oratio nostra magnam partem ex Jambis constat*: præpositionem *ad* vel *in* suppressam habere ex eo intelligitur, quod sæpiùs idem habet: *Quod mea multum*, *tua nullam in partem interest*. *Non sentientis nihil est*, *quod ullam in partem intersit*. *Mea omnem in partem interest*. *Hac neutram in partem effici possunt*. *Me tibi in omnes partes defendendum putes*. Pro quibus alibi, *Nulla ex parte*, *omni ex parte*, *magna ex parte* dicere solet. Sic Ovid. 10. Met. de Mida: *Cætera sunt hominis*, *partem damnatur in unam*, *Induiturque aures len-*

Quæ Adverbia quærunt de Tempore?

Quando, quamdiu & quantisper.

Quæ Adverbia respondent ad Quando?

Hodie, heri, cras, pridie, postridie, perendie, nudius tertius, quartus, quintus, decimus, nunc, jam, nuper, tandem, aliquando, olim, pridem, dudum, tum, quum *vel* cum, interim, statim, protinus, illico, extemplo, actutum, repentè. Respondetur etiam per Nomina, 55 *Mane*, *sero*, *tempori*, *serius*, *temporius*, *ocyus*.

te gradientis aselli; ubi præpositio per *Ellipsin* eleganter omitti poterat. Livius 42. 3. *Ædem Junonis ad partem dimidiam detegit*: pro quo dicere poterat, *ex parte dimidia*. Sed ad *satis* redeo, quod nomen esse vel comparativus *satius* fidem fecerit. Priscianus lib. 15. *Nimis*, *quod etiam nimium dicimus*. *Satis*, *quod etiam loco nominis recipit*, *satius*. Et mox: *Satis*, *quia pro sufficiens accipitur*, *ideo habuit comparationem*, *satius*. Idem Cicero; *Plato hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinere noluit*: *multo ego satius hoc mihi faciendum putavi in Scævola*. Sed & *satior* apud Plin. legitur lib. 17. cap. 5. *Terra pulla erit optima*, *&* *operi satior*, id est, *melior*, *appositior*. Porrò in *ideo*, quod usu in unum vocabulum coaluisse dixi, *Pleonasmus* est: nam & *id* significat *ob id*, *propter id*, & *eo* significat *ab eo*, *ex eo*. Plautus. *Et id huc reverti*, *ut me purgarem tibi*. Idem: *Non es in senticeto*, *eo non sentis*, pro, *eo negotio* vel *nomine*, sicut *ea re*, *ea causa*: Varro: *Heliotropia flores vocant ab eo*, *quod ad solem semper spectant*.

54 *Propterea quod*) dicitur per *Syllepsin* numeri; cum per regulam rectum *Propter id quod*, Cui similis hæc Plauti: *Amor amara dat tibi satis quod ægrè sit*. Item: *Ego te de alia re resciviſſe censui*, *quod ad me attinet*. Item: *Potius quam istam à me operam impetres*, *quod postulas*. Item: *Si quid stultè fecit*, *ut ea missa facias omnia*. Item; *Quid negotii est*, *quamobrem mihi succenseas*. Et Varronis

Quæ Adverbia respondent ad Quamdiu, & Quantisper?

Tantisper, paulisper, aliquantisper, parumper, usque *pro* assiduò, diu, olim, dudum.

Quotuplicia sunt Adverbia, quæ quærunt & respondent de Loco?

Quintuplicia. Alia enim significant locum sine motu, alia motum ad locum, alia motum per locum

nis: *Deterrent à saliendo fiscellis e junco, aliave quare, quod alligant ad naturam.*

55 *Mane, sero, tempori.*) Ista natura sunt nomina, usu verò adverbia: nam *manus* & *manis* priscis significat *bonus*; cui contrarium *immanis*, id est, *minime bonus*, adeòque *sævus* seu *crudelis*. *Dii manes*, hoc est, *boni defunctorum spiritus*. *Mane tempus*, quòd *nox jam noctem pellit*. Persius: *Jam clarum mane fenestras intrat*. Cic. *Literas tuas Fesulanus multo mane mihi dedit*: sicut. *Multa nocte*. Plaut. Pœn. *A mani ut ad portum processimus*, id est, *postquam jam mane tempus*, seu *matutinum fieri cœpit*. Idem: *Hac pugna pugnata est ab usque mane ad vesperum*. In *serò* subauditur *tempore diei*. Apud Livium quidem legimus: *Castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere*. Sed adverbialiter usurpatur, cum legis, *Serò est*; pro, *res est in sero tempore*, sicut apud Plautum: *Nimis pœnè mane est*. Ex eoque posterior in *serò* sæpe à poetis corripitur, sicut etiam in *quomodo*, *postremo*, *medicando*, *vigilando*, quamvis ablativi sint: nec aliter in *exemplar*, & *calcar* postremam faciunt brevem, licet nomina sint adjectiva, per *Apocopen* facta ex *calcaare* & *exemplaare*, in quibus *negotium*, id est, *res* subauditur. *Tempori*, ablativus est pro *tempore*, ubi subauditur *in*. Plaut. *Alcumena auxilium in tempore feram*. Terent. *In tempore ad eam veni*, id est, *tempestive*, *attemperatè*, *cum tempus ipsum esset*: ubi Donat. *In tempore*, *oportune*, *nos sine præpositione dicimus*, *tempore & tempori*. Cicero: *Ego renovabo commendationem*, *sed tempore*, id est, *in suo tempore*, *cum suum tempus advenerit*.

cum, alia motum ex loco vel à loco, alia motum versus locum. *Plaut.* Merc. a. 5. s. 2. *Quo ego scio*, subaudi, *loco*. Sic, *quo*, pro, *qua in parte*, *propè*, *propius*, *proximè*, quæ sunt adverbia, non præpositiones.

Quæ Adverbia quærunt de loco sine motu?

Ubi & ut, pro *ubi* positum.

Quæ Adverbia respondent ad Ubi?

Hic, istic, illic, ibi, ibidem, inibi, intus, foris, utrobique, passim, supernè, infernè, infra, utrimque, undique, undiquaque, usquequaque, intus, subtus, necubi, ubiubi, alibi, neutrubi, ubivis, uspiam, usquam, nusquam (*pro quo plebs Romana dicebat*, *nullibi*) altrinsecus, utrinquesecus, extrinsecus, intrinsecus. Respondetur etiam per nomina, ut *Romæ*, *Toleti*, *Carthagini*, *Ægypti*, *Cypri*, *Ciliciæ*, *domi*, *belli*, *militiæ*, *humi*, *ruri* vel *rure*.

Quæ Adverbia quærunt de motu ad locum?

Quo. Sed hoc adverbium non est *nativum* adverbium, sed *repertum*, sive *usurpatum*: nam ex natura sua seu prima impositione est nomen accusativi pluralis a *quod*. Dicebant enim veteres *quo*, pro, *quæ*, & supprimebant præpositionem *ad*. Itaque *quo* valet *Ad quæ loca* vel *negotia*. *Quo mihi fortunam*, significat, *ad quid mihi fortunam*, sive *cui rei mihi fortunam?* nam *quo* dativus etiam est pro *quoi*, abjecto *i*, ut in Paradigmatum annotationibus monui.

Quæ Adverbia quærunt de motu versus Locum?

Quorsum, quod formatum est, ex *quoversum*, pro, *versum ad quo*, seu *quæ loca*.

Quæ Adverbia respondent ad Quo?

Istuc, huc, eò, illò, intro, utroque, aliò,

neutrò, versus, versum, *Liv.* Neutrò inclinata spe. Foras, quoquo, peregre, obviam, ultro, citro. Respondetur etiam per accusativos locorum præpositione expressa aut suppressa, ut *Eo Romam, in Romam. Venit Italiam. Ibo rus, domum, in domum, urbem, larem.* Nusquam. *Plaut. Capt. a.* 1. *s.* 2. Num quo foras vocatus es ad cœnam? R. nusquam. *Horat.* 2. *sat.* 7. Si nusquam es fortè vocatus ad cœnam.

Qua, est *in qua parte*. Itaque propriè significat quietem seu statum, non motum.

Quæ Adverbia quærunt de motu per locum? Qua.

Quæ Adverbia respondent ad Qua?

Hac, istac, illac, quaqua, quacumque, quavis, quaquaversus. Respondetur etiam per Ablativos locorum præpositione suppressa, ut *Tota vagatur Italia. Vehitur flumine* vel *per flumen.*

Quæ adverbia quærunt de motu ex loco? Unde.

Quæ Adverbia respondent ad Unde?

Hinc, istinc, illinc, indè, indidem, eminus, 56 cominus, aliunde, necunde, foris, unde unde, undecumque, utrinque, nusquam. Respondetur etiam per ablativos locorum præpositione expressa aut suppressa, ut *Lapsus cœlo, de cœlo. Venit Roma, à Roma, de Roma. Mercator Rhodo*, vel *de Rhodo. Vinum Chio*, vel *de Chio. Sargus Aegypto, de Aegypto*, id est, *Aegyptius*. Sic *Joannes ab Austria,* &

56 *Cominus*) Non nemo fortasse inter præpositiones utrumque casum regentes retulerit, propterea quod apud Propert. lib. 2. eleg. 19. legatur: *Non tamen ut va-*

vastos ausim tentare leones, Aut celer agrestes comminus ire sues. Et lib. 3. eleg. 1. *Fluminaque Æmonio comminus isse viro.* Nam priore loco per *Ellipsin* suppressa est præpositio *ad*, ut sit: *Ire sues*: sicut Virgil. *Sitientes ibimus Afros. Devenere locos latos.* In altero *ire viro* dictum est, quemadmodum *it clamor cælo*, quo exemplo alibi Propert. *Ut formosa novo qua parat ire viro.* Cæterum Servius in illud Virg. 1. Georg. *Quid dicam, jacto qui semine comminus arva Insequitur*: monet *comminus* non significare *ex propinquo*, *sed statim, sine intermissione, qui significatus* (ait) *frequentissimus est in Cisalpina Gallia. Vulgo enim dicunt: Vade ad eum, sed comminus. Unde Virgilius magis patriam consuetudinem videtur secutus. Veteres enim non in tempore, sed in loco comminus ponebant, id est, juxta, cui contrarium est eminus, id est, longè.* Nempe si Servio credimus, Virgilius Mantuanè potius, quam Romanè locutus est. Cujus eum culpæ idem reum agit in hoc versu: *Urgeri volucrum raucarum ad littora nubem. Raucum* (ait) *τὸν μέσον* est, *sicut grave olens. Sciendum tamen Virgilium secundum morem provinciæ suæ locutum, in qua bene canentes, cygni rauciores vocantur.* Sed in hoc quærat Grammaticus, cui persuadeat. Ego quidem Luciano subscribo, qui *raucam* & *insuavem* cygnis ex æquo omnibus *vocem* tribuit. Iterum Servius in illa Virgilii: *Latus hausit apertum. Quidam* (inquit) *Italicam elocutionem putant. Cum enim à latere quis aliquem adortus gladio occidit, Hausit illum, dicunt.* Idem Italicum vulgare, non Latinum esse ait *Zemas*, quod significat *ollas areas*, pro quibus Virgilius Græcè *Lebetas* dixerit: Sicut etiam *Cyma*, pro, *vertice montis* Charisius vulgaris linguæ esse ait, non Latinæ, similiterque *Pastillus* & *Sylli*. *Cyma* vel *cuma* (sic enim veteres scribebant & pronunciabant.) Hispanis est *cume* & *cumbre*, sicut *home* & *hombre*, *nome* & *nombre*. Itali hodie quoque *Cima* vulgo dicunt. Ita *Ploxenum* Catulli Transpadanum erat vocabulum, ut lib. 5. cap. 5. testis est Fabius, *qui omnia Italica pro Romanis habere se testatur*, eoque ipso advocationem Virgilio adversus Servium commodat.

& *de Austria*, id est, *Austrius*, quod nequaquam est nomen proprium sed commune possessivum. Sic *Cn. Magius Cremona*, pro *Cremonensis*. Sed si ablativus sit personæ, præpositio exprimenda est, ut *Unde emisti? à mercatore, de mercatore. Unde didicisti? à te, de te, ex te.*

Quæ Adverbia respondent ad Quorsum?

Horsum, istorsum, sursum *vel* susum (priscè *sus*, ut in *sustineo*) deorsum, rursum, (*Rusum* & *rususum* dicebant, sublata R litera. Velius Longus.) prorsum, dextrorsum, lævorsum, sinistrorsum, aliorsum, retrorsus, introrsus, quoquò versus, 57 vænum, 58 pessum: quæ duo postrema natura sunt nomina.

Quæ Adverbia quærunt promiscuè tam de Loco, quam de Tempore?

Quousque: etsi hæ natura duæ sunt voces, deestque *ad loca* vel *tempora*, ut integra oratio sit: *Usque ad quo*, vel, *quæ loca*, aut *tempora*.

Quæ Adverbia respondent ad Quousque?

Hucusque, illucusque, eousque, hactenus, etsi in istis

57 *Vænum*) Nomen esse accusandi casus, in quo præpositio *ad* subaudiatur, nullum mihi est dubium. Tacitus enim sine dubio veterum exemplo in dandi casu *væno* posuit, Annal. 14. 15. *Exstructa conventicula & caupona, & posita væno irritamenta luxus*. Et in ablativo, Annal. 13. 51. *Militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ væno exercerent*. Apulejus alios fortasse auctores secutus, *vænui* dixit libro 9. Asini: *Altera die productum me rursum voce præconis vænui subjiciunt*. Hinc apparet, *væneo* factum esse ex *vænum eo*, quod est, *ad vænum eo*, sicut *mercatum eo*, & *ad mercatum eo*. Plaut. Merc. prolog. *Pater ad mercatum me meus misit Rhodum. Dico esse iturum me mercatum, si ve-*

iſtis ſunt nomina, pro *uſque adhuc*, id eſt, *hot temporis* vel *loci*, *uſque ad illud temporis & loci*, *uſque ad eo*, id eſt, *ea tempora* vel *loca*, *hac fine tenus temporis aut loci*. Sic *Romam uſque* pro, *uſque ad Romam*. Nuſquam de loco: *Terent. Heaut. a.* 2. *ſc.* 3. Hinc ſciri potuit aut nuſquam alibi, quo ſtudio vitam te abſente exegerit. *Corn. Nepos Miltiad.* Auxilium nuſquam, niſi à Lacedæmoniis, petiverunt.

Quæ Adverbia quærunt de Tempore & Numero?

Quoties.

Quæ Adverbia reſpondent ad Quoties?

Sæpe, identidem, plerumque, quotidie, toties, nunquam, unquam, ſemel, bis, iterum, ter, quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, novies, decies,

ſi velit. Ibid. act. 2. ſc. 3. *Illam trans mare hinc vanum aſportet*. Ex *vanum dare* factum eſt *vendere*,

58 *Peſſum*.) *Ex Panſus* factum fuit *paſſus*: nam Agellius lib. 14. cap. 15. & 15. c. 13. & Servius in Æn. 1. mentiuntur, dum à *pando panſus* dictum negant. Lucretius enim lib. 1. *Diſpanſus* dixit: *Veſtes diſpanſa in ſole ſereſcunt*. Non aliter quam à *ſcando*, *ſcanſum*, à *tundo*, *tunſum* dicebant. Plautus tamen *diſpeſſus* dixit pro *diſpaſſus*, ſimiliterque *Paſſo velo*, & Virgil. *Crinibus paſſis*, Ennius & Cæſar *paſſis palmis*, pro manibus expanſis. Ad hoc exemplum a *pendo* factum fuit *penſus*, ex eoque *peſſus*; quod eſt *gravis*, *ponderoſus*. Plaut. Stich. *Ultra conditio eſt penſior, virginem an viduam habere?* id eſt; *utra plus pendit*, *utra prægravat*, *præponderat*. Hinc *penſum* ſeu *peſſum ire*, pro, *deorſum*, quia graviora pondere ſuo deorſum feruntur. Cicero, *Verbis aliquem peſſum dare* dixit, Fabio teſte, pro *affligere*, *perdere*. Plautus: *Peſſum premere*.

cies, vicies, tricies, quadragies, quinquagies, sexagies, septuagies, octogies, nonagies, centies, ducenties, millies. *Multoties* non dicitur, nec enim usquam apud auctores invenitur, nisi in Livii epitome incerti auctoris, ubi & alia non satis Latina leguntur.

Quæ sunt Adverbia Affirmandi?

Næ, certè, nimirum, nempe, scilicet, videlicet, verè, sanè, profectò.

Quæ sunt Adverbia Negandi & Prohibendi?

Non, ne, neque, nequaquam, haud, haudquaquam, neutiquam, minime.

Quæ sunt Adverbia Jurandi?

Herculè, Herclè, meherclè, pol, ædepol, ecàstor, medius fidius.

Quæ sunt Adverbia Qualitatis?

Benè, pulchrè, eleganter, longè, latè, audacter, fortiter, celeriter, vicissim, amanter, dolenter, potenter, fraudulenter, arroganter, dissimulanter, obedienter, latenter, largiter, liberaliter.

Quæ sunt Adverbia Quantitatis?

Valde, oppidò, 59 oppidoquam, nimis, satis, impense, 60 parum, affatim, abunde, perquam.

Quæ

59 *Oppidoquam.*) Vitruvius lib. 8. cap. 3. *Fonticulus oppidoquam parvulus.* Utitur & Agellius, eoque haud paulò doctior in Scoti duntaxat senticetis Theologus ille, cujus liber ita inscriptus exstat: *Oppidoquam Reverendi Patris, Fratris Johannis Thomæ Tomaceti Minoritæ Conventualis, Baccalaurei formati, Quæstiunculæ & Expositiunculæ in doctissimas & subtilissimas Formalitates Johannis Duns Scoti, Doctoris subtilis.*

60 *Parum.*) Natura nomen est, in quo subauditur *ad*, sicut in *paulum*. Utrumque verò factum est ex Græco παῦρον: nam extrita ν exiit *parum*, & ρ, in λ, muta-

Quæ sunt Adverbia Comparandi.
Magis, 61 tam, quam, æquè, secus.

Quæ

mutato *paulum*: transpositis verò literis, *parvum*. Cicero: *Parum est, quod homines fefellisti*, subaudi, *negotium*, Idem: *Parum meministi quid concesseris*, pro, *ad parum*. Idem: *Parum multi*, pro, *pauci*. *Parum sæpe*, pro, *rarò*. Eadem Syntaxis est in *paulum humanior*, *aliquantum augustior*. Lucretius *parvum* dixit, pro eo, quod est *paucum* seu *pauxillum*: *neque enim umquam est penuria parvi*: id est, *parum* seu *paulum numquam deest*: quo modo Livius 10. 45. *Ut parvo admodum plures caperentur*: pro, *paulo plures*, qui etiam lib. 35. 11. *equi hominesque paululi* dixit, pro, *parvuli*, *exigui*. Cicero: *Paulum novi allatum est*. *Paulum abesse*. Terent. *Parum interest*. Itaque *parum*, *parvum*, & *paulum* nec origine sui, nec significatione differunt.

61 *Tam*, *Quam*.) Etiam ista prima sui origine nomina sunt, sed usus fecit adverbia, vel conjunctiones: ex *tantum* compendio fecerunt *tam*, ex *quantum* verò *quam*. Itaque significatione nihil inter se differebant, & in utroque præpositio *ad* vel *in* subaudiebatur. Cicero: *Hic tam imbecillus, quam videtis*: pro, *in tantum*, *in quantum videtis* Asco. Ped. in Divin. in Ver. *Tantum mihi divinitas faveat*, *quantum verum est illud*, *quod dico tibi*. Ter. Hec. *Non verbis dici potest tantum*, *quam re ipsa navigare incommodum est*. Ubi *quam* est *quantum*, sivè *in quantum*. Plaut. *Scio quàm sit sævus*, pro, *in quantum sit sævus*. Terent. Adel. *Eamus*, *namque hic properat in Cyprum*. *SA. ne tam quidem*, *quamvis etiam maneo otiosus hic*. Ubi Donatus: *Tam*, pro *tantum*. Et *quamvis*, pro, *in quantum vis*. Integra ergo oratio est: *Ne in tantum quidem negotium propero*, *in quantum tu me properare dicis*. Cicer. *Hic quàm volet Epicurus jocetur*, *homo non aptissimus ad jocandum*, pro, *quantum*, sivè, *in quantum volet*. Sæpe apud Plautum & Terentium legitur, *quantum potes* vel *potest*, pro, *cito*, *subito*, *quanta maxima fieri potest celeritate*. Ubi Donatus *citò* subaudiri monet, ut sit, *quan-*

quantum potes, *citò abi*. Plaut. Perf. *Ire hinc volo quantum potest*: pro, *quantum citò pote est*: sed verius est subaudiri *tantum*. Plaut. Aul. *Domum me quantum potero, tantum recipiam*, pro, *In tantum citò me recipiam*, *in quantum potero*. Idem Mil. *Ego quantum citius possum, mihi navem paro*, ubi nullo discrimine *citò* & *citissimè* dici poterat. Idem Most. *Tu ut occepisti tantum quantum quis fugies*. Liv. 37. 20. *Ipse cum turma sua quantum potuit effusissimis habenis stationem hostium invadit*. Eodem sensu dicitur, *quàm potes*. Plaut. Milit. act. 3. sc. 1. *Quàm potes, tam verba confer maximè ad compendium*. Sic ex *quantum magis*, fecerunt, *quàm magis*. Livius 3. 15. *Quantum juniores patrum plebi se magis insinuabant*, *eo acrius contra tribuni tendebant*. Plaut. Asin. act. 1. sc. 3. *Quàm magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert*. Livius sæpe cum superlativo *quantus* & *quam* ponit, nullo discrimine, ut lib. 28. 1. *Quantis maximis potuit itineribus prægressus*. Et lib. 22. 6. *Sublatis raptim signis quam citatissimo poterant agmine se abripuerunt*. Ita quod Terentius dixit in Andr. *Rejecit se in eum quàm familiariter*: potuisse aliter dici, *Quantum familiariter*, ex hoc Plautino patet Amph. act. 1. sc. 1. *Nescio quantum tu familiaris sis*. Hinc etiam ex *quantum quantum* factum est *quamquam*: ex *tantum quantum*, *tamquam*. Cic. *Quamquam abest culpa*, *suspicione tamen non caret*, pro, *in quantumcumque abest*. Terent. *Quamquam est scelestus*, *non committet iterum ut vapulet*, pro, *quantumcumque scelestus est*. Cic. *Ut istum tamquam si esset consul*, *salutarem*, pro, *tantum salutarem*, *quantum si esset consul*. Idem: *Apud eum sic fuit tamquam domi meæ*. Ubi *sic* per *Pleonasmum* abundat, quemadmodum in hoc ejusdem: *Sicut aliis in locis parum virium veritas habet sic in hoc loco falsa invidia imbecilla esse debet*. Et *ita* in isto; *Hæc sicut exposui*, *ita gesta sunt*, pro, *sic gesta sunt*, *ut exposui*. Neque verò, *quam quantum* aliud est, ac *quantum quantum*, seu *quantumcumque*. Plaut. *Oratio hujus pluris est*, *quam quanti emta est*, pro, *quanti quanti æris pretio empta est*, *tamen pluris est hujus oratio*. Cicer. *Sexies tantum*, *quam quantum satum sit*, *ablatum esse*, pro, quan-

Quæ sunt Adverbia Similitudinis?

Ut, uti, velut, veluti, sic, sicut, sicuti, ita, item, itidem, quasi, ceu, quomodo.

Quæ sunt Adverbia Intendendi?

Prorsus, penitus, omnino, apprimè, non modò, nedum, immò, 62 quin.

Quæ

quantumcùmque satum sit, tamen sexies tantum ablatum esse. Idem: *Majorem pecuniam Prætori pollicetur, quam quantum tu dedisti*: pro, *quantamcumque tu pecuniam dedisti, ille tamen majorem pollicetur*. Ter. Phor. a. 5. s. 7. *Heus quanta hæc mea paupertas est, tamen adhuc unum hoc curavi, ut mihi esset fides*, pro *quantacumque*.

62 *Quin*.) Aliàs interrogat aliàs intendit sivè auget, aliàs hortatur, cum factum sit ex *qui ne* seu *qui non*. Plaut. *Quin vocasti hominem ad cœnam?* pro, *qui non*, seu *cur non*? Terent. *Quid stas lapis? quin accipis?* Idem: *Quin tu hoc audi*, pro, *audi me tu, quid ni?* Idem: *Quin tu uno verbo dic quid est*, pro, *uno verbo* (quid ni) *dic quid est*. Idem. *Quid nunc agimus? GN. quin redeamus, jam hæc tibi aderit supplicans*. Ubi Donatus, *Quin*, pro *immo*, quasi esset; *Redeamus, & quid ni?* Idem: *Quin Pythias tu me servato*. Ubi Donatus: *Quin* pro *immo*. Cicero. *Credibile non est, quantum scribam die, quin etiam noctibus, nihil enim est somni*; quasi dicat: *Quid ni die multa scribam, cum scribam etiam noctibus?* Tandem *quin* relativum est, ita ut *qui* significet *quomodo*, *ut*; vel etiam absolute *quo* vel *qua*. Plaut. *Numquid causa est, quin te in pistrinum condam?* pro, *qua causa non te condam?* Cic. *Nullus dies est, quin domum meam veniat*, pro, *qui die non veniat*, ut Plaut. Men. *Vis conclamari auctionem fore qui die? ME. die Septimi*. Cic. *Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus*, pro, *ut non sim, quomodo non sim miserrimus*. Idem: *Causa nihil dico quin ita sit*, pro: *qui ne*, seu *cur non ita sit*. Idem: *Facere non possum, quin ad te mittam*. Terent. *Effice qui uxor detur tibi: ego id agam, mihi qui ne detur*. Ubi Donatus: *Qui*, pro, *quemadmodum*, & *ne*, pro *non*.

Quæ sunt Adverbia Remittendi?

Sensim, paulatim, pedetentim, vix, ægrè, pænè, ferè, fermè.

Quæ sunt Adverbia Hortandi?

Eia, age, agite, agedum, ehodum, quin.

Quæ sunt Adverbia Congregandi?

Simul, 63 una, pariter, conjunctim, generatim universim, universaliter.

Quæ sunt Adverbia separandi?

Seorsum, seorsus, separatim, privatim, egregiè.

Quæ sunt Adverbia Excludendi?

Tantummodo, solummodo, modò, demum, duntaxat.

Quæ sunt Adverbia Eventus?

64 Fortè, fortuitò, temerè.

Quæ

63 *Una.*) Usus fecit adverbium ex eo, quod fuit *una opera*, vel *eadem una opera*. Plaut. *Jubes ut te defraudem. Jubeas una opera me piscari in aere*: pro quo, per *Ellipsin* dicere poterat, *Jubeas una me piscari*. Idem: *Rogat te hera, ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas*: pro, *una cum palla*. Idem: *Qua opera credam tibi, una opera alligem canem agninis lactibus*, pro, *si crederem tibi, simul canem intestinis alligarem*. Livius 28. *Una & me trajecisse audietis, & ardere bello Africam, & obsideri Carthaginem*, pro, *una opera*. Cic. *Si mei consilii rationem cognoverit, una & id, quod facio, probabit, & in hac causa putabit*, &c. Usu tamen, ut dixi, factum est adverbium, significatque *simul*. ut Cic. *Cum essem unà cum eo in turba*. Terent. *Filius cum illis unà aderat*.

64 *Fortè, fortuitò.*) *Forte*, est ablativus à *fors*, quæ est *fortuna*, idemque significat quod *casu*. Horat. *Qui fit Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa contentus vivat?* Plaut. Men. Prolog. *Rus ut ibat*

Quæ sunt Adverbia Moris?

65 Meatim, tuatim, suatim, pro *meo*, *tuo*, *suo more*. Prisci, canatim, suatim, bovatim dicebant, pro *canum*, *suum*, *boum more*. Humanitus pro *hominum more*. Urbanatim, rusticatim, catervatim.

Quæ sunt Adverbia Principii & Originis?

Radicitus, stirpitus, 66 funditus, divinitus, antiquitus, quasi sit incipiendo *à radice*, *à stirpe*, *à fundo*, *à Deo*, *ab antiquo*.

Quæ sunt Adverbia Dubitandi?

Fortasse, fortassis, fors, forsean, fortassean, 67 forsit, forsitan, forsfuat.

D DE

ibat fortè, ut multum pluverat. Terent. *Forte fortuna adfuit hic meus amicus*. Cic. *Aut casu, aut forte fortuna fieri*. Idem: *Cum casu decedens è provincia Puteolos fortè venissem*. In *fortuito*, subauditur *casu*. Livius 34. *Ne quo casu intercepta litera palam facerent conata*. Ubi dici poterat, *Ne fortuito intercepta litera*. Cicer. *Non repentina aliqua voluntate, neque fortuito incidere ad aliquid agendum*. *Fortuitu* verò merum est adverbium. Cicer. *Casu & fortuitu navis in portum incolumis delata est*.

65 *Meatim, tuatim.*) Plautus Amph. act. 2. sc. 1. *Jam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides*, Sergius in Donat. | *Meatim nihil est aliud nisi meo more*. *Tuatim, tuo more*. Nonius Marcellus: *Canatim, suatim, bovatim, canum & suum & boum genere*. Id quod Nigidii Figuli verbis probat. Idem Lucilii hunc versum laudat: *Longior hic, quam grus, grue tota cum volat olim*. Ubi tamen fieri potest, ut Nonius fuerit more suo, aut *suatim* alucinatus, scripseritque Lucilius: *Gruvatim cum volat olim*, hoc est, *ut grues solent*. Ita *Luvit*, pro *luit*, Lucil. & *Pluverat* Plautus, pro *pluerat*.

66 *Funditus.*) Lucret. valet *ad fundum*, sed id est ex iis quæ dicuntur *singularia*.

67 *For-*

DE CONJUNCTIONE.

Quid est Conjunctio?

Est vox expers numeri, qua orationes conjunguntur, ut *Vir bonus* & *doctissimus*. *Homo præstantis ingenii & insigni virtute*. *Non ruri, sed Romæ vivit*.

Quot modis dividuntur Conjunctiones?

Duobus. Ratione significationis seu potestatis, & ratione collocationis.

67 *Forsit, forsitan.*) Plures voces in unam concreverunt, quasi esset, *An fors sit* vel *fuat*. Lucret. 6. *Forsit & Æthiopum penitus de montibus altis crescat*: pro *fors*, seu *fortuna sit ut crescat*, *posset esse fors* seu *casus talis ut crescat*. Propert. 2. eleg. 9. *Iste quod est, ego sæpe fui, sed forsit in hora, Hoc ipso ejecto carior alter erit*. Horat. *Dissimile hoc illi quia non ut forsit honorem, Jure mihi invideat quivis*. Virgil. *Forsit vota facit, cumulatque altaria donis*. Idem: *Forsan & hæc olim meminisse juvabit*. Idem: *Forsitan & Priami fuerint quæ fata requires*. Varro 3. rei rust. 6. *Discessit Fircellius, qui secus si quid diceres de iis, gentilitatis causa fortasse an tecum duceret serram*. Ita ibi legendum, cum in veteri codice sit *diceres*. Sensus est: *Si quid secus diceres de pavonibus, & præsens esset amicus noster Fircellius Pavo, tum pro pavonibus, tamquam suis gentilibus & agnatis, fortasse tecum contenderet*: quod alii commenti sunt, *Tecum serram duceret*, id est, *laboris esset particeps*, prorsus est ἀπειωσδιόνυσον. Idem Varro lib. 3. cap. 16. *De fructu hoc dico: quod fortasse an tibi satis sit*. Terent Hec. *Quod faciendum sit post fortasse, idem hoc nunc si feceris. SO. fors fuat pol.* Ubi Donatus: *Fortuna faveat, quasi τῷ εὐφημισμῷ adversus triste dictum usa est: nam Fors, fortuna bona est*. Et *fuat*, significat *sit*: quasi esset: *Bona fortuna sit per Pollucem*. Ausonius veterum sine dubio imitatione in Epist. ad Probum: *Fors fuat, ut si mihi vita suppetet, aliquid rerum mearum expoliam*.

Quotuplex est Conjunctio ratione significationis?

Multiplex, ut *Copulativa, Disjunctiva, Conditionalis, Adversativa, Concessiva, Illativa,* & *Causalis.*

Quæ sunt Conjunctiones Copulativæ?

Et, que, ac, atque, quoque, etiam, quum, seu cum, tum.

Quæ sunt Conjunctiones Disjunctivæ?

Aut, vel, ve, sive, seu, an, necne, nec, neque.

Quæ sunt Conjunctiones Conditionales?

Si, sin, ni, nisi, modò, dum, dumtaxat, siquidem, hactenus.

Quæ sunt Conjunctiones Concessivæ?

Quidem, equidem, sane, etsi, quamquam.

Quæ sunt Conjunctiones Adversativæ?

At, ast, sed, atqui, tamen, tamenetsi, tametsi, autem, attamen, verò.

Quæ sunt Conjunctiones Illativæ, quas scilicet ratio præcedit?

68 Ergo, igitur, itaque, idcirco.

68 *Ergo.*) Natura nomen est ablativi casus à Græco ἔργον, quod *opus* significat. Cicero: *Donare aliquem virtutis ergo*, pro, *causa*, *gratia*. *Virtutis hoc* ἔργον sivè *opus*, sivè *gratia* est, *quod donatur: virtutis opere fit, ut donetur* Virg. *Illius ergo venimus*, pro, *illius causa* sivè *opere: illius opus est adventus noster: ille fecit ut veniremus.* Festus: *Ergo correptum, significat idem, quod apud Græcos οὖν, id est, igitur: productè, idem quod* χάριν *hoc est, gratia, cum scilicet gratia intelligitur pro causa.* Sed etiam *igitur*, pro, *ea gratia, ea causa, ideo*, poni solet. Plaut. Epid. *Æquum fuit homines speculum habere igitur, perspicere ut possent cordis copiam.* Idem Pœn. *Agite, dicite mihi quæ vobis dixi igitur, ut sciam vos scire rem.* Idem Asin. *Abiisti ad forum igitur inveniendo argento, ut fingeres fallaciam.* Idem Amphit. *Certum est confidenter hominem contra colloqui igitur, qui possim videri huic fortis.*

Quæ sunt Conjunctiones Causales, quas scilicet ratio sequitur?

Nam, namque, enim, enimvero, etenim, quia, quoniam, siquidem, quippe, utpote.

Quotuplex est Conjunctio ratione Collocationis?

Triplex. Alia est *Præpositiva*, quæ in orationis principio ponitur: alia *Postpositiva* seu *Subjectiva*, quæ uni aut pluribus vocabulis jam positis subjicitur: alia *Media* seu *Communis*, quæ aliàs præponitur, aliàs subjicitur.

Quæ sunt Conjunctiones Præpositivæ?

Et, ac, atque, nec, si, etsi, quamquam, at, ast, aut, vel, nisi, seu, &c.

Quæ sunt Conjunctiones Postpositivæ?

Enim, autem, verò, que, quoque, quidem, ne, ve.

Quæ sunt Conjunctiones Mediæ?

Ergo, igitur, itaque, equidem, quia, quoniam, tamen.

DE INTERJECTIONE.

Quid est Interjectio?

Est vox expers numeri, varios animi motus sive affectus exprimens.

Quotuplex est Interjectio?

Duplex: Alia uni tantum affectui præcipuè, alia pluribus exprimendis inservit.

Quæ Interjectiones unum præcipuè affectum exprimunt?

Evax, eu, io, evohæ, *exprimunt gaudium.*

Ha, ha, he, *exprimit gaudii effectum, qui est* Risus.

Euge,

Euge, eugepæ, *exprimit voluptatem gratulantis.*
Hui, *exprimit voluptatem insultantis, & irridentis.*
Papæ, *exprimit voluptatem admirantis.*
Heu, cheu, ah, *exprimunt dolorem.*
Hoi, oh, oh, *exprimunt seu comitantur fletum, doloris effectum.*
Hem, ehem, hau, *exprimunt stomachum* sivè *indignationem.*
Utinam, *exprimit cupiditatem optantis.*
Heus, eho, *exprimunt cupiditatem vocantis.*
Eja, *exprimit cupiditatem blandientis.*
En, ecce, eccum, ellum, *exprimunt cupiditatem demonstrantis.*
Atat, *exprimit metum in genere.*
St, au, *exprimunt metum timentis ne ab alio audiatur.*
Phy, phuy, apage, *exprimunt metum aliquid fastidientis* vel *aversantis.*

Quæ Interjectiones pluribus affectibus serviunt?

O, *servit gaudio, dolori, exclamationi & optationi,* seu *voto.*
Hei, *servit dolori & minis,* seu *diris* aut *imprecationibus.*
Vah, *servit voluptati admirantis & irridentis,* tum *dolori indignantis.*
Ohe, *servit stomacho seu tædio ob dictum aut factum alicujus, & cupiditati ejus, qui ab eo dicto aut facto cessari expetit.*

69 DE GENERE NOMINUM

Regulæ Generales.

De Genere Significationis.

70 FÆmina masque genus nullo monstrante docebunt.

Pro-

69 Illud inprimis acriter advertendum monet Sanctius & sæpe pueris inculcandum, propter sola adjectiva reperta esse in substantivis genera: nam si adjectiva non essent (ait) aut si omnia unius essent terminationis, ut *Felix*, *par*, *oriens*: nulla esset apud Grammaticos de genere præceptio. Grammaticus enim in substantivis solummodo quærit genera, propter adjectivorum terminationes. Cum enim dicimus, *Revereor patrem*. *Ne lædas hominem*. *Abige canem*: non refert, cujus sit generis, donec addendum sit adjectivum. Huic consequens est, genus in illis nominibus non esse quærendum, quæ adjectivis adjungi non possunt, qualia sunt, *Ego*, *tu*, *sui*, & *Deorum* ac *hominum*, *urbium*, *insularum*, *montium*, *navium* & *fabularum* nomina propria. Si enim dicas: *Tu es doctus*, *sed Cicero est doctior*; adjectiva *doctus* & *doctior* non conjunguntur, cum substantivis *tu* & *Cicero*, sed cum nomine *homo*, quod subauditur. Sic *Cicero est disertus*, subaudi *homo*. *Roma est sancta*, subaudi, *urbs*. *Mediolanum est magna*, supple, *urbs*. *Argi aptum equis*, subaudi, *oppidum*. *Flavus Albula*, subaudi, *fluvius*. *Altus Ætna*, subaudi, *mons*. *Magna centauro vehitur* subaudi, *nave*. *Terentiana Eunuchus*, supple, *fabula*. Arist. in Metaphys. *Singularia*, inquit, *non suscipiunt determinationem*, *quia de pluribus non affirmantur*. Et rursum: *Natura notius est*, *quod plurimum entis habet*, id est, *veritatis*. Itaque species notior genere, natura; & minus universale, magis universali: nam magis uni-

ver-

Propria cuncta *virum*, *fluviorum* & nomina *montum*.
Mascula censentur: nullum tamen est genus illis.
Insula, *navis*, *avis*, *gemma*, *urbs*, *arbor*que, *poema*.
71 Fœmineis dantur, sed causa significati.

D 4 72 Non

versale in minus universali reperitur, & aliquid aliud. Est enim *animalis* substantia animata, sensibilis. *Hominis* verò substantia animata, sensibilis, rationis particeps. Hebræi præterea notant, ideo nomina propria non recipere articulos, quia satis per se declarentur. Si ergo articulos non recipiunt, ab eadem causa nec adjectivis adhærebunt. Hanc propriorum rationem multa sequuntur appellativa: illa inquam, quæ sub aliquo genere continentur, ut *arborum*, *avium*, *gemmarum*, *herbarum* & *literarum nomina*, ut *Oleaster dura*, *laburnum magna*, subaudi, *arbor*, cum ex regula terminationis *oleaster* sit masculinum, *laburnum* neutrum. Sic *sola bubo*, subaudi, *avis*. *Carbunculus ignita*, subaudi, *gemma*. *Pulegium odorata*, subaudi, *herba*. O *rotunda*, subaudi, *litera*.

70 *Fœmina masque genus.*) Hæc regula tantum ad hominum officia pertinet, latissimè sumto officii nomine, ut *Pater*, *mater*, *gener*, *soror*, *frater*, *avunculus*, *matertera*, *socer*, *socrus*, *dux*, *testis*, *scriba*, *eunuchus*. Nomina verò cæterorum animalium, ut *Equus*, *mula*, *aquila*, *mus*, *aries*, ad terminationes sunt referenda, id est, ex regulis de terminatione discendum est, cujus sint generis.

71 *Fœmineis dantur, sed causa significati.*) Si dicas, *Delphica laurus*, respicis ad significatum *lauri*, quod est *arbor*: nam *laurus* ex regula terminationis masculinum est, sicut *Malus*, *Pomus*, *Pyrus*, quia nomina in *us* secundæ declinationis sunt masculina. Itaque Priscianus lib. 5. veteres testatur dixisse, *Hic cupressus*, *platanus*, *populus*, *laurus*. Catullus ergo secundum regulam dixit, *Ulmo marito*. Plinius verò per figuram *Ellipsin*,

71 Non variata putes neutra, & pro nomine posta, &
Hippomanes, *cacoethes*, *nat*, *gith*, *spinter* & *I. V.*
Cepe, *ador* & *cete*, *tempe*, *Soracte*, *melos*que,
Gausape, *epos*que, *chaos*, *nil* & *frit*, *fas*que; *nefas*que.

73 De Genere Dubio.

Hic aut hæc sit *adeps*, *calx*, *cortex*, *clune*, *canalis*.

Atque

Ellipsin, *Vlmos maritas*, quia suppressit nomen *arbores*. Sic in *Picus Martia*, subauditur, *avis*, cum alioquin *picus* per terminationis regulam sit masculinum. *Clara Corinthus*, subaudi *urbs*: nam *Corinthus* per terminationis regulam masculinum est. Vellejus lib. 1. *Haletes Corinthum, qui antea fuerat Ephyre, in Isthmo condidit*. Propert. libro 3. eleg. 4. *Nec miser ara paro clade Corinthe tua*. (Vossius putat miserum dici, qui Corinthi clade quasi gaudet. Sed quis dubitat, miseriorem esse Corinthum, quæ cladem patitur) Ovidius *Candidus Anxur* dixit per regulam. Horatius, *Impositum saxis Anxur*; per figuram *Ellipsin*, supprimendo *oppidum*. Sic Virgilius, *Altum Præneste*, per terminationis regulam; *Præneste sub ipsa*, per *Ellipsin*, supprimendo *urbe*.

72 *Non variata putes neutra, & pro nomine posta*.) Nomina literarum non variantur casuum terminationibus, adeoque neutra sunt, ut *Hoc A*, *hujus*, *A*, *huic A*. *Nequam*, non variatur, sed est adjectivum factum per *Syncopen* ex *nequicquam*, id est, *frustra*. Plaut. *Nequam est piscis, nisi recens*: id est, *frustra est piscis, quia est inutilis vescendo*. Verbum infinitum pro nomine positum est neutrum, ut *Laborare molestum est*. Sunt etiam neutra nomina indeclinabilia in *i* & *u* exeuntia, ut *Zingiberi*, *piperi*,

Atque *dies*, *finis*, *forceps*, tum *grossus* & *imbrex*,
Linter, *margo*, & *onyx*, *pulvis*, *pumex*que *penus*que,
Scrobs, *specus*, atque *silex*, *stirps* trunci, *torques* *varix*que
Multaque quæ è Græcis *Os* in *Us* vertere Latini.

74 *De Genere Terminationis.*

Fæmineum *A* primæ est, veluti *panthera*, *sagitta*.

75 *Adria*,

ri, *gelu*, *pecu*, *genu*, *cornu*. Cicero in Arato priscè dixit *genus*, & Lucanus *Cornus sinistri*.

73 Genus dubium (ait Sanctius) propriè vocamus, quo auctores usi sunt sinè discrimine, nunc masculinè, nunc fæmininè. Itaque *Vulgus*, *penus* & *specus* non numerantur inter dubia, cum neutra reperiantur. Multa erant olim ambigua, quæ nunc non sunt, ut *Callis*, *cinis*, *funis*, *alvus*, *colus*, *acus*, *humus*. *Corvus*, *leo*, & *bubo*, sunt masculina epicœna, quæ tamen fæmininum sexum sub se continent, ut cum dicitur, *Corvus nigra*, *leo gravida*, subauditur, *fæmina*. *Aquila* & *dama* sunt fæminina epicœna, quæ tamen masculinum sexum sub se continent, ut cum dicitur, *Fortissimi aquilæ*, *timidi damæ*: subauditur *mares*. *Cardo* masculinum est, apud priscos etiam fœmininum. *Calx*, pro *lapide cocto*, Græcum semper fœmininum est, sed *chalx* scribi debet. *Penus*, secundæ vel quartæ declinationis est dubium. Sed *Penus penoris*, *penum peni* & *penu penu* neutrum. Idem dicendum de *specus*. Nomina Græca in *os*, quæ Latini vertunt in *us*, mire variant apud illos, nec certa regula constitui potest.

74 Multa nomina (ait Sanctius) mutant genus mutata terminatione, ut *pan-*

75 *Adria*, sed sinus est mas, atque 76 *cometa*, *planeta*.

Nomen in *A* ternæ neutrum est, ut *stigma*, *poema*,

E latiale puta neutrum esse, *cubile*, *monile*.

Fæmineum est *aloe*, *Rhodope*que & cætera Græca.

I. neutris tribue, 77 *O.* maribus, ceu *pugio*, *gummi*.

Fæmineis 78 verbale in *IO*, *caro*, *talio*. 79 *DO*, *GO*,

Hic

Panther, *crater*, *stater* masculina. *Panthera*, *cratera*, *statera*, fæminina. *Penus*, *i* & *penus us*, dubium. Sed *Penum*, *i. penus*, *oris*, *penu*, *u*, neutra. *Barbitos*, *i*, dubium. *Barbiton*, *i*, neutrum. Sic *Costus*, *Ilios*, *tiaras*, masculina. *Costum*, *Ilium*, neutra. *Tiara*, fœminin. Hic *sal*, hoc *sale*. Hic *retis*, hoc *rete*. Hic *ador*, *adoris*, ut *decor*, *decoris*. Hoc *adus*, *adoris*, ut *decus*, *decoris*. Hæc *canes*, ut *vulpes*, & hic *canis*.

75 *Adria sed sinus est mas.*) Horat. *Dux inquieti turbidus Adria*, id est, *sinus Adriatici*. In Siliano illo lib. 8. *humectata Vomano Adria*, subauditur *urbs*.

76 *Cometa*.) Cicer. 2. Nat. Deor. *Cometa magnarum calamitatum pranuncia fuerunt*, subaudi *stella*: nam antea dixerat; *Stella*, *quas Graci Cometas*, *nostri crinitas vocant*.

77 *O*, *maribus*,) Ut *Cento*, *carbo*, *titio*, *pernio*, *papilio*, *vespertilio*, *curculio*, *homo*, *latro*. *Unedo*, pro *fructu* masculin. Si inveniatur in fæminin. deest *arbor*. *Turbo*, *turbonis* semper: nam *turbinis* est à recto *turben*, teste Charisio. *Cudon*, *burdon*, *ligon*, *harpagon*, *mangon*, primæ fuerunt positionis. Legimus enim *Cudona* & *harpagonas*, ut *Plato*, *Brito*, *Agamemno*. *Nemo*, adjectivum est.

78 *Verbale in IO*.) Ut *Portio* à *partior*, *ratio* à *reor*, *conditio*, *regio*, *ditio*, *natio*, *oblivio*, *possessio*, *actio*, *passio*. *Ternio*, *quaternio*, *senio*, sunt masculina.

79 *DO*. *GO*. *famineis*.) Ut *Acredo*, *dulcedo*, *cupedo*,

Hic *ordo*, *udo*, *ligo*, *cudo*, *burdo*; *harpago*; *cardo*.

80 *C. T. L. UM*, neutrum: *ſal*, *mugil*, *Sol*que virile.

81 *N.* mas, 82 *MEN*, neutrum: *gluten* ſimul, *unguen* & *inguen*.

Atque 83 *ON*, non ternæ: Hæc *Sindon*, *icon*, *aedon*.

Nomen in 84 *AR* neutrum: ſed in 85 *ER* diſtingue virile.

Hoc

do, *intercapedo*, *libido*, *crepido*, *ſolicitudo*, *teſtudo*, *fortitudo*, *ſolitudo*, *valetudo*. Barbara ſunt *albedo* & *nigredo*. Plautus *albitudinem*, Lucretius *nigrorem* dixit. *Suffrago*, *caligo*, *rubigo*, *fuligo*, *ærugo*, *ferrugo*.

80 *C.T. L. UM neutrum.*) Ut *Lac*, olim *hoc lacte*, *halec*, ſed *halex* fæminin. *Caput*, *occiput*, *ſinciput*, *vectigal*, *tribunal*, *puteal*, *cervical*, *mel*, *fel*, *nil*, *ſcortum*, *mancipium*, *Glycerium*, *Dinacium*. Apud Terent. *Mea Glycerium*, ſubaudi, *amica*, teſte Priſciano.

81 *N*, *mas.*) Ut *Titan*, *Delphin* vel *Delphis*, *Python*, *canon*, & illa ſuperiora, *ligon*, *harpagon*, *cudon*, *mangon*.

82 *MEN*, *neutrum*.) Ut *Carmen*, *limen*, *lenimen*, *flamen*, pro *vento*: nam pro *Sacerdote*, maſculinum eſt. *Hymen*, proprium eſt nomen *Dei nuptiarum*. Si pro *carmine nuptiali* aut *membrana recens nati pueri* accipiatur, maſculinum erit: quia *nomina Deorum*, ſi accipiantur pro rebus, quibus præſunt, ejuſdem generis erunt, cujus deberet eſſe *Deus* ille, ut *Mars*, pro *bello*, maſculinum eſt: *Cum Mars adhuc eſſet dubius*. *Tellus*, pro *terra*. *Ceres*, pro *frumento*, fœminin. Lucil. *Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.*

83 *ON*, *non ternæ*.) Si deſinentia in *on* ſint tertiæ declinationis, ſunt maſculina: ſed ſecundæ ſunt neutra, ut *Enchiridion*, *encomion*, *ſympoſion*, *barbiton*, *cryſtallon*, *Caſton*, *Ilion*.

84 *AR*, *neutrum*.) Ut *Cochlear*, *laquear*; *torcular*, *pulvinar*, *calcar*, *exemplar*. Hæc tamen prius erant adjectiva

Hoc *iter*, hoc *tuber*, *laser*, *piper* atque *papaver*.

86 *OR*, mas. Hæc *arbor*, neutrum *cor*, *marmor* & *æquor*.

87 *VR*, neutrale dabis. Mas, *turtur*, *furfure*, *vultur*.

88 *AS*, dic fœmineum. Hic *elephas*, *adamas*que *tiaras*,

Atque *As* cum turba. Neutrum *vas*, *fas*que, *nefas*que.

Esto nomen in 89 *ES* muliebre; at 90 mascula Græca,

Et *gurges*, *poples*, *verres*, *paries*que, *aries*que, *Limes*,

jectiva in *are* desinentia, sed usu postea facta sunt substantiva in *ar* breve exeuntia.

85 *ER*, *virile*.) Ut *Ager*, *agger*, *anser*, *asser*, *cancer*, *caper*, *carcer* (quod olim erat neutrum) *culter*, *imber*, *liber*, *passer*, *vesper*, *veper*, quo usus est Columella lib. 11. c. 3. Sed usitatius est plurale, *vepres*. Multa in *ter*, ut *Oleaster*, *Pinaster*. Et Græca, ut *Panther*, *clyster*, *praster*, *balter*. *Tres sileres* dixit Plin. 20. cap. 5. sed locus videtur corruptus. Neutra sunt *Tuber*, *suber*, *uber*, *verber*, *ver*, *cadaver*, *papaver*, *laver*. Sed *September*, *October*, *November*, *December*, adjectiva sunt & subauditur *mensis*.

86 *OR*, *mas*.) Ut *Candor*, *nigror*, *amor*, *fulgor*, *sopor*, *cruor*, *rumor*, *mæror*, *dolor*, *color*, *labor*.

87 *VR*, *neutrale*.) Ut *Guttur*, *sulfur*, *murmur*, *ebur*, *femur*. Etiam *furfur* in singulari, Plin. 18. cap. 9. & 26. cap. 2. In plurali masculinum est *furfures*. *Anxur*, urbis nomen, masculinum est.

88 *AS*, *dic fœmineum*.) Ut *Æstas*, *pietas*, *potestas*, *paupertas*. Sed masculina sunt *As*, *assis*, cum turba, id est, cum derivatis & compositis. *Semis*, *semissis*, *decussis*, *centussis*, *sextans*, *triens*, *quadrans*, *quincunx*, *septunx*, *bes*, *dodrans*, *dextanx*, vel *decunx*.

89 *ES*, *muliebre*.) Ut *Seges*,

Limes, *pes*, *fomes*, *termes*, cum *palmite trames*,
Meridies, *cespes*, *stipes*: 91 pluraleque ut *antes*.
Est quoque nomen in 92 *IS* muliebre 93 *NIS*
esto virile,
Et *retis*, *corbis*, *fascis* quoque *piscis* & *axis*,
Et *collis*, *vermis*, tum *callis*, *follis* & *ensis*,
Men-

Seges, *abies*, *fanies*, *vulpes*, *canes*, priscum, *res*, *spes*, *requies*, *quies*. Composita à *pes* sunt adjectiva, ut *Bipes*, *tripes*, *quadrupes*.

90 *Mascula Græca.*) Ut *Soractes*, *Bootes*, *Gagates*, *Sorites*, *cometes*, *planetes*, *magnes*, *tapes*, *lebes*, *acinaces*.

91 *Pluraleque ut antes.*) Pluralia in *es*, quæ scilicet in singulari numero Latinè non dicuntur, sunt masculina, ut *Penates*, *annales*, *pugillares*, *casses*, *sales*, *lemures*, *furfures*, *tuberes*, pro, *quodam fructu*, *Proceres*, pro, *capitibus tignorum exstantium*, *sentes*, *vepres*. *Manes*, adjectivum est, pro, *mani*, id est, *boni*, sicut *porci sacres*, pro, *sacri*: *Matrimes*, & *Patrimes*, pro, *Matrimi* & *Patrimi*. Etiam *annales* adjectivum est, in quo subauditur *libri*, & in singulari rectè dicitur: *In Ennii sexto Annali*. Similis est ratio in *pugillares*, nam adjectivum est, in quo subauditur *codicilli* vel *tabellæ*. Catullus *pugillaria* dicit, ubi potes subaudire, *sigilla* vel *schedaria*, vel quid simile. Putant alii quædam fæminina in *es*, esse pluralia, ut *Alpes*, *opes*, *compedes*, *sordes*, *nares*, *lactes*, *grates*, *Gades*. Sed falluntur: nam in singulari dicitur, *Alpis*, *opis*, & *ope*, *compes*, *compedes*, *sordis*, *sorde*, *naris* & *Gadis*. *Lactes* masculinum est. *Grates* in nominativo & accusativo plurali factum est ex Græco χάριτες *Charites*, cujus singularis est, χάρις, *hæc Charis*.

92 *IS*, *Muliebre*.) Ut *Pollis*, *vallis*, *bilis*, *ovis*, *cuspis*, *navis*, *clavis*, *apis*, *securis*: adjectiva sunt *Ædilis*, *bipennis*, *æqualis*, & subauditur, *Homo*, *securis*, *urceus*.

93 *NIS*, *esto virile*.) Ut *Amnis*, *crinis*, *ignis*, *panis*, *penis*, *cinis*. Apud Veteres tamen *amnis* & *cinis* erant dubia. *Anguis* est masculinum epicœnum, sicut *piscis*, ut quando cum adje-
ctivis

Mensis cum *vecti*, *postis*, *glis*, *fustis* & *anguis*,
Et *torris*, *caulis*, *lapis*, *unguis*, jungitur *orbis*,
Et *sanguis*, *cucumis*, junges cum *vomere pollis*.

94 *OS*, mas. Hæc *dos*, *cos*. Neutrum est *os*, *oris* & *ossis*.

95 *US*, maribus jungas seu quartæ, sive secundæ,
Hæc *humus*, hæc *alvus*, *vannus*, *domus* & *colus*, *idus*,
Porticus atque *tribus*, cum *ficus*, *acus*que, *manus*que.
Hoc *pelagus*, *pelagum*, *vulgus*, *vulgum*: hoc quoque *virus*.

96 *US*

ctivis fæmineis inveniuntur, subaudiri debeat *fœmina*.

94 *OS*, *mas*.) Ut *Lepos*, *honos*, *flos*, *mos*, *ros*, & prisca *labos*, *colos*, *amos*, pro *labor*, *color*, *amor*. *Arbos*, pro *arbor*, fœmininum est.

95 *US*, *maribus jungas*.) *Us* secundæ declinationis, ut *equus*, *asinus*, *mulus*, *agnus*, *corvus*, *laurus*, *cupressus*, *populus*, *platanus*, *alnus*. *Fluvius* adjectivum est. *Us* quartæ, ut *Sensus*, *Senatus*, *visus*, *auditus*, *gustus* & *gustatus*: Item omnia, quæ vulgo dicuntur *Verba Supina*, etsi non nisi in dativo, accusativo, & ablativo usurpata inveniantur. *Ficus* secundæ & quartæ sive pro *arbore* aut *fructu*, sive pro *morbo* accipias, fæmininum Sanctio videtur: mihi verò masculinum semper, cum pro *arbore* ponitur; fæmininum, cum pro *fructu* aut *morbo*: nam morbus à similitudine fructus nomen invenit: Varro 2. rei Rust. 41. *Ficos quas edimus Maturas. Genera ficorum, Chia, Lydia, Africana.* Apud Martial. *Dicemus ficos Cæciliane tuos.* Sanctius *tuos* interpretatur, *tuos domesticos*, *hos omnes dicemus ficos*, id est, *nihil nisi ficos*, *quia omnes sunt ficosi*, ut alibi; *Ficosa est mulier: Ficosus & ipse maritus. Filia ficosa est*, & *gener atque socer*. *Vulgus* apud Sall. & Tacit. semper est masculin.

96 *US*,

96 *US*, ternæ neutrum. Mas, *mus*, *grus*, *pous*, *lepus* & *sus*.
Hoc *Aes* 97 Hæc capiunt variata per *Utis* & *Udis*.
98 *S*. muliebre. Hic *fons*, *dens*, *pons*, *mons*: Græca quoque in *PS*.
99 *X*. dato fæmineis, *pax*, *fax*, *fornax*que, *supellex*,
Carex, *lex* & *halex*, *nix*, *pix*, *perdix*que, *filix*que.
Cum *lodice tomix*, *sandix*, *mastix* quoque *vibix*,
Et *spadix*, *nox*, *vox*, *nux*, *crux*, cum *luce*, *calyx*que,

1 *Calx*

96 *US*, *ternæ neutrum*. Ut *Pecus*, *oris* (nam hæc *pecus*, *pecudis* non dicitur, videturque Sanctio rectius, *Hæc pecudes*; *pecudis*) *rus*, *rhus*; *thus*, *crus*, *jus*; *pus puris*; *corpus*, *decus*, *tempus*; *acus aceris*, *rudus*. Mascul. est *grus* apud Horat. *Membra gruis sparsi sale multo*. Cum *grus* & *sus* leguntur cum adjectivis fœmineis, subauditur *fæmina*. Horat. *Amica luto sus*. *Pous* seu *pus podos*, id est, *pes*, Græcum est, cujus composita masculina sunt, *Tripus tripodis*, *apus*, *chitropus*, *lagopus*, *polypus*, *dasypus*.

97 *Hæc capiunt variata per UTIS & UDIS*) Id est, quæ in genitivo desinunt in *Utis*, & *Udis* habent *hæc*, notam fæminini generis, ut *Salus*; *virtus*, *servitus*, *juventus*, *senectus*, *palus*, *subscus*, *laus*, *fraus*.

98 *S*, *muliebre*.) Ut *Ars*, *pars*, *lens lendis*, *lens lentis*, *glans*, *mors*, *sors*, *seps*. Græca & masculina sunt *hydrops*, *seps*, animal venenosum, *trabs*. Antiquitus tamen nullus nominativus terminabatur in duas consonantes, adeoque dicebatur hæc *Artis*, *partis*, *lentis*, *lendis*, *mortis*, *sortis*, *sepis*.

99 *X dato fæmineis*.) *Spadix* & *calyx* Græcis sunt fæminina, *pharinx* & *larinx* dubia. *Volvox* in usu non est, sed *Convolvulus*. *Solox* & *celox* sunt adjectiva.

1 *Calx* mas atque *corax*, *dropax*, *storax* quoque *pollex*,
Index atque *latex*, *ramex*, tum *grex*que *culex*que
Lynx, *fornix* & *orix*, rarus cum *calice phœnix*. †

DE NOMINUM

2 Declinatione.

Ex Sanctio.

IN neutris primus, quartus, quintus similes sunt.
Tres iidem casus plurales *A* retinebunt:

Est

1 *Calx Mas*.) Quando *calculum* significat. Festus: *Calces, qui per diminutionem vocantur calculi*. Plaut. Pœn. *Prius disperibit, quam annum calcem civerit*. Idem in Casina: *Cana culex dixit*, sed joco, ut putat Sanctius, quasi senem amatorem, vetulam vocaret.

† De genere nominum in *ir* desinentium, nullam feci regulam, cum de *hir*, *hiris*, quod volam manus significat, cujus generis sit, sciri non possit: nusquam enim legitur, nisi apud Cic. 2. de Fin. in Lucilli loco, & apud Charisium lib. 1. sed sine adjectivo. *Vir* autem cum compositis *levir* & *trevir*, masculinum esse constat ex significatione, tum quia per *Apocopen* factum est, ex prisco *virus*, à quo fœmina *vira* dicebatur. Festus. *Querquetulanæ viræ putantur significari nymphæ præsidentes querqueto virescenti. Feminas quas dicimus, antiqui Viras appellabant; unde adhuc permanent Virgines & Viragines*.

2 In declinationum regulis (ait Sanctius) ea tantum tradimus, quæ à propositis Paradigmatis discrepant. Ridiculi enim sunt & morosi examinatores puerorum, qui regulas acriter

Est quintus recto similis, 3 *S.* tollito Græcis:
Tertius & sextus plurales assimilantur.

Prima Declinatio.

4 Prima dat *A* nostris, *AS*, *ES*, *E*, Græca dabuntur.
E, dabit *ES* patrio: quarto *EN*, atque *E*, dato sexto.
Auras, *aurai* patrio dant sæpe poetæ.

E 5 Se-

acriter exigunt, quare *Poeta* & *tabula* faciunt genitivum in *æ*, & accusativum in *am*, cum ad manum sit *Mensa*, *mensæ*, quod est paradigma primæ declinationis.

3 *S. tollito Græcis.*) *Orpheus* in vocativo *Orpheu*. *Panthus*, *Panthu*.

4 *Prima dat A nostris.*) Latina primæ declinationis nomina desinunt in *a*: Græca in *as*, *es*, & *e*. Illa in *a*, *as*, & *es* exeuntia faciunt genitivum in *æ*, ut *Musa*, *Musæ*: *Æneas*, *Æneæ*: *Atrides*, *Atridæ*. Sed quæ desinunt in *e*, in patrio seu genitivo habent *es*, ut *Epitome*, *epitomes*, in accusativo *epitomen*, in vocativo & ablativo *epitome*. Juvenalis: *Penelope melius*, *melius torquetis Arachne*. Unde etiam apparet, quantum fallantur, qui Græcos ablativum habere negant: nam *Penelope* sine ullo dubio est ablativus; non autem Latinus: nam is in prima declinatione desinit in *a*. Est ergo Græcus.

In dativo & ablativo plurali antiquissimi dicebant ut *duabus* & *ambabus* (quæ in usu remanserunt) ita & *dextrabus*, *eabus*, *raptabus*, *paucabus*, *puellabus*, *pudicabus*, *portabus*, *oleabus*, *equabus*, *mulabus*, *filiabus*, *&c.* Sed ista posteriores repudiarunt. Cicero: *Terentiæ & Tulliæ duabus animis suis*. Varro sæpe de fæminis dicit *equis* & *mulis*. Et Plautus Sticho: *Gratulabor adventum vestrum filiis, non filiabus*. Cicero pro Rabirio dixit: *A Jove cæterisque diis deabusque pacem peto*: quia aliter *Deos* & *Deas* distinguere

5 *Secunda Declinatio.*

Altera *ER*, *US*, *UM*, *vir*que *Satur*que *EUS* ponito Græcis.

6 *Vir*, *puer* excrescunt: velut *R*, si *RUS* dedit olim.

US, per *E*, mutabit quintus: *Deus* excipe tantum:

7 Sed proprium per *IUS*, dabit *I.* dic *mi* quoque *fili*,

Di-

re non poterat, ut Demosthenes, quem imitabatur, pro corona his verbis fecerat: θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις.

5 Hæc sex habet fines, seu terminationes, *er*, *us*, *um*, *vir*, *ur*, & *eus* Græcum, *Orpheus*, *Pentheus*.

6 *Vir*, *puer excrescunt*.) Multa per *Apocopen* in *r* nunc desinunt: quæ olim desinebant in *rus*, adeòque in genitivo crescere videntur: ut *Vir* cum compositis *levir*, *trevir*, *puer*, *satur*, *gibber*, *adulter*, *socer*, *gener*, *Iber*, *cater*, *presbyter*, & *liber*, composita à *gero* & *fero*, ut *Armiger*, *furcifer*.

7 *Sed proprium per IUS*, *dabit I.*) Fallitur Priscianus, qui lib. 7. veteres contra hanc regulam putat *Laertie* dixisse, pro *Laerti*, nec enim proprium nomen est *Laertius*, sed appellativum, ut sit *Laertius filius*, *Laertia proles*, *Laertium prædium*, pro, *Laertæ*. Accius, opinor, in versu, quem à Cicerone usurpatum Fabius memorat: *Nisi quo Ulysses rate evasit Laertius*. Rectè igitur Jul. Cæsar Stella in versu ad Franciscum à Castro, *Castrie* dixit: nam Franciscus *Comes Castrius*, est idem, quod *Castri Comes*, vel *à Castro*, aut *de Castro*, sivè *Castrensis Comes*: qui Stellam eo nomine reprehendunt, etsi ridicula res est elementarius senex, cincticulo præcincti in sella apud Grammatices magistrum rectè assederint, Priscianum scil. condiscipulum habebunt. Etsi is sua sponte resipuit, ut ex libro

ejus

Dique dei, atque *deis dis*. Hic sed sæpe poetæ.
8 *Orpheos*, *Androgeo* patrio, dantque *Orphea* quarto.

9 *Tertia Declinatio*.

Tertia dat varios fines tamen *IS*, 10 genitivo.
 11 *A*, præ-

ejus XVIII. apparet: ubi de *Possessivorum vocativis* præcipiens, rectè dici fatetur: *O genitor noster Saturnie; maxime divum*. Et, *Evandrie fili*, & *Telamonie Ajax*. Simili certè ratione *Delie* vocativus est à *Delius*, Apollo apud Statium in 5. Thebaid. *Julius* & *Pompejus* interdum sunt adjectiva, ut *Julius suus*, *Pompeja domus*, & tunc Vocat. eorum ab *jus* fit *ie*, ut *Ensis Julie*. Sed cum sunt nomina propria, Vocativus exit in *i*. ut *Juli*.

8 *Orpheos*, *Androgeo*.) In genitivo poetæ dicunt *Orpheos*, *Peleos*, *Pentheos*: & etiam *Androgeo*, pro *Androgei*, & in accusativo *Orphea*, *Pelea*. Sed hæc merè Græca sunt, & è suis fontibus haurienda.

9 Genitivus singularis hujus declinationis (ait Sanctius) usu melius, quàm regulis addiscitur: nihilominus tamen eum paucis carminibus perstrinximus. Et hæc notanda præterea duximus. Multa in hoc genitivo videntur irregularia, quæ non sunt, si antiquam recti seu nominativi positionem consideres. *Non quia rectus varius esse potest, debet declinatio mutari*, ait Servius. Et Charisius lib. 1. *Omnia* (inquit) *in declinatione vocabula non plus una syllaba crescunt*: Rursus Ibidem: *Ancipes dixerunt veteres cum ratione, ne genitivo Ancipitis duabus videretur syllabis crescere*: Plaut. Rud. *Post altrinsecus est securila ancipes*. Hæc igitur colligamus, quæ propter veterem positionem videntur nunc irregularia.

Arpinas, *atis*: olim *hic* & *hæc Arpinatis* & *hoc Arpinate*.

Sic *Aletrinas*, *Mæcenas*, *Sutrinas*, *nostras*, *vestras*, *cujas*.

Anio & *Nerio*, gen. *Ani-*

enis

11 *A*, præstabit *ATIS*. Non crescunt nomina per *E*.

12 *ONIS* ab *O*: *caro carnis*, *nemo*, *cardo*, *homo*, *Apollo*.

13 *DO*, *GO*, fœmineum, *margo*, *ordo*, *turbo* dat *INIS*.

Unedo fert *ONIS*: *Anio*, *Nerio*que dat *ENIS*.

14 Crescit *Is*, *L*, *N*, *R*, *T*. *lac lactis*, *caput*, *itis*.

15 *MEN*,

enis & *Nerienis*, quia olim *Anien* & *Nerien*.

Biceps, & reliqua à *caput* & *capio*, ut *municeps*, olim *bicipes* & *municipes*.

Caro, *carnis*, quia olim *hæc carnis*.

Ceres, *Cereris*, quia olim *hæc Cereris*.

Glis, *gliris*, quia olim *hic gliris*.

Hepar, *hepatis*, quia olim *Hepas*.

Jecur, *jecoris* & *jecinoris*, quia olim *jecor* & *jecinor*.

Iter, *iteris* & *itineris*, quia olim *iter* & *itiner*.

Jupiter, *Jovis* & *Jupitris*, quia olim *hic Jovis* & *Jupiter*.

Impuber, *impuberis*. *Impubes impubis*.

Lac, *lactis*, olim *hoc lacte lactis*.

Mel, *mellis*. *Fel*, *fellis*. Olim *hoc melle*, *felle*.

Pollis, *pollinis*, quia olim *pollen*.

Robur, *roboris*, quia olim *robor*. Sic *ebur*, *femur*, *jecur*.

Sanguis, *sanguinis*, quia olim *sanguen*.

Senex, *senis*, quia olim *senex senicis*.

Supellex, *supellectilis*, quia olim *hæc supellectilis*.

Turbo, *turbonis* semper: at *Turben turbinis*.

11 *A*, *præstabit ATIS*.) Ut *Poema*, *poematis*. In *e* desinentia in genitivo non plures habent syllabas, ut *Altare*, *altaris*, *monile*, *monilis*.

12 *ONIS ab O*.) Ut *Lectio*, *lectionis*: *pellio*, *pellionis*: *Phrygio*, *phrygionis*: *ardelio*, *ardelionis*: *cento*, *centonis*: *carbo*, *carbonis*: *latro*, *latronis*.

13 *DO*, *GO*, *fœmineum*.) *Libi-*

15 *MEN*, *CEM*, *pecten*, *INIS*, jungas simul *inguen* & *unguen*.

16 *ON*, aliquando *ONTIS* Græcis: 17 *cor* nataque *cordis*.

18 *E*, perdunt *imber* cum turba, *acer*que *alacer*que,

Et *celeber*. Latium in *STER*, *TER*, tollito *later*.

Robur, *ebur*, *femur*, atque *jecur* mittuntur in *Oris*.

Postulat *AS*, *ATIS*, sed *ADIS* dat Græcus & *ANTIS*,

Vas, *vadis* & *vasis*, *as*, *assis*, *mas*, *maris* optat.

19 *ES*, dat *ITIS*, *Cereris*que, *Ceres*, *ETIS*; *ariete*, *perpes*.

Libido, *libidinis* : *caligo*, *caliginis* : *rubigo*, *rubiginis*.

14 *Crescit*, *IS*, *L*, *N*, *R*, *T*.) Ut *Sal*, *salis*; *vigil*, *vigilis* : *sol*, *solis* : *consul*, *consulis* : *Cæsar*, *Cæsaris*: *Gaspar*, *Gasparis* (nam vervecum crasso sub aere natorum est dicere, *Caspaarus*, *Caspaari*) *Amilcar*, *Amilcaris* : *passer*, *passeris* : *color*, *coloris* : *murmur*, *murmuris* : *Titan*, *Titanis* : *lien*, *lienis* : *Delphin*, *Delphinis* : *canon*, *canonis*.

15 *MEN*, *CEN*.) *Agmen*, *agminis* : *numen*, *numinis* : *fidicem*, *fidicinis*.

16 *ON*, *ONTIS*.) *Laocoon*, *Laocoontis*.

17 *Cor*, *nataque cordis*.) *Excors*, *vecors*, *secors* (non *socors*) *excordis*, *vecordis*, *secordis*.

18 *E*, *perdunt imber*.) Id est, *imber* cum compositis, ut *October* non crescunt, sed faciunt genitivum in *is* abjecto *e*, ut *Octobris*, *imbris*. Item nomina Latina in *ter* & *ster*, ut *Pater*, *mater*, *uter*, *venter*, *accipiter*, *pedester*, *equester*. Græca verò crescunt, ut *Stater*, *panther*, *halter*, *clyster*, ut & Latinum *later*, quod facit *lateris*.

19 *Es*, *dat ITIS*.) *Comes*, *comitis* : *limes*, *limitis* : *palmes*, *palmitis*.

Præpes, *hebes*, *paries*, *teres*, *indiges*, *interpres*que.
Inquies & *locuples*, *magnes* & cætera Græca.
EDIS, *pes*, *merces*, *hæres*, 20 *IDIS*, à *sedeo* ortum.
21 Non crescit *vates*, *verres*, proprium & muliebre;
Sed *teges* atque *seges*, *abies*que *quies*que dat *ETIS*.
22 *IS*, non crescit: *IDIS*, fac Græca, *lapis* quoque *cuspis*.
ITIS, dic *Samnis*, *lis*, *Quiris*: *glis* sed in *IRIS*.
Impubis, *cucumis*, *pulvis*, *vomis*, *cinis* *ERIS*.
Pollis, *sanguis* *INIS*: *Simois* *Pyrois*que dat *ENTIS*.
OS, *ORIS*, ceu *flos*: *OTIS*, sed *compos* & *impos*,
Et Græca atque *nepos*, tum *dos*, *cos* atque *sacerdos*.
Quædam *OIS*, ut *Minos*, *custodis*, *bos* *bovis*. *ossis*.
23 *US*, dat *ERIS*: sed *ORIS*, *lepus*, atque *decus*, *facinus*que.

Et

20 *IDIS*, *à sedeo ortum*) *Obses*, *obsidis*. Sic *reses*, *deses*.

21 *Non crescit proprium & muliebre*) Ut *Achilles*, *Achills*: *Ulysses*, *Ulyssis*: *ambages*, *ambagis*: *clades*, *cladis*: *cautes*, *cautis*: *compages*, *compagis*. Sic *Dapes*, *fames*, *feles*, *indoles*, *labes*, *moles*, *nubes*, *proles*: *rupes*, *sapes*, *suboles* (non *soboles*.) *strages*, *tabes*, *vulpes*.

22 *IS*, *non crescit*.) Ut *Avis*, *pelvis*, *messis*, *febris*, *clavis*, *turris*, *restis*, *navis*, *securis*.

23 *US*, *dat ERIS*.) Ut *Acus*, *fœdus*, *funus*, *genus*, *glomus*, *latus*, *munus*, *olus*, *onus*,

Et *nemus*, & *tergus*, *pectus* cum *tempore*, *frigus*,

Hoc *pecus* & *littus*, *corpus*, cum *fœnore*, *pignus*.

UDIS, dat *subscus*, *palus*, *incus*, dat *salus* *UTIS*.

Intercus, *virtus*, 24 *servit*que *juven*que *senectus*.

Grus & *sus* dat *UIS*. *Tellus* 25 monosyllabaque *URIS*.

26 *POUS* deducit *ODIS*, sed in 27 *UNTIS* oppida quædam.

Æs, *æris*, *præs*, *prædis* habent: *Laus*, *fraus* petit *AUDIS*.

S, sine vocali (ut *frons*, *lens*, *puls*) vertitur in *TIS*.

Lens, *frons*, *glans*, *nefrens*, *libripens* *DIS*: *aucupis* *auceps*.

28 *I.* mediat cum *BS*, *PS*, syllaba finit, *hiems*que.

E, per *I*, mutabunt polysyllaba: *principe*, *cælebs*.

X, in *CIS* verte, ut *fax*. *LECTILIS* edo *supellex*.

E 4 29 (Dem-

onus, *opus*, *pondus*, *rudus*, *scelus*, *sidus*, *vellus*, *vetus*, *Venus*, *viscus*, *ulcus*, *vulnus*.

24 *Servitque*, *juvenque*, *senectus*) id est, *servitus*, *juventus*.

25 *Monosyllabaque URIS*.) Ut *Pus puris*, *mus muris*. *crus*, *plus*, *rus*, *tus*.

26 *Pous deducit ODIS*.) Ut *Tripus*, *tripodis*: *apus*, *apodis*.

27 *UNTIS oppida*) *Trapezus*, *Trapezuntis*.

28 *I. mediat cum BS*, *PS*, *syllaba finit*.) Ut *Trabs*, *plebs*, *saps*, interposita litera *i* faciunt *trabis*, *plebis*, *sapis*. Sic *Hiems* *hiemis*.

Prin-

29 (Demto *halex*, *vervex*) *D* per *I.* polysyllaba vertunt.
In *GIS*, *lex*, *grex*, *rex*, *remex*, *Phryx*, *conjuge*, *mastyx*.
Frugis & *impetigis*, *Styx*, *stryx*, & pleraque Græca.
CHIS dat *Onyx*: *nox noctis* habet, *nivis* & *senis* ede.
30 Fæmineum *IS*, non crescens *EM*, sive *IM*, dato quarto.
IM, *sitis* & *tussis*, *vis*, *buris*, *pelvis* habebunt.
31 Græca in *IS*, *IM*, sive *IN* mittunt parisyllaba, ut *IRIS*.
32 Sextus *E* vult semper; sed *E* aut *I* postulat, 33 *imber*.

Princeps, *cœlebs* mutato *e* in *i* faciunt *Principis*, *cœlibis*.

29 *Demto halex*.) Nomina plurium syllabarum in *ex* desinentia, faciunt genitivum *in icis*, *e* versa in *i*, ut *Pollex*, *pollicis*. Sic *Culex*, *latex*, *cimex*, *ramex*, *carex*, *codex*, *imbrex*, *index*, *judex*, *pellex*, *podex*, *pumex*, *vertex*, *remex*, quod facit *remigis*. Excipe *halex halecis*. *vervex vervecis*. *Vibex*, non rectè scribitur, sed *Vibix*, *vibicis*. Græca *Hipponax* & *Astyanax* faciunt, *Hipponactis*, *Astyanactis*.

30 *Fæmineum IS, non crescens*.) Id est, omnia nomina fæminina in *is* finita, non crescentia in genitivo, faciunt accusativum in *em* aut *im*, ut *Ovis*, *ovem* vel *ovim*: Sic *Pestis*, *messis*, *bilis*, *vallis*, *vestis*, *febris*, *clavis*, *turris*, *restis*, *sementis*, *puppis*, *navis*, *securis*, *partis* priscum *partim* & *partem*, ut *lentis lentim* & *lentem*.

31 *Græca in IS*.) Ut *poesis*, *hæresis*, *genesis*, *syntaxis*, *metropolis*, *Alexis*, *Paris*, *Tibris*, *Iris*.

32 *Sextus E vult semper*. Regula quidem talis est, sed veteres tamen promiscuè in *e* & *i* ablativum æquè ac dativum terminabant.

Atque adjectiva, ut *pugil* & *TRIX*: adde *supellex*,
Amne, *ignis*, *postis*, *vectis*, *rus*, *anguis* & *unguis*.
Quartus in *EM*, sive *IM*, sexto *I*, semper dabit aut *E*.
34 *AL*, *AR*, *E*, neutrum *I*, dat; sed *E*, *far*, *nectar*, *jubar*, *hepar*.
Plus, *pluri* melius: 35 sic *IM* aut *IN* dantia quarto.
36 *ES*, recto & quarto: sed *IA*, cum sextus habet *I*.

Com-

nabant. Dativi exempla sunt Ovid. Fast: lib. 6. extremo: *In qua par facies nobilitate fuit* Lucil. *Esuriente leoni ex ore exsculpere prædam*. Propert. *Et quoscumque meo fecisti nomine versus*, pro, *nomini meo*, id est; *mihi*. Idem: *Cum temere anguineo creditur ore manus*. Virg. *nec sospite dirum Optabis nato funus pater*. Ubi Servius: *Sospite pro sospiti*, qui etiam, *Alite* dativum putat apud Hor. *Scriberis Vario Mæonii carminis alite*. Jam in ablativo Plaut. Lucr. & Varro dicunt *parti*, pro, *parte*. Cato, *Segeti* pro *segete*. Virgilius *capiti*, pro, *capite*. Cato, *fini*, pro, *fine*. Lucret. & Cicero *colli* & *orbi*, pro, *colle* & *orbe*, Ovidius, Lucretius, & Catullus *Mare*, pro, *mari*. Ovidius *Fonte perenne*, pro, *perenni*: *Porca bimestre*, pro, *bimestri*: *Sagitta cæleste*, pro, *cælesti*. Lucanus *Natale*, pro, *natali*: Varro *Collo breve*, pro, *brevi*. Cicero *Ab homine Arpinate*. *Ex municipio Alstrinate*. Livius *In Capenate agro*. Sic in ablativo auctores indifferenter dicunt, *Carthagini* & *Carthagine*, *ruri* & *rure*, *luci* & *luce*, *mani* & *mane*, *vesperi* & *vespere*, *tempori* & *tempore*, *bili* & *bile*.

33 *Imber*, *atque adjectiva*.) Ut *Imber*, *imbre* vel *imbri*. Sit *October*, *December*. Adjectiva, ut *facilis*, *cælestis*, *natalis*, *perennis*, *prudens diligens*, &c. Similiter ablativo in *e* & *i* desinunt.

Comparativa tamen per *A*, solum, *plus*que *vetus*que.

37 *VM*, patrius, sed *apis* dat *IVM*, *imber*, *uter*, *caro*, *linter*.

Quæque in *IA* mittunt rectum, queis addito *aplustra*.

38 *ES*, *IS*, non crescunt (*panis*, *juvenis*, *canis*, *VM* dant.)

39 Sed monosyllaba *IVM*, præter, *dux*, *nux*, *sue*, *grus*, *frux*,

Ren,

nunt. Sic *Vigil* & *pugil*, *victrix*, *genitrix*, *meretrix*, *suppellex*, *suppellectile* & *suppellectili*.

34 *AL*, *AR*, *E*, *neutrum I dat*.) Ut *Animal animali*, *pulvinar pulvinari*, *monile monili*.

35 *Sic IM aut IN dantia quarto*.) Quæ in accusativo habent *im* vel *in*, eadem in ablativo habent *i*. ut *Poesim*, *Poesi* : *Syntaxin*, *Syntaxi* : *Alexin*, *Alexi*.

36 *ES*, *recto & quarto*.) Nomina tertię declinationis habent nominativum & accusativum pluralem in *es*, ut *Sermones*, *laudes*, *homines*, *milites*. Neutra in *a*, & in *ia*, si ablativus eorum singularis desinat in *i*, ut *Corpora*, *pecora*, *facilia*, *cœlestia*. Comparativa tamen neutra in *a* tantum desinunt, ut *meliora*, *majora*. Sic *vetera* & *plura*, etsi antiqui *pluria* dixerunt.

37 *VM*, *patrius*.) Genitivus pluralis in *um* exit; ut *hominum*. Veteres tamen etiam *hominium* dicebant, *civitatium*, *meretricium*, *carnificium*. *Mensum*, pro *mensium*, Ovid. 8. Metam.

38 *ES*, *IS*, *non crescunt*.) Ut *Cedes cadium*, Sic *proles*, *moles*, *labes*, *clades*, *nubes*, *sedes*, *ovis*, *vestis*, *vallis*, *canalis*.

39 *Sed monosyllaba IVM*.) Ut *As*, *as*, *ars*, *arx*, *bes*, *car*, *calx*, *cor*, *cos*, *crux*, *crus*, *daps*, *dens*, *dis*, *dos*, *falx*, *fax*, *fax*, *faux*, *fons*, *frons*, *glans*, *glis*, *glos*, *gens*, *gryps*, *jus*, *lar*, *lanx*, *lens*, *lis*, *mas*, *mens*, *merx*, *mons*, *mus*, *nex*, *nix*, *nox*, *os*, *pax*, *pars*, *par*, *pras*, *plebs*, *pix*,

Rèn, *fur*, *flos*, *mos*, *Tros*, *grex*, *lex*, *rex*, *vox*, *laus*, *pes*, *prex*.
Atque *boum*, *bos*, *bubus*, *bobus* pone dativo.
Tertius eſt in *IBUS*, ſed 40 *ATIS* magè neutra Pelaſga.
41 Tres caſus Græcos retinent hic ſæpe poetæ,
Si creſcat nomen, ceu *Pallados*, *Hectora*, *Troas*.

Quarta Declinatio.

42 Quarta dat *US*, recto dat & *U* prius invariatum.

Dant

pix, *pons*, *puls*, *plus*, *pus*, *ros*, *rus*, *ſal*, *ſaps*, *ſcobs*, *ſtirps*, *ſtrix*, *ſors*, *trabs*, *trux*, *vas*, *urbs*. Iſta genitivum pluralem habent in *ium*, de Grammaticorum quidem ſententia, nec enim omnia apud auctores inveniuntur.

40 *ATIS mage neutra Pelaſga*.) *Poema* in dativo & ablativo plurali facit *poematis*.

41 *Tres Caſus Græcos*.) Dicunt Poetæ in genitivo, *Pallados* à *Pallas*, in accuſativo, *Hectora* ab *Hector*, & *Troas* à *Tros*.

42 *Quarta dat US*.) Terminationes quartæ declinationis ſunt *us*, & *u* indeclinabile : nam illud obſoletum eſt, quod Cicero in Arato dixit *genus* in genitivo à *genu*, & Lucanus *Cornus* à *cornu*. Sicut etiam obſoluerunt Genitivi ſingulares in *i*, ut *Senati*, *Quæſti*, *Adventi*. Plaut. Caſ. *Egreditur Senati columen præſidium populi*. Aul. *Nihil hic eſt quæſti furibus*. Ter. Phorm. *Ubi Patris adventi in mentem venit*.

43 *ES*, *olim patrius*.) Veteres in genitivo dicebant *dies* & *die* & *dii* : in dativo *die* & *dii* : in ablativo etiam *diu*. Hinc *Diu noctuque*; nam *noctu* eſſe ablativum, ſicut *lucu*, pro *luce*: apparet ex hoc Ennii; *Hac noctu filo pendebit Hetruria tota* : & Quadrigarii:

Dant *UBUS*, hæc quatuor, *portus*, *tribus*, *arcus* & *artus*.

Quinta Declinatio.

43 *ES*, olim patrius: sed & *E*, *II*, sæpe poetæ.

ERUM, *EBUS*que caret pluralis: tolle *dies*, *res*.

Non Cicero voluit *specierum*, nec *speciebus*.

RE-

rii: *Senatus de noctu convenire, noctu multa domum dimitti*. Priscianus libro 8. *Veteres frequentissimè inveniuntur similem ablativo protulisse in hac declinatione tam genitivum, quam dativum, ut* Sallust. *Dubitavit acie pars*, pro *aciei*. Virgil. *Libra die somnique pares ubi fecerit horas*, pro *diei*. Ovidius quoque *fide*, pro *fidei* posuit 6. Metam. *Utque fide pignus dextras utriusque poposcit*: Cic. pro S. Roscio, *pernicii* dixit, à *pernicies*. Pacuvius, *progenii* à *progenies*. Virgil. & Cælius historicus, Charisio teste, *dii*, à *dies*. Plautus in Mercatoris prolog. *Amatores, qui aut nocti, aut dii, aut soli, aut lunæ miserias narrant suas*. Ita legit Servius, qui etiam *fames*, *famii*, veteribus dictum testatur. Varro scilicet genitivo *fami* dixit, teste Charisio, in dativo similiter Plautus Stich. act. 2. sc. 1.

REGULÆ DE VERBORUM

Præteritis & Supinis.

OMnes has Regulas centum & ſeptuaginta verſibus hexametris feliciter complexus eſt Emmanuel Alvarez è Societate Jeſu, quos ex ejus Grammatica pueros petere, memoriæque mandare ſuadeo. Etſi enim dubium non habeo, quin ediſcendis 1141. ſententiis illis in *Mercurio bilingui* poſitis, verba pleraque omnia inflectere jam didicerint, minimè tamen diſconducet, eos regulam certam habere, ad quam timentes memoriæ fidem ac dubitantes reſpiciant. De *Supinis* ſupra demonſtravi, ea perperam pro verbis haberi, cùm vera & germana ſint nomina quartæ declinationis, ex participiis paſſivis in *TUS* formata: nihilominus tanti eſt, pueros verſibus illis ediſcendis certo ſcire, cum quæ ſingulorum verborum participia ſint paſſiva, tum quæ quartæ declinationis nomina ſaltem in accuſativo & ablativo caſu ex participiis illis efficta extent: nam neque omnium verborum *Supina* ſunt tradita, neque eorum ferè alii caſus, quam in *UM* & *U* exeuntes, ſunt inventi. Verbi gratia: *Promptu*, eſt ablativus è participio factus, quod præpoſitio arguit, cum legitur. *In promptu eſt*. Si quis jam dicatur *Iviſſe promptum ex arca pecuniam*, erit accuſativus ſuppreſſa præpoſitione *ad*, velut in *Syntaxi* planum fecimus. Sed *homo magno natu*, *tantus natu*, *major natu* legimus, nec tamen *natum*. Similiter nec *Suppetias*, *inficias*, *inſtar*, *impete*, alio caſu inventa ſunt, quæ tamen propterea ex nominum cenſu nemo exegerit.

gerit. *Impetibus* tamen *crebris* dixit Lucretius, & Septimius Serenus *Ad instar*, sicut *ad modum*. Paulus verò Jurisconsultus, *Ire ad inficias*, pro *inficiatum*, quo modo *Ire ad suppetias*, est *ire ad suppetiatum* sive *auxiliatum*. *Suppetiæ* est apud Plautum Amph. a. 5. s. 1. *Non metuo quin meæ uxori latæ suppetiæ sint divinitus*. Sabin Epist. Demoph. *Non equidem infiteor, multum clamavit uterque*.

PROSODIA.

Regulæ de Syllabarum Quantitate.

OMnem Prosodiæ Latinæ rationem versibus quasi centum sexaginta idem Alvarez ita explicuit, ut nihil præterea desiderandum videatur. Magister meus Sanctius, & alii, qui eadem de re versus contexuere, minus mihi satisfaciunt. Ad Alvari ergo Acroasin adolescentes mitto, nec eos modo, quibus ingenium ad poeticam factum sortito obtigit, sed etiam quos sivè inter legendum, sivè in cædendo sermones ignorata syllabarum quantitate ludibrium aliis debere pudet.

DE SYNTAXI

seu Constructione.

Quid est Syntaxis?

Est debita partium orationis inter se compositio.

Quotuplex est Syntaxis?

Duplex: *Regularis* & *Irregularis* sive *Figurata*.

Quid est Syntaxis Regularis?

Est

Est compositio inter se partium orationis consentanea regulis artis.

Quotuplex est Syntaxis Regularis?

Duplex. *Concordia* & *Rectio*.

Quid est Concordia?

Est partium orationis, sivè ejusdem, sivè diversi generis inter ipsas convenientia, ut in *Vir bonus*, conveniunt inter se partes ejusdem generis, quia utrumque nomen est. Sed in *Virtus laudatur*, est convenientia partium diversi generis, cum altera nomen sit, altera verbum. Hæc autem *Concordia* vel propriè, vel impropriè dicitur. Propriè quidem de nominibus, verbis & participiis, quæ aliquid tertium habent, in quo conveniant: Impropriè vero de particulis, cum ex consensu hominum sivè instituto unà ponuntur, ut *Ne dicas*, *Non dices*, *Ne dic*, *Utinam viveret*.

Quid est Rectio?

Est certi casus adsciscendi potestas. Ut in *Filius Dei*, nomen substantivum adsciscit sibi genitivum. In *posuit animam*, verbum activum adsciscit accusativum, *pro peccatoribus*, præpositio adsciscit ablativum.

DE CONCORDIA NOMINIS.

Quotuplex est Concordia nominis.

Quadruplex: Alia enim est concordia nominis substantivi cum adjectivo, alia nominis relativi generalis cum nomine antecedente, alia nominis relativi specialis seu reciproci cum nomine antecedente, alia nominis cujuscumque cum verbo personali.

Qua

Quæ est regula Concordiæ nominis Substantivi cum Adjectivo?

Nomen substantivum sivè expressum, sivè suppressum, cum adjectivo consentit numero & casu, † ut *Mali corvi malum ovum*. *De meo sumtus facio*, pro, *meo ære*. *Delphica laurus*, pro, *Delphica arbor laurus*. *Triste lupus stabulis*, pro, *triste negotium*, id est, *tristis res lupus est stabulis*.

Quæ est regula Concordiæ nominis relativi generalis cum nomine antecedente?

Nomen relativum generale semper collocatur inter duos casus unius nominis expressos aut suppressos, quorum antecedentem refert in genere & numero, cum sequente convenit in numero & casu, ut *Vidi hominem, qui homo sedebat*. Nihil autem refert sivè casus sint expressi, sivè suppressi ac subintelligendi: nam aliàs supprimitur antecedens casus, ut *Nemini credo, qui dives blanditur pauperi*, pro, *nemini diviti credo*: aliàs supprimitur sequens casus, ut

† Adjectiva nullum genus habere dixi. Itaque adjectivum in genere cum substantivo nomine convenire non potest. Illa quippe duo dicuntur convenire, quæ aliquid tertium commune habent. Itaque cum dicis *vir bonus*, non conveniunt ista duo nomina in genere, cum *bonus*, velut adjectivum, nullum habeat genus, sed tantum terminationem generi masculino attributam. Potest ergo Magister, si sic ei videatur, regulam de *nominum Concordia* in puerilis ætatis gratiam sic formare: *Nomen substantivum sivè expressum, sivè suppressum cum adjectivo consentit in numero, casu & generis terminatione*. Ita *vinum forte* habent ejusdem generis, neutri puta, terminationem. Ex versibus enim de genere terminationis jam constitit, nomina in *um* esse generis neutri, similiterque in *e*.

ut *Odi sapientem, qui sibi non sapit*, pro, *qui sapiens*: aliàs uterque casus supprimitur, ut *Sunt quos arma delectant*, pro, *sunt homines, quos homines arma delectant.*

Quæ sunt regulæ Concordiæ nominis reciproci cum nomine antecedente?

Prima.

Ambiguitatis evitandæ causa nomen reciprocum cum primo & præcipuo supposito convenit, sed ubi nullum ambiguitatis est periculum, indifferenter reciprocum & quodvis aliud relativum cum supposito consentit, ut *Homines à Deo discedunt propter peccata sua.* Hic reciprocum *sua*, cum primo supposito *homines* relativè convenit. *Cepi passerem in nido suo*, vel *ejus* vel *ipsius*, promiscuè dicitur: nam ubi prima est vel secunda persona, ibi non est periculum ambiguitatis, sicut etiam in tertiis personis sæpe sermo dubius esse non potest, adeoque non refert reciproco, an quo alio relativo utaris, ut Cicero: *Camillus mihi scripsit te locutum esse cum eo*, pro, *secum. Ulciscentur eum mores sui* vel *ipsius*. Plautus. *Suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit*, pro, *sistam ei rem ipsius salvam.*

Secunda.

Nomen reciprocum & alia relativa indifferenter cum præpositione *inter* consentiunt, ut *Contendunt inter se docti. Contentio est doctorum inter se*, vel *inter ipsos*. Plautus, *Dicam cogna-*

tis, *ut bona mea inter eos partiant*, pro, *inter se*,

Tertia.

Nomen reciprocum cum nomine *quisque* consentit, ut *Justitia suum cuique tribuit. Quisque suos patimur manes.*

Quæ est regula Concordiæ cujuscumque nominis cum verbo personali?

Nomen cum verbo personali in solo numero convenit, ut *Probitas laudatur & alget.* In † persona non potest convenire, cum omnia nomina sint tertiæ personæ, præter *ego*, quod est primæ, & *tu*, quod est secundæ, & relativa pleraque, quæ sunt omnium personarum, ut *Qui sciam, qui scias, qui sciat, uter sumus, uter estis, utri sunt.* Nominativus in oratione affirmante aut negante cum verbo sivè expresso, sivè suppresso in numero con-

† Dixi etiam, *Personam esse specialem numeri verbalis differentiam.* Nomina ergo personam nullam habent, adeoque in persona cum verbis convenire non possunt. Habent tamen aptitudinem ad personam, ut ei accommodari possint. Et duobus quidem nominibus *ego* & *tu* exceptis, quorum illud primæ tantum; hoc secundæ personæ verbis aptum est; itemque relativis quibusdam, ut jam *sexta Concordiæ nominis regula* monui; cætera nomina omnia tertiæ verborum personæ accommodantur. Itaque cùm regula nostra de *Concordia verbi finiti* dicit, *Omne verbum finitum habet pro supposito nominativum*, intelligendum est, nominativum personæ verbi accommodabilem sivè habilem. Nam si dicas *ego docet*, convenit quidem verbum finitum cum nomine in numero, sed nomen illud non est habile personæ verbi. Hac ergo de re Magister discipulos monere poterit.

convenit, ut *Triste lupus stabulis* : *Dulce bellum inexpertis*.

DE RECTIONE NOMINIS.

Quotuplex est Rectio Nominis?

Duplex, *Vera* scilicet & *Falsa*.

Quotuplex est vera Rectio Nominis?

Quadruplex : Alia enim est Rectio nominis substantivi cujuscumque : alia nominis substantivi verbalis, sivè à verbo derivati : alia nominis adjectivi ex participio activo facti : alia denique adjectivi participio passivo similis.

Quæ est regula Rectionis nominis Substantivi cujuscumque, sivè in genere?

Solum nomen substantivum sivè expressum, sivè suppressum regit, sivè adsciscit casum genitivum, sivè : Omnis genitivus à nomine substantivo expresso aut suppresso regitur, ut *Lectio librorum Ciceronis*. *Nummus auri*. *Accuso te furti*, subaudi, *crimine*. *Natus Romæ*, subaudi, *in Urbe*. *Quanti emisti?* subaudi, *æris pretio* : nam integra oratio secundum regulas est : *Pro quanti æris pretio emisti? Lumborum tenus mergitur*, subaudi, *fine*, pro, *usque ad finem lumborum*.

Quæ est regula Rectionis nominis Substantivi Verbalis?

Nomen substantivum verbale plerumque genitivum, interdum verbi sui casum regit, ut *Lectio poetarum*. *Classi propinqua domum itio dabitur*. *Meus è foro domum reditus*. *Justitia est obtemperatio legibus*. *Quid tibi me tactio est*, vel *tactus est?* pro, *Quid me*

me tangis? Quid tibi ludos spectatio est, vel *spectatus est*, pro. *Quid spectas ludos? Eo spectatum ludos*, pro *ad spectatum* vel *spectationem ludos* seu *ludorum*: Nam *spectatum*, non est verbum supinum, sed nomen verbale quartæ declinationis. Plaut. Aul. *Hic eam rem vult mecum adire ad pactionem*, pro, *ejus rei*. Vide Annotationes. †

Quæ est regula Rectionis nominis Adjectivi ex Participio activo facti?

Nomen adjectivum ex participio activo factum regit genitivum, ut *Amans uxoris*; *appetens alieni*, *amantior* vel *amantissimus suorum*. Cujus regulæ causa

† *Victimam Sacerdotes mactatum eunt*, pro, *Sacerdotes eunt viam ad mactatum victimam*, pro, *victimæ*. Lucret. *Hostia concideret mactatu mœsta parentis*. Accusativus nempe *victimam*, regitur non ab *eunt*, sed à *mactatum*. Non ergo Latinè dices: *Victima mox mactatum iri videtur*, sed, *victimam*, quoniam à *mactatum* regitur. Integra porrò oratio secundum regulas talis est: *Videtur viam iri ad mactatum victimam*. Ubi *viam iri*, ponitur pro nominativo, quasi esset: *Itio* seu *profectio ad mactationem victimæ videtur*: sicut, *Viam istam iri mirum est*, *cum sit latronibus infesta*. Ita Cato dixit: *Contumeliam mihi factum itur*, non *contumelia*: nam integra oratio est: *Via itur ad factum contumeliam*, sicut, *Ille it viam factum mihi contumeliam*: ubi perspicuum est, *contumeliam* regi à *factum*, non ab. *it*. Ita si quærenti *quid agitur*? respondeat quis: *Ligna cæsum itur*: quis non videat, *ligna* esse accusativum, & regi à *cæsum*, perinde ac si dixisset, *Ligna cæsum eo*, pro, *eo viam ad cæsum ligna*. Porrò *ire viam*, sivè *ire iter*, metaphoricè dicitur pro *conari*, sicut & *viam affectare* usurpatur, & *tendere* aut *intendere viam* sivè *iter*, Lucret. *Quod facere intendunt, nec adhuc conata patrantur*, pro, *quod facere conantur*.

sa est, quoniam talia adjectiva faciem tantum adjectivi habent, sed vim substantivi. Imò in participio subauditur substantivum, ut *homo amans*. Plaut. Pseud. a. 1. s. 3. vers. 88. Pœn. a. 3. s. 1. vers. 9. quia in eo latet substantivum formale, ut *amans amorem uxoris*, *Appetens appetitum alieni*.

Quæ est regula Rectionis nominis Adjectivi Participio passivo similis?

Nomen adjectivum non nisi terminationem cum participio passivo communem habens regit casum verbi sui, ut *Populabundus agros*, *Vitabundus castra hostium*.

Quot sunt regulæ falsæ Rectionis nominis?

Sex nimirum de sex casibus, qui à nominibus regi falso dicuntur.

Quæ est regula de falsa rectione Nominativi?

Nominativus post verbum finitum, seu personale, à verbi ipsius supposito nomine regitur, ut *Cato scribit invitus*. Sed falsum est nominativum vel à nomine, vel à verbo regi, non enim hic *Rectio* est, sed *Concordia*, quia nominativus prior, qui est verbi suppositum, nempe *Cato*, convenit cum verbo *scribit* in numero: Sed posterior nominativus ad suppositum pertinens, nempe *invitus*, convenit partim cum supposito in numero & casu, partim cum verbo in numero.

Quæ est regula de falsa Rectione Genitivi?

Genitivus a variis nominibus adjectivis regitur, ut *Plenus vini*, *dives agri*, *peritus juris*; *conscius facti*, *ignarus omnium*, *miser animi*, *integer vitæ*. Sed falsum est istos genitivos regi ab adjectivis, cum regantur Græco more vel à præpositione suppressa *ἐκ* vel *ἕνεκα* (quæ præpositiones significant Latinis,

De, Italis *Di*, ut *Plenus vini*, sit *plenus de vino*, *pieno di vino*) vel à suppressis nominibus *causa*, *ergo*, quasi dictum esset, *Dives agri ergo*, *peritus juris causa*, *miser animi causa*, pro, *quod attinet ad agrum*; *jus*, *animum*. Potest etiam subaudiri nomen substantivum cognatum Adjectivi, & formam ejus significans, ut *dives divitiis peritus peritia*, *miser miseria*. De quo videatur Auctar. Rudiment.

Quæ est regula de falsa Rectione Dativi?

Dativus à nominibus similitudinem, utilitatem, facultatem, aut contra significantibus regitur. Sed revera dativus à nullo nec nomine, nec verbo, nec alia quavis parte orationis regitur, sed aptè cuivis orationi jungitur, cum acquisitionem aut ultimum finem, commodum, vel incommodum, objectum vel subjectum significat, ut *Sum dominus his ædibus*. *Justitia est obtemperatio legibus*. *Abalienatio est rei traditio alteri*. *Dura est servitus homini opulento*, id est, *quæ servitur apud opulentum*. *Hic fur est mihi*, pro, *à me furatus est*. *Cupidus vino*. *Hoc mihi datur vitio*, pro, *hoc mihi additur ad meum vitium*. *Tibi deserit Hesperus Oetam*, pro, *tua causa*. *Deus omnibus curat*. *Metuo tibi*. *Hoc vobis decet*. *Hoc mihi latet*. *Jussit mihi scribere*, id est, *scriptionem*. Lucr. 6. *Percolatur enim virus*, *retroque remanat Materies humoris*, *& ad caput*, *amnibus omnis Confluit*: ad caput amnium. Ibid. *Flammæ tempestas Siculum dominata per agros Finitimis ad se convertit gentibus ora*. Liv. 10. *Bellum Samnitibus populo jussit*. Et l. 9. *Bellum Hernicis jussum erat*. Plaut. Bacch. a. 2. s. 3. *Exorta est mihi hæc tela*. Cist. a. 4. s. 2. *Exorditur sibi orationem*. Salust. *Insidiæ Consuli non procedunt*: quæ structæ erant

Con-

Consuli. Plaut. Trinum a. 3. s. 2. *Cum mihi cassidem sumsero in caput*. Idem Bacch. a. 4. s. 9. *Pugnam conserui seni*. Propert. l. 2. el. 28. vers. 10. *Præ se formosis invidiosa Dea est*. Plaut. Aul. a. 3. s. 6. *Cui agno exta in sole inspicere etiam vivo licet*, pro, *cujus exta*. Asin. a. 1. s. 1. *Neminem metuo mihi*. Horat. *Parum sepultæ distat inertiæ celata virtus*. Terent. *Sapiens stulto quid interest*. Cicer. *Quicquid apud Cæsarem valebo gratia, valebo tibi*.

Quæ est regula de falsa Rectione Accusativi?

Accusativus à nominibus dimensionem aut partem aliquam totius significantibus regitur, ut *Vixit annos centum*. Vitruv. *Pilæ altæ pedibus tribus, latæ quaternis*. *Latus duas ulnas*. *Albus dentes*. Revera enim accusativus semper à præpositione expressa aut suppressa regitur, nisi sit vel infiniti verbi suppositum, ut *Volo scribere*, vel activi verbi appositum, ut *Rogo te*. Cum ergo dicitur: *Vixit annos centum*, subauditur præpositio *per*, quæ accusativum regit. *Latus duas ulnas*, subaudi *ad*. *Omnia Mercurio similis*, subaudi *per* vel *ad*. *Fractus membra*. *Albus dentes*. *Cætera lætus*, *sanctus alia*, subaudi *ad*, pro quo barbarè vulgo dicunt *quoad*.

Quę est regula de falsa Rectione Vocativi?

Vocativus à nominibus *tu* & *vos* regitur, ut *Lectule deliciis facte beate meis*. *O dolor atque decus magnum rediture parenti*. *Huc venias hodierne*. Revera enim vocativus à nulla orationis parte regitur, etsi sæpe cum interjectione *O* conjungatur; sed tota composita oratio ad vocativum dirigitur, *Quid amice præmii erit, si hoc fecero*. *Esto tu Cæsar amicus*. *Audi Jupiter, audi tu populus Albanus*. *Dardaniæ*

stratus dextra miserande jaceres. *Nate meæ vires, mea magna potentia solus:* ubi subauditur *ens*, pro, *tu, qui es meæ vires*. Plaut. Asin. a. 3. s. 3. vers. 101. *O Libane, ocellus aureus, donum, decusque amoris. Da meus ocellus, da mea rosa, da mi anime*. Propert. l. 4. el. 10. vers. 17. *Herculis ite boves nostræ labor ultime clavæ*.

Quæ est regula de falsa Rectione Ablativi?

Ablativus à nominibus adjectivis gradum comparationis, instrumentum, causam, modum aut similem circumstantiam significantibus regitur, ut *Doctior illo*. *Suo gladio hunc jugulo*. Revera enim omnis ablativus à sola præpositione expressa aut suppressa regitur, *Indoctior illo*, subaudi præpositionem *præ*, quæ ablativum regit. *Suo gladio hunc jugulo*, subaudi *cum*. *Dignus laude*, subaudi, *pro*, Horat. *Dignum præstabo me etiam pro laude*, vel subaudi, *à*, pro, *quod ad laudem attinet:* nam *Dignus* est à δείκνυμι, id est *monstro*, quasi δεικτίον dicas seu digito monstrabile. Itaque etiam dicitur, *Dignus aliquid*, sivè *ad aliquid*, similiter ut *Arte insignis*, pro, *ab arte*, ut ait Ovidius. Ter. Andr. a. 5. s. 3. *Dignus es cum tua religione odium*. Sic est in Bembi codice, & agnoscit Donatus, quamvis nesciat qua hoc ratione dictum sit. Plaut. Asin. *Ne id quidem me esse dignum existimat*. Et Cap. a. 5. s. 2. *Non me censes scire, quid dignus sim*. Et Pseud. *Si tibi exoptem quantum dignus*. Et Mil. *Ad tuam formam illa sola digna est*. Similiter *contentus aliquo* & *aliquid*. Plaut. Capt. a. 1. s. 2. *Si pauxillum potes contentus esse*. *Plenus vino*, subaudi, *de*. *Magno emere*, subaudi, *pro pretio*. *Numero militum impar*, *superior aliis*, subaudi, *ab*, pro, *quod ad numerum*, *ad alia attinet*.

net. Horat. *Viduus pharetra*, subaudi *à*. Virgil. *Cur ego Ditis opacos Cogor adire lacus viduosque à lumine Phœbi*. *Hortensius fuit multis rebus Cicerone inferior*, pro, *fuit à multis rebus præ Cicerone inferior*. *Adolescens bona spe*, *magno ingenio*, *prisca fide*, *prosequi odio*, *afficere honore*, *pace tua*, subaudi, *cum*. *Dives nummis*, *Egeo nummis*, subaudi, *à*, pro, *quod ad nummos attinet*. Sic *natione Græcus*, *genere nobilis*, *domo Italus*, subaudi *à*. *Pallet metu*, subaudi *à* vel *ex*. *Venit mane*, *luci*, *vesperi*, *tempori*, subaudi *cum* vel *in*: nam ista sunt ablativi casus, sicut etiam *Natus Carthagini*. *Ruri vivit*, subauditur *in*. *Auctore Aristotele*, *Nerone Imperatore*, *Ardente sole*, subaudi *sub*. *Hoste superato*, *lectis tuis literis*, subaudi *à*: quod significat *post*. *Hora tertia*, subaudi *de* vel *in*. *More veteri*, subaudi *de* vel *ex*. *Cantando aliquem vincere*, subaudi *in*. *Glorior opibus*, subaudi *de*. *Privor potestate*, subaudi *à*. *Sacrifico vitula*, subaudi *cum*. *Fruor villa*, pro, *fruor fructum ex villa*. *Utor libris*, pro, *utor usum*, id est, *utilitatem capio ex libris*. *Potior pecunia*, pro, *potior potestatem à pecunia*. *Careo molestia*, pro, *careo carere* (id est, *caritatem*, sive ut vulgo dicunt, *carentiam*) *à molestia*. *Interdico tibi domo mea*, pro *interdico tibi interdictum à domo mea*, id est, *quod ad meam domum attinet*. *Indigus omni auxilio*. Lucret. 5. Cæsar. 3. belli civil. *Numero equitum multis partibus erat inferior*. *Amictus veste*, pro, *à veste*. Ovid. 5. Metam. *Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis*. *Expers malo*, pro, *à malo*. *inexpers mali*, subauditur *partem*.

DE

DE SYNTAXI VERBI.

De Concordia Verbi.

Quotuplex est Concordia Verbi?

Duplex: alia est concordia verbi finiti seu personalis, alia verbi infiniti sivè impersonalis, quod vulgo infinitivi modi dicitur.

Quæ sunt Regulæ de Concordia Verbi Finiti?

Prima.

Omne verbum finitum, seu personale, habet suppositum, seu præcedentem nominativum, sivè expressum, sivè suppressum, sivè infinito verbo aut alia oratione commutatum, cumque illo nominativo supposito in numero consentit, ut *Tu doces*, *Nos discimus*. Hic suppositum verbi seu nominativus præcedens est expressus. *Legis*, *audimus*, *ajunt*, *ferunt*, *pluit*, *lucescit*. In his suppositum verbi, seu nominativus præcedens est suppressus & subaudiendus, nimirum, *Tu*, *nos*, *homines*, *pluvia* vel *cœlum*, *lux*. Sic in *Miseret*, *tædet*, *pudet*, *piget*, *pœnitet*, subaudiuntur nominativi, *Misericordia*, *tædium*, *pudor*, *pigritia*, *pœnitentia*. In *Vivitur*, *curritur*, *statur*, *sedetur*, *egetur*, subaudis *vivere* seu *vita*, *currere* seu *cursus*, *stare* seu *status*, *sedere* seu *sessio*, *egere* sivè *egestas*. Plaut. Stich. a. 5. s. 4. *Haud tuum est te vereri. Quid fit? Ligna cæsum itur*, pro, *Via itur ad cæsum ligna*. *Libet me epigrammata facere*. Hic oratio hæc, *Me epigrammata facere*, ponitur pro nominativo, quasi esset: *Mea factio* aut *factura epigram-*

matum

matum libet, id eſt, *jucunda eſt*. *Fugere vitium eſt virtus*. Hic ſuppoſitum verbi, *Fuga vitiorum*, commutatum eſt verbo infinito, *Fugere vitia*. *Deprehendi miſerum eſt*. Hic ſuppoſitum verbi, *Deprehenſio*, commutatum eſt verbo infinito, *Deprehendi*, Plaut. Aul. *Certum eſt Silvano potius credam, quam Fidei*, pro, *Ut credam Silvano*, ſive *credere certum eſt*. Ubi nominativus *Creditus* vel *creditio* commutatus eſt hac oratione, *Ut credam*. Sic Capt. *Eſt miſerorum ut malevolentes ſint & invideant bonis*, pro, *Malevolentia & invidia eſt res miſerorum*. Sic quæritur, *quis naves primus invenerit?* Hic ſuppoſitum verbi ſeu nominativus præcedens, nempe *Primus inventor navium*, commutatus eſt hac oratione, *Quis naves primus invenerit?* Sic *Dicitur mulam peperiſſe*, nominativus præcedens, nempe *Partus mulæ*. commutatus eſt hac oratione, *Mulam peperiſſe*. *Maja peperiſſe dicitur*. Eſt Græciſmus Nominativi pro Accuſativo. Sic *Multos homines quotidie mori dicitur*, pro, *Mors quotidiana multorum dicitur*. *In conſilium iri videtur*, ſubaudi, *Viam*; ubi *Viam iri* habet vim nominativi, quaſi eſſet *Viæ itio*, ſicut *Viam iſtam iri mirum eſt*, *cum ſit latronibus infeſta*. Sic, *Multos venturos eſſe creditur*, pro, *multorum adventus creditur*. Liv. 42. 28. *Mihi magiſtratus creare juſſum eſt*, pro, *Creatio magiſtratus eſt negotium mihi juſſum*.

Secunda.

Verbum finitum ſeu perſonale ſæpe habet appoſitum ſeu ſequentem nominativum, ad ſuppoſitum verbi pertinentem, ſive cum eo in numero conſentiat, ſive

sive non, ut *Ego didici hoc puer*. *Ego vocor Marcus*. *Tu captus es arbiter*. *Deus est animus*. *Tu fili esto sobrius*. *Nos sumus docti*. Propert. *Nam cui non ego sum fallaci præmia vati*. Idem: *Una sit & cujus fæmina multa mala*. Sic possum dicere: *Quivis concubitus meretrici est nuptię*. *Quadrigæ fuere nota argenti*. Nominativus porrò appositus censetur etiam oratio nominativi vim habens, quem Scholastici nominativum *Virtualem* dicerent, non *Formalem*, ut Plaut. *Ego videor me eam vidisse prius*. Ubi hæc oratio, *Me vidisse*, vim habet nominativi, quasi esset, *Ego videor ejus visor*: sicut *Me vidisse eam mihi dolet*, pro, *Visus* aut conspectus *ejus mihi dolet*. Ita idem valent, *Servus videtur cunctator*, & *Servus videtur eum cunctari*: nam *eum cunctari* est nominativus, ut *eum cunctari apparet* vel *molestum est*.

Quæ sunt regulæ de Concordia Verbi Infiniti?

Prima.

Omne verbum infinitum, sivè impersonale, habet pro supposito Accusativum expressum aut suppressum, ut *Scio te amare* vel *amari*. *Cupio scire*. *Vereor facere*. *Opto videre diem illum*. *Malo manere quam abire*. In his suppositum sivè accusativus præcedens *Me* supprimitur, cum integra oratio sit, *Cupio me scire*, &c. Ita Lucretius secundum regulam dixit, *Multa tibi me fingere possum*. & Sallust. *Omnes homines qui se student præstare cæteris animantibus*. Plaut. Epid. *Videor me vidisse eam prius*, pro quo figuratè dici solet: *Videor vidisse eam*. Idem Curcul. *Aesculapius mihi visus est eum ad me non adire*, pro

quo

quo ἐλλειπτικῶς dici ſolet: *Viſus eſt ad me non adire:* Ita ſi dicam: *Servus videtur cunctari*, ſubauditur, *eum*. *Arbores videntur cadere*, ſubauditur, *eas*: ubi *eum cunctari*, valet idem quod nominativus *cunctator*: *eas cadere*, quod nominativus *Caducæ* vel *Cadentes*, ſicut ex ſecunda regula paulo prius apparuit. Sed pleríſque tamen figuratè, quam regulariter loqui magis placuit, maxime ubi infinitum ſubſtantivi nominis vim habet, ut *Sunt cantare pares*, pro, *à cantare* ſive *à cantu*, *quod ad cantum attinet*. *Non mihi ſunt vires inimicos pellere*, pro, *expulſioni inimicorum*. *Da mihi bibere*, pro, *potum*. *Diſce tacere*, pro, *ſilentium*. *Eamus videre*, pro, *ad videre* ſeu *viſum*. *Conſilium cepit abire*, pro, *abitus*. *Cœptus eſt*, *deſitus eſt*, idem eſt, *quod cœpit*, *deſiit*. Hæc porrò Accuſativum formalem aut virtualem regunt. *Cœptus eſt contemni*, vel, *cœpit contemni* valet, *cœpit contemtum ſui*, *deſiit videri*, ſive *deſitus eſt videri*, pro, *deſiit viſum* ſeu *opinionem*. Corn. Nepos Miltiad. *Hoſtes fore tardiores, ſi animadverterent auderi adverſus ſe tam exiguis copiis dimicare*, pro, *dimicationem auderi ſe intentari*.

Secunda.

Verbum infinitum ſæpe habet nomen appoſitum cum ejuſdem verbi ſuppoſito, id eſt, cum accuſativo præcedente vel expreſſo, vel ſuppreſſo in caſu conſentiens, ut *Cupio me videri doctum*. Hic *doctum* appoſitum verbi infiniti *videri*, conſentit in caſu cum ejuſdem verbi ſuppoſito, id eſt, cum accuſativo præcedente expreſſo; *me*. *Dixit daturum eſſe*. Hic *daturum*, appoſitum verbi *eſſe*, conſentit in caſu

ſu cum ejuſdem verbi ſuppoſito *ſe*, quod ſupprimitur. Sic *Licet vobis vos eſſe beatos*, vel *licet vobis eſſe beatos*. *Tibi expedit te eſſe bonum*, vel *tibi expedit eſſe bonum*. *Nocet mihi eſſe doctum*, vel *nocet mihi me eſſe doctum*. Sed Græcorum conſuetudine dicitur: *Cupio videri doctus*. *Dixit daturus*. *Licet vobis eſſe beatis*. *Tibi expedit eſſe bono*. *Nocet mihi eſſe docto*.

DE RECTIONE VERBI.

Quotuplex eſt Rectio Verbi?

Duplex: *Vera* ſcilicet & *Falſa*.

Quotuplex eſt vera Rectio Verbi?

Duplex: Alia enim in genere eſt Rectio verbi activi cujuſcunque, ſive finiti, ſive infiniti: alia in ſpecie eſt Rectio verbi activi infiniti pro nomine ſubſtantivo poſiti.

Quę eſt regula veræ Rectionis verbi activi cujuſcunque?

Omne verbum activum tam finitum, quam infinitum ſemper regit accuſativum ſivè expreſſum, ſivè ſuppreſſum, ſivè verbo infinito aut alia oratione commutatum, ut *Diſco literas*. *Veneror Deum* (nam verbum deponens eſt activum, quod priſcam paſſivi ſignificationem depoſuit) *Vivo*, *dormio*, *gaudeo*, *jocor*, *curro*. In his ſubaudi accuſativos *vitam*, *dormitionem*, *gaudium*, *jocum*, *curſum*. *Terra movit*, *nox cælo præcipitat*, *illa jam lavit*, *nupſit viro*, *emerſit ex malis*, *volventibus annis*, *anno vertente*, *res bene vertat*, *res bene habet*. In his omnibus ſupprimitur accuſativus *ſe*. *Objecit mihi facere lenocinium*, ſubaudi, *me*: & hæc oratio, *Me facere lenoci-*

noci-

nocinium, vim habet accusativi. *Desidero videre te*, pro, *desidero conspectum tuum*. *Cupio vivere*, pro, *vitam*. *Odi tuum vociferari*, pro, *tuum clamorem*. *Volo facere*, pro, *volo factum*, quod ipsum in usu fuisse constat. In his accusativus commutatus est verbo infinito. Sic *volo obsecutum*, pro, *volo obsequi*. Asin. a. 1. s. 1. *Dico tibi ne facias*. Hic verbum activum regit accusativum alia oratione commutatum, quomodo & in isto: *Hæc res facit me confidere*, *facit ut confidam*, pro, *facit me confidentem*. *Scio filium meum amare scorta*, *scio ut amet*, *quam amet*, *quod amet* vel *amat*, pro, *scio filii amorem scortorum*. Cic. *Ganymedem raptum*, *ut Jovi bibere ministraret*, pro *potum*. Sic *jussit mihi scribere*, *jussit mihi ut scriberem*, pro, *jussit mihi scriptionem*. *Vetas me queri*, *vetas mihi queri*, *vetas mihi ne querar*, pro, *vetas mihi quæstum seu querelam*. *Iter istud a tam multis celebrari miror*, pro, *Miror multorum celebrationem istius itineris*. *Cupio me videri doctum*. Hic oratio ista, *Me videri doctum*, posita est pro accusativo, quasi esset: *Cupio opinionem doctrinæ*. Terent. Adel. *Quod te purges*, *hujus non faciam*: Ubi Donatus, Figuratè, *quod te purges*, id est, *purgationem tuam*. *Non necesse habeo me moneri*. Hic *me moneri* positum est pro accusativo, quasi sit: *Non habeo monitum mei necesse*, sicut, *Non habeo auditores attentos*: nam *necesse* & *necessum* sunt adjectiva, quæ cum substantivo *monitum* vel *moneri* numero & casu conveniunt. Vide Annotat. ad Syntaxin, ibique regulam secundam de Verbo.

Quæ est regula veræ Rectionis verbi activi infiniti pro nomine substantivo positi?

Verbum activum infinitum nominis loco positum,

tum, cumque participio in numero & casu consentiens, sivè exprimatur, sivè subaudiatur, alias *genitivum* regit, ut *nomen*, aliàs *accusativum*, ut *verbum*.

Da exempla Genitivi, qui à verbo infinito regitur.

Cum dicimus, *Tempus est legendi*, subauditur *legere*, quod vim habet substantivi nominis in genitivo casu, quasi esset, *lectus*, id est, *lectionis*, & hoc verbum infinitum suppressum cum participio convenit in numero & casu. Jam cum dicimus, *Tempus est legendi epistolæ*, genitivus *epistolæ*, regitur non à participio *legendi*, sed à suppresso verbo infinito *legere*, quod nominis vim habet: nam *Legere bonum est*, idem significat ac *lectio bona est*. Similiter Latinè dicitur, *Tempus est legendi poetarum*, quia genitivus *poetarum*, regitur à suppresso verbo infinito *legere*, quasi dictum foret: *Tempus est legendi lectus Poetarum*, id est, *legendæ lectionis poetarum*.

Da exempla Accusativi, qui à Verbo Infinito, pro nomine posito, regitur.

Cum dicimus, *Nunc est bibendum*, subauditur *bibere*, quod vim habet substantivi nominis in nominativo casu & cum participio convenit in numero & casu. Jam cum dicimus. *Nunc est bibendum aquam*, accusativus *aquam* non regitur à participio *bibendum*, sed à supposito verbo *bibere*, quod nominis vim habet. Sic prisci dicebant, *pugnatum est pugnam*, subaudito verbo infinito *pugnare*, quod regit accusativum *pugnam*. Sic *ardeo desiderio discendi literas*, suppressum est verbum infinitum *discere*, quod accusativum *literas* regit. *Tempus est legendi*, subau-

ſubauditur *legere*, quod vim habet nominis in genitivo caſu. Ergo cum dicitur, *Tempus eſt legendi poetas*, accuſativus *poetas* non regitur a participio *legendi*, ſed à verbo infinito ſuppreſſo *legere*. *Legendo fies doctus*, pro *in legendo legere*, id eſt, *in legendo lectu*, ſivè *in legenda lectione fies doctus*: Cum ergo dicitur, *Legendo libros fies doctus*: accuſativus *libros* à ſuppreſſo verbo *legere* regitur. *Eo ſpectare ludos*, pro *ad ſpectare*, ſivè *ad ſpectatum* vel *ſpectationem*. Hic accuſativus *ludos* regitur à verbo infinito, quod nominis vim habet, cum ei præpoſitio addi poſſit, ſicut Lucretius: *Ad ſedare ſitim fluvii fonteſque vocabant*.

Quotuplex eſt falſa Rectio Verbi?

Duplex: Alia eſt verbi finiti: ejuſque velſu bſtantivi, vel activi, vel paſſivi: alia verbi infiniti: ejuſque vel gerundi, vel ſupini.

Quæ ſunt regulę falſæ Rectionis Verbi Subſtantivi?

Prima.

Verbum ſubſtantivum ſignificans idem, quod *pertinere*, genitivum regit, ut: *Quod medicorum eſt promittunt medici*. Sed falſum eſt hunc genitivum regi à verbo *eſt*, cum regatur à nomine ſubſtantivo ſuppreſſo, quod eſt *negotium*. Sic *Judicis eſt verum ſequi*, ſubaudi, *officium*. *Vincere hoſtes laboris eſt*. *Hoc facere moris eſt*, ſubaudi *res*. Eſt autem apud Latinos & Græcos *res laboris*, idem quod *labor*, *res moris*, idem quod *mos*.

Secunda.

Verbum substantivum formam aut qualitatem alicui inesse significans, genitivum vel ablativum regit, ut: *Abrotanum est jucundi odoris. Homo est antiqua virtute.* Sed falsum est istos casus à verbo substantivo regi, cum genitivus semper à nomine substantivo, ablativus semper à præpositione regatur. Ergo *Abrotanum est jucundi odoris*, subaudi, *herba*, à quo genitivus regitur. *Est majoris animi quam consilii*, subaudi, *homo*. *Est honesta facie, antiqua virtute*, subaudi, *cum*. *Vitium est triste habitu*, pro, *ab habitu*, id est, *quod ad habitum attinet*.

Quæ sunt regulæ de falsa Rectione Verbi Activi?

Prima.

Vebum activum regit duos accusativos, alterum personæ, alterum rei, ut: *Poscimus te pacem, doceo te artes, hoc te moneo, rogo, interrogo, condono te hoc argentum, sine te hoc exorem.* In his omnibus falsum est accusativum rei à verbo activo regi, cum regatur à præpositione Græca κατὰ, id est, *ad*, *circa*, *juxta* vel *secundum*, quæ tamen Græcorum imitatione supprimitur. Regit quidem sæpe verbum activum duos accusativos, sed ita, ut unius accusativi vim habeant cum verbo esse, quod subauditur. Tota oratio, *Te esse virum*, ponitur pro Accusativo, ut *Præsta te virum*, *Deum vocamus patrem*, *Cepimus te arbitrum*, *Dedit agrum dotem*.

Secun-

Secunda.

Verbum activum significans motum ad locum, nomina *urbium*, *domus* & *ruris* in accusativo regit, ut, *Scripsi Romam, ibo Neapolim, rus se abdidit, domum tendo*. In his falsum est accusativum a verbo regi, cum regatur à suppressa præpositione *ad* vel *in*.

Tertia.

Verbum activum regit accusativum nominum, quæ spatium loci aut temporis significant, ut: *Abest iter unius diei. Cœlum patet tres ulnas. Ne transversum quidem unguem ab officio discedere. Triennium hinc abest. Fuimus una duas horas.* In his falsum est accusativum a verbo regi, cum regatur ab aliqua præpositionum suppressa, ut *ad*, *ante*, *circa*, *per*.

Quæ sunt Regulæ de falsa Rectione Verbi Passivi?

Prima.

Verbum passivum regit accusativum rei ex duobus illis accusativis, qui ab activo reguntur, ut: *Doceris artes, moneris utilia, poscor pecuniam.* In his falsum est accusativum à verbo regi, cum à præpositione Græcorum more suppressa regatur, ut in regula prima de *Rectione activi* dictum est.

Secunda.

Verbum passivum regit ablativum cum præpositione *à* vel *ab*, rem agentem significante, ut: *amor à te*, pro, *tu amas me*. Sed falsum est ablativum à verbo regi, cum regatur à præpositione sua: falsum quoque est, præpositione rem agentem significari, cum *à* vel *ab*, nihil hic aliud significet, quam *Ex parte*, *hinc*, *istinc*, *illinc*. *Amaris à me*, id est, *ex parte mea amaris*, *hinc amorem habes*, *amaris quod ad me attinet*.

Tertia.

Verbum passivum regit dativum, qui rem agentem significet, ut: *Non cernitur ulli*, *visus est mihi*. Sed falsum est, dativum ab ullo verbo aut nomine, aut particula regi, etsi cuivis orationi adjungi potest ad significandam acquisitionem, commodum aut incommodnm. Itaque similiter per activum verbum dicemus. *Nullus eum sibi cernit*, id est, *nulli conspicuus est*. *Video illum mihi*. *Audivimus nobis sermonem illius*. *Hoc nobis non probas*. *Dixi te mibi*. *Non omnibus dormio*.

Quarta.

Verbum passivum regit accusativum cum præpositione *per* rem agentem significante, ut: *Res agitur per illum*, pro, *ille rem agit*. Sed falsum est accusativum regi à verbo, cum regatur à præpositione; falsum etiam est præpositione significari rem agen-

agentem. Similiter enim in activo dici potest, *Ego per te rem agam*. Ubi *per* significat instrumentum, alibi significat idem quod Græce κατὰ, ut *Per me quidem sint ista vera*, pro, *quod ad me attinet*. *Proditi per Domitium*, pro, *à Domitio*, *à parte Domitii*, *quod ad Domitium attinet*. *Per hanc cœnam tibi incœnato esse licet*, id est, *quod ad hanc cœnam attinet*.

Quæ sunt regulæ de falsa rectione Gerundi?

Prima.

Verba gerunda in *di* vel in *do* exeuntia regunt accusativum expressum vel suppressum, ut: *Ardeo desiderio discendi literas*. *Defessus sum legendo libros*. *Teneor cupiditate vivendi*, subaudi, *vitam*. Sed hæc rectio falsa est, partim quia nulla sunt verba gerunda, cum nec tempus, nec personam habeant; partim quia isti accusativi reguntur à suppresso verbo infinito, nominis vim habente, quasi dictum foret: *Ardeo desiderio discendi discere literas*. *Defessus sum in legendo libros*. *Teneor cupiditate vivendi vivere*. Sicut in *Discitur*, subauditur, *discere*, in *Legitur*, *legere*, in *Vivitur*, *vivere*.

Secunda.

Verba gerunda in *dum* exeuntia regunt accusativum, ut: *Petendum est pacem*. *Bibendum est aquam*. *Legendum est poetas*. Sed hæc rectio falsa est, cum ista in *dum* non sint verba, sed participia, cum quibus verbum infinitum suppressum, nominis vim ha-

habens, in casu & numero concordat, quasi dictum foret: *Petere pacem petendum est. Bibere aquam bibendum est. Legere poetas legendum est.*

Quæ est regula de falsa Rectione Verbi Supini?

Verbum supinum cum verbis motum ad locum significantibus accusativum expressum aut suppressum regit, ut: *Eo visum ludos. Gratias actum nos Senatus misit. Dedit filiam nuptum*, subaudi, *se*, ut *se nubat*, sive *caput velet viro suo*. Sed falsum est ista esse verba, cum sint nomina quartæ declinationis accusativi casus, & regantur à præpositione *ad* suppressa. Regunt autem nomina verbalia accusativum, velut verbi sui casum, ut supra de *Nominis Rectione* demonstratum est.

DE SYNTAXI PARTICIPII.

Quæ est Regula de Concordia Participii?

Omne participium cum substantivo nomine expresso, aut suppresso, aut verbo infinito vel alia oratione commutato, in generis terminatione, numero & casu concordat, ut: *Hic homo vigilans somniat. Venturo Cæsare Roma trepidat. Pausanias à suis mori coactus est. Legendo Virgilio fies poeta. Credendum est Ciceronem fuisse virum optimum.* Hic nomen substantivum commutatum est hac oratione. *Ciceronem fuisse virum optimum. Nunc est bibendum*, subaudi, verbum infinitum *bibere*, quod substantivi vim habet in nominativo. *Pugnatum est*, subaudi, *pugnare*, quod est loco substantivi. *Catoni fuit moriendum*, subaudi, *mori*. *Tempus est legendi*, subaudi, *legere*, sic *libertas loquendi*, subaudi *loqui*,

Pro-

Propert. *Sit modo libertas quæ jubet ista loqui*. Ita *consilium cœpit abeundi*, subaudi, *abire*. Quod pro genitivo substantivi nominis ponitur: *Charta inutilis scribendo*, subaudi, *scribere*, quod est loco nominis in dativo, quasi esset: *Inutilis scribendæ scripturæ*. *Locus amplissimus ad agendum*, subaudi, *agere*, id est, *actionem*. *Legendo fies doctus*, subaudi, *legere*, quod vim habet nominis in ablativo.

Quotuplex est Rectio Participii?

Duplex: *Vera* scilicet & *Falsa*.

Quæ est regula vera Rectionis Participii?

Omne participium regit casum verbi, à quo derivatur, sivè expressum, sivè suppressum, sivè verbo infinito aut alia oratione commutatum, ut: *Homerus sceptra poetarum potitus*: nam *Potior hanc rem* veteres dicebant. *Dona daturus regi occurrit*. *Adulantem omnibus*, & *adulantem omnes videmus*. Dicimus enim *Adulor tibi*, subaudi, *adulari*, vel *adulationem*.

Quæ sunt regulæ falsæ Rectionis Participii?

Prima.

Participia in *Dus* desinentia genitivum singularem & pluralem regunt loco accusativi, quamvis ipsa sint singularis numeri, ut; *Quæ fuit causa collocandi siderum*. *Non est nunc tempus videndi lunæ*. Hos genitivos falsum est regi à participio, cum regantur à suppresso verbo infinito nominis vim habente, quasi dictum foret: *Causa collocandi collocare siderum*, sive *collocandi collocamenti*, vel *collocandæ collocationis siderum*. *Non est tempus videndi videre lunæ*, sive

videndi visus lunæ . Quosdam tenet cupiditas speculandi rerum alienarum , cædendi mancipiorum .

Secunda .

Participia quædam vel nullum casum , vel à verbi casu differentem regunt , ut : *Laureatus , Tunicatus , Octeatus . Populabundus agros . Vitabundus hostes . Amans uxoris . Alieni appetens .* Sed falsum est ista esse participia , cum sint nomina participalia , quorum alia terminationem tantum cum participiis communem habent , alia ex participiis facta , sunt nomina aliud significantia , quod quidem fit aut *Constructione* , ut *Appetens alieni* : aut *Comparatione* , ut *Doctior , amantior , comitatior* ; aut *Compositione* , ut *Indoctus , indiligens .*

DE
SYNTAXI PRÆPOSITIONIS.

Quæ est regula Concordiæ Præpositionis?

Præpositiones compositivæ cum aliis præpositionibus , item cum adverbiis , conjunctionibus , verbis & nominibus ita conveniunt , ut in unam cum illis vocem coalescant . Et harum quidem octo sunt *Loquelares* , quæ extra compositionem loquelæ tantum , sed nullius significationis sunt . *Significativæ* verò quinquaginta quatuor , quæ extra compositionem habent propriam significationem , de quarum usu Annotationes videantur *pag. 19. & seq.*

Quotuplex est Rectio Præpositionis?

Triplex : Alia scilicet earum præpositionum , quæ

quæ præponuntur accusativo, alia earum quæ ablativo, alia dubiarum, id est earum, quæ utrique.

Quæ est regula Rectionis Præpositionum cum Accusativo?

Præpositiones sequentes viginti sex adsciscunt accusativum. *Ad*, *apud*, *ante*, *adversus* vel *adversum*, *cis*, *citra*, *circa*, *circum*, *contra*, *erga*, *extra*, *inter*, *intra*, *infra*, *juxta*, *ob*, *pone*, *penes*, *per*, *post*, *propter*, *præter*, *supra*, *secundum*, *trans*, *ultra*. *Supra* cum Ablat. Lucret. 6. *Multaque humi cum inhumata jacerent corpora supra Corporibus*.

Quæ est regula Rectionis Præpositionis cum Ablativo?

Præpositiones quindecim sequentes adsciscunt sibi ablativum. *A*, *ab*, *abs*, *absque*, *coram*, *cum*, *de*, *e*, *ex*, *foras*, *præ*, *pro*, *palam*, *sine*, *tenus*.

Quæ est regula Rectionis Præpositionum dubiarum?

Præpositiones quinque. *In*, *sub*, *super*, *subter* & *clam*, aliàs accusativum, aliàs ablativum sibi adsciscunt.

Quando In *regit Accusativum?*

Primò, cum significat motum seu transitum, ut: *Via ducit in urbem*. *Hanc mihi dat in manum*. Deinde cum actio differtur, ut: *In diem est, quod minaris*. *Præsens in tempus rem hanc omitte*. *Precor ut in hunc & plures annos vivas*. Postremò cum accipitur pro *erga* vel *contra*, ut: *Pius in patrem, Ingratus in præceptorem*.

Quando In *regit Ablativum?*

Cum significat aliquid in loco fieri, ut: *In portu navigo*:

Quan-

Quando Sub *regit Accusativum?*

Cum significat motum, vel idem quod *post* aut *circa*, ut: *Sub terras ibit imago. Sub galli cantum. Sub eas literas recitatę sunt tuæ.*

Quando Sub *regit Ablativum?*

Cum quietem significat, ut: *Sub pedibus, sub arbore, sub judice.*

Quando Super *regit Accusativum?*

Cum significat motum, ut: *Columnam super tumulum statui voluit.* Virgilius tamen in quiete significanda utitur. *Fama super æthera notus.* Et Propert. *Et gravis ipse super libera colla sedet.*

Quando Super *regit Ablativum?*

Cum significat quietem, vel idem quod *de*, ut: *Fronde super viridi. Hac super re ad eum scribam.*

Quando Subter *regit Accusativum?*

Cum sivè motum, sivè quietem significat, ut: *Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit*, pro, *sub præcordiis*; *infra præcordia. Subter pineta Galæsi*, pro, *sub pinetis. Et subter captos arma sedere duces.* Lucr. 6. de arboribus. *Si quis eas subter jacuit, prostratus in herbas.*

Quando Subter *regit Ablativum?*

In oratione poetica tantum, ut: *Subter densa testudine.*

Quando Clam *regit Accusativum & Ablativum?*

Apud priscos magis accusativum regebat, ut *Clam uxorem*; apud recentiores ablativum, ut: *Clam patre.* Plautus eo ut adverbio utitur, eique dativum jungit. Milit. *Meretricem moneri quam magni referat, mihi clam est*, pro, *mihi occultum est.*

DE

DE SYNTAXI ADVERBII.

Quę sunt Regulę de Concordia Adverbii?

Prima.

Adverbia interrogandi interrogativè posita primis verbi temporibus (quæ vulgo *Indicativi* modi dicuntur) magis consentiunt, indefinitè verò posita, magis secundis, sive subjunctivi modi temporibus, ut; *Ubi est? Dic ubi sit. Unde venis, quo pergis, qua ibis, cur taces? Unde venias cedo, quo pergas nescio, qua iturus sis scire cupio, cur taceas intelligo.*

Secunda.

Antequam & *Priusquam* indifferenter primis & secundis temporibus consentiunt, ut *Antequam pro illo dicere instituo, pro me pauca dicam. Bibe priusquam abis*, vel *abeas. Antequam moreretur*, vel *moriebatur, deliravit.*

Tertia.

Ut, tempus significans, pro *postquam*, primis temporibus consentit, ut: *Is ut me salutavit, statim profectus est.* Verum *Ut*, non minus hic, quam semper aliàs, similitudinem significare rectius dixeris. Itaque ei respondet *sic*, vel *ita*. Lucret. 3. *Tu quidem ut es leto sopitus, sic eris ævi Quod supe-*

supereſt cunctis privatu doloribus ægris. Livius 21. *Saguntini ut à præliis quietem habuerunt per aliquot dies, ita non nocte, non die umquam ceſſaverant ab opere*.

Quarta.

Ut, ſimilitudinis pro *quomodo*, primis & ſecundis temporibus conſentit, ubi tamen accedit cauſæ ſignificatio, tantum ſecundis, ut: *Has ambas, ut dixi, ita oportet eſſe liberas*. *Ille ut erat lena amictus, ita venit in concionem*. *Ei te commendavi, ut graviſſimè potui*. *Hera rogat, ut ad ſe venias*, id eſt, *ita te rogat, ut venias*, & *propter hanc cauſam te rogat, ut venias*. *Vereor ut placari poſſit*, id eſt, *quomodo poſſit*. *Ut illum Dii perdant*, ſubaudi, *ita præcor*. *Hoc negotium, ut ego abſim, confici poteſt*, pro, *eſto ita*, *fac ita*, *da* vel *pone ita*, *ut ego abſim*. Antiqui tamen etiam ubi cauſa ſignificabatur, *Ut* promiſcuè primis & ſecundis temporibus adjungebant, ut: *Jam faxo hic erit*, & *faxo hic ſit*. *Ego faxo ſcies*, pro, *ita faxo, ut ſcies*. Et *faxe ſcias*. *Faciam cavebunt, qui audierint*, pro, *ut caveant*, id eſt, *ita faciam quomodo cavebunt*.

Quinta.

Ne, cum *Ut* ſivè expreſſo, ſivè ſuppreſſo, ſecundis temporibus ſemper conſentit, idemque quod *non* ſignificat, ut: *Opera datur, ut judicia ne fiant*. *Quid facias, prius cogita, ne mox facti te pœniteat*, pro, *ut ne*, id eſt, *ut non pœniteat*. *Vereor ne pater hoc reſciſcat*, pro, *ut ne*. *Timeo ne non impetrem*, pro, *timeo ut ne repulſam feram*. *Vereor ne*

me nolit dimittere, pro, *ut non velit me dimittere*, sivè, *ut ne velit me retinere*.

Sexta.

Ne, vetantis vel dissuadentis, semper consentit secundis & tertiis, sivè subjunctivi & imperativi temporibus, ut: *Ne nega*. *Tu ne cede malis*. *Istuc ne dixeris*. Nam solœcismus est, *Non dixeris*.

Septima.

Non, vetantis vel dissuadentis, tantum primo futuro consentit, ut: *Non negabis*. *Non dices*. Nam Solœcismus est, *Non nega*. *Non dic*.

Octava.

Quin, jubentis vel hortantis, primis & tertiis temporibus consentit, secundis numquam, nisi pro *immo* ponatur, ut: *Quid stas, quin accipis*? *Quin tu hoc audi*. Solœcismus erit, si hortaturus dicat: *Quin tu me audias*. *Quin accipias*.

Nona.

Utinam & *Si* optantis, semper secundis temporibus consentit, ut: *O si essem tecum*. *Utinam ita sit*. *Utinam viveret*.

Qualis est Rectio Adverbii?

Vera adverbii rectio nulla est, cum ab adverbio nullus casus regatur: Falsa tamen rectio est quintuplex

plex secundum quinque casus, qui ab adverbio regi falsò putantur.

Da exempla Adverbiorum, quæ falsò putantur regere Nominativum.

En Priamus. En quatuor aræ. Ecce homo. Ecce nova turba. In his falsum est nominativum regi ab adverbio, cum pertineat ad verbum aliquod suppressum, verbi gratia, *Sum, es, adest, venit, exoritur.*

Da exempla Adverbiorum, quæ falsò putantur regere Genitivum.

Satis eloquentiæ. Sapientiæ parum. Terrorum & fraudis abundè est. Auxiliorum affatim erat. Varro 1. c. 4. *Volucres minus habent terreni, minus humoris, caloris temperatè, & aeris multum.* In his genitivus non regitur ab adverbio, sed à suppresso nomine substantivo, quod est *res* vel *negotium*. Latinè enim dicitur, *Res auxiliorum*, pro, *auxilia, Res fraudis*, pro, *fraus*, *Res cibi*, pro, *cibus*.

Unus Plato est instar omnium. Hic verum est genitivum regi ab *instar*, sed falsum est *instar* esse adverbium, cum sit nomen substantivum, significetque similitudinem, imaginem.

Virtutis ergo aliquem donare. Illius ergo huc venit. Hic *ergo* est nomen substantivum ablativi casus à Græco ἔργον, quod significat *opus*, vel *id, cujus vi aliquid factum est*. Ita *Virtutis ergo donatus*, significat *virtutis hoc opus esse, virtutis opere*, seu *propter virtutem factum esse ut donaretur. Illius ergo veni*, id est, *illius opere factum est*, sivè, *ille fecit*, aut *causa fuit, ut venirem, propter illum veni.*

Ille omnium oratorum elegantissimè loquitur. Hic geni-

genitivus non ab adverbio, sed à nomine suppresso regitur, subauditur enim *Ex numero*.

Partim eorum in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. Hic *partim* non est adverbium, sed nomen accusativi casus, pro *partem*, & subauditur præpositio Græca κατὰ, id est, *ad* vel *secundum*, quod barbarè dicitur *quoad*. Sic *Oratio nostra magnam partim*, seu partem, *ex Jambis constat*, pro, *ad magnam partem*, *à magna parte*, *quod ad magnam partem attinet*. *Versus partim jambis, partim trochæis constans*, pro, *ad unam partem ex jambis*, *ad alteram partem ex trochæis*, Subaudiri quoque potest *in*, ut Plaut. Asin. *Age tu nunc in partem hunc delude*, pro, *partim*, *quod ad tuam partem attinet : nam ego meam partem jam satis eum delusi*.

Eo consuetudinis adducta res erat. Hic *eo* non est adverbium, sed accusativus pluralis antiquus pro *ea*, sicut *duo*, *ambo*, & subauditur *negotia*. Est autem *Negotia consuetudinis*, idem quod *consuetudo*. Ita *Huc malorum ventum est*, pro *ad hoc* (prisce *huc*) *negotium malorum ventum est*. Val. Max. 8. cap. 2. 11. 6. *Huc necessitatis deductus*. *Res mali* vel *Negotium mali*, idem est quod *malum*.

Pridie ludorum. *Postridie ejus diei*. In his latent nomina, quia *pris* antiquis significabat præcedens. Unde *prior* & *primus*, *poster*, vel *posterus* (unde *posterior* & *postremus* seu *postumus* aut *postimus*, sicut *extremus* & *extumus*, vel *extimus*) idem valet, quod *successor* : Ergo *Pridie ludorum*, est *in die præcessore ludorum*. *Postridie ejus diei*, valet *in die successore ejus diei*. Prisci dicebant, *Poster* & *Postris*, sicut *Sacer* & *Sacris*.

Fratrem nusquam invenio gentium. *Abest longè gentium*.

gentium. *Ubi terrarum es*. *Tunc temporis*. In his genitivi non reguntur ab adverbio, quia ad orationem non pertinent, sed ad legitimam constructionem superant sivè abundant. Est ergo hæc Syntaxis *Irregularis* seu *Figurata*, diciturque *Pleonasmus* aut *Parelcon*, de quo infra.

Da exempla Adverbiorum, quæ falsò putantur regere Dativum.

Naturæ convenienter vivere. Sed hic dativus à nullo regitur, tantum jungitur cum verbo, ut sit *Vivere naturæ*, sicut *Vivere sibi* & *amicis*. Plaut. Pœn. *Patrem & matrem vellem viverent tibi*. Adverbium postea modum verbi significat, quomodo scilicet naturæ vivat, nempe convenienter.

Da exempla Adverbiorum, quæ falsò putantur regere Accusativum.

Propius urbem castra movit. Liv. 2. *Hoc propius fidem est* & l. 4. *Hoc propius vero est*. *Proxime Italiam*. Sed hi accusativi reguntur à suppressa præpositione *ad*. Sic *Cum Brundisium versus ires*, *Aretium versus castra movit*: subaudi *ad*. *Pridie Nonas*, subaudi, *ante*. Sicut *pridie constitutum diem*. Justin. l. 2. *Postridie ludos*: subaudi, *post*. *Circiter meridiem*, *Tharsum usque profectus*, subaudi, *ad*.

Da exempla Adverbiorum, quæ falsò putantur regere Ablativum.

Procul mari, *procul patria*, *procul dubio*. Sed hi ablativi reguntur à suppressa præpositione *à*. *Quanto doctior*, *tanto melior*. Hic subauditur *à negotio*: nam *eo*, *quo*, *tanto*, *quanto*, *multo*, *paulo*, sunt nomina sexti casus. Sicut *Multis rebus te melior*, significat *à multis rebus*, *quod ad multas res attinet*, simi-

ſimiliter *à multo negotio*, vel *multo negotio*, & per duplicem Ellipſin *multo melior* rectè dicitur: quo ipſo ſenſu dici poteſt, *Multum melior*, pro, *in multum negotium*, ſicut Plinius: *Columbarum volatus in multum velocior*, pro, *à multo*, vel *multo velocior*. Et Livius: *Forma viri aliquantum amplior humana*, pro, *in aliquantum*, *ab aliquanto*, *aliquanto*. Dictys 2. de bello Trojano: *Noſtros multorum dierum navigatione in aliquantum exhauſtos*. *Verſus* natura participium eſt, uſurpatione Adverbium. Curtius extremo lib. 7. *Duo oppida ad meridiem verſa, quatuor ſpectantia orientem*. Cæſar. 7. bell. Gall. *Caſtra movet in Arvernos verſus*. Liv. 2. *In lapide ad meridiem verſus conſedit*.

D E
SYNTAXI CONJUNCTIONIS.

Quæ ſunt Regulæ de Concordia Conjunctionis?

Prima.

Etſi, *etiamſi*, *quamquam*, *ni*, *niſi*, *ſi* & *ſiquidem*, promiſcuè cum primis & ſecundis verbi-temporibus conſentiunt, id eſt, cum *Indicativo*, *Optativo*, & *Subjunctivo*, ut *Etſi vereor*. *Quamquam conſpectus veſter mihi eſt jucundiſſimus*. *Tametſi viciſſe debeo, tamen de jure meo decedam*. *Præpoſteros habes tabellarios, etſi me quidem non offendunt, ſed tamen, &c. Quamquam apertè Volcatio aſſentirentur*. *Quare velim, etſi (ut ſpero) te hæc legente aliquantulum viæ proceſſero, tamen obvias mihi literas mit-*

tas. Etiamsi quod scribas, non habebis, scribito tamen. Omnia brevia tolerabilia esse debent, etiamsi maxima sint. Nisi restituissent statuas, vehementer his minatur. Ortum amicitiæ videtis, nisi quid adhuc fortè vultis. Ni sequitur, pugnos ingere. Palam beatus, ni unum desit. Si illum relinquo, ejus vitæ timeo. Tu si hic sis, aliter sentias. Herus si redierit, molendum in pistrino. Qui istuc scis, nisi periculum feceris. Siquidem atrocius est patriæ parentem, quam suum occidere. Siquidem mihi regnum detur, numquam id potius persequar. Plaut. Pœn. a. 1. s. 2. *Siquidem ante mentitus sit, nunc autem dehinc erit tibi verax.*

Secunda.

Quom aut *quum* aut *cum*, tempus aut causam significans, primis & secundis temporibus convenit, ut *Cum lego, cùm legam: cùm legebam, cùm legerem: cùm legi, cùm legerim: cùm legeram, cùm legissem: cùm legam, cùm legero. Multa tibi dii dent bona, cùm me salvum esse vis. Laudo te, cùm id das operam, ut doctus evadas. Gratulor tibi, cùm tantum vales apud Principem. Cùm animum ejus à me alienum sentiam, cur ad eum accedam. Anni plures sunt, cùm hoc accidit.* Sciendum tamen *quom* natura sua esse nomen accusativi casus à *quis*, velut in Annotationibus in Paradigmata monui.

Tertia.

Quòd, sivè causam reddat, sivè cum reliqua oratione accusativi vim habeat, promiscuè primis & secun-

ſecundis temporibus convenit. Cauſam reddit in iſtis: *Idcirco turpis hæc culpa eſt, quod duas ſanctiſſimas res violat*, id eſt, *quoniam violat*. *Mihi quod defendiſſem ejus inimicum, leniter ſuccenſuit*. Accuſativi verò cum reliqua oratione vim habet hoc modo. Plaut. *Scio quòd filius meus amet*; pro, *ſcio filium meum amare*; *ſcio amorem filii mei*. Idem: *Scio quod dictura es hanc eſſe pauperem*, pro, *ſcio te dicturam eſſe*. Cicero: *Cùm ſcripſiſſet quòd me cuperet ad ſe venire*, pro, *ſcripſiſſet ſe cupere me venire*. Livius. *Non ignoratis, quòd duo fulmina domum meam perculerint*. Fuſcus Arellius apud Senecam, *Probabo, quòd non ſit pudica*, pro, *non eſſe pudicam*: quod loquendi genus velut lectius & elegantius veteres magis probarunt. Sciendum tamen eſt *quod* ex natura ſua ſemper nomen relativum eſſe, ſicut & *quom* ſeu *cum*, in iiſque præpoſitionem ſubaudiri, cum uſu fiunt particulæ, quaſi ſit, *Ad* vel *ob id nomen* ſeu *negotium quod*: *Ab eo* vel *ex eo nomine*, ſeu *negotio quod*.

Quarta.

Quia primis & ſecundis temporibus convenit, ut: *Eo ferox es, quia imperium habes in belluas*. *Illum nunc amo, quia non adeſt*. *Nemo eſt, qui dolorem ipſum, quia dolor ſit, amet*.

Quinta.

Quoniam, primis & ſecundis temporibus convenit, ut: *Quoniam quæ nos ſcribimus, te delectant*.

Quoniam id quod vis fieri non potest, velis id, quod possit. Quoniam ipse venire non posset, fratrem misit, pro, *quoniam non poterat*. Est autem *Quoniam*, usu factum unum vocabulum, cum prius essent duo: *Quom jam* sivè, *Cum jam*.

Sexta.

Quin, pro *ut non*, semper secundis temporibus convenit, ut: *Dies nullus est quin domum meam veniat. Facere non possum, quin ad te mittam. Numquid causæ est, quin te in pistrinum condam.* Factum est autem *quin* ex *qui ne*, pro, *qui non*, seu *quo non*, *quo modo non*, *cur non*.

Quæ est regula Rectionis Conjunctionum?

Conjunctiones copulantes & disjungentes, item *an*, *nisi*, *quam*, ad eandem vocem relatæ, vi vocis illius adsciscunt sibi casum præcedenti expresso aut suppresso similem.

Da exempla Casus expressi.

Mittam vel Antium vel Circæos. Hic conjunctio disjungens relata ad vocem *ad*, vi illius vocis regit accusativum: nam integra oratio est: *Vel ad Antium, vel ad Circæos. Parum confidis aut liberalitati meæ, aut amicitiæ nostræ.* Hic conjunctio regit dativum vi verbi *confidis*, cui dativus jungitur, quasi esset: *aut confidis amicitiæ. Et decretis & responsis Cæsaris interfuimus.* Hic conjunctio copulans regit casum vi verbi *Interfuimus*, quasi esset: *Interfuimus decretis & interfuimus responsis. Homo antiqua virtute & fide*, pro, *cum virtute & fide. A nullo probari malo, quam à te*, pro, *quam probari à te. Quem Senatus, nisi me,*

natio-

nationibus commendavit? Refert qui audiant, Senatus, an populus, an judices.

Da exempla casus suppressi.

Malo Panormi, quàm Syracusis esse, pro, *in urbe Panormi, quàm in Syracusis. Emi drachma & pluris*, pro, *emi pro drachma & pro pluris æris pretio. Domi quam rure esse malo*, pro, *malo esse in ædibus domi, quàm in rure.*

DE SYNTAXI INTERJECTIONIS.

Qualis est Syntaxis Interjectionis?

Interjectionis nulla est Syntaxis, id est, nec concordia ulla, nec rectio, quoniam cum cætera oratione non coheret, sed tantum ad significandum quemdam animi motum interponitur, qui motus facit, ut sæpè verba ad orationis integritatem necessaria supprimantur, ut *O vir fortis*, pro, *O quam es vir fortis! O me miserum*, pro, *O quam miserum me sentio. Væ tibi*, subaudi *sit*. *Væ te*, subaudi, *maneat:* nisi tamen *te* pro *tibi*, sicut *me* pro *mihi* positum arbitrabimur, quod veteres consuevisse Festus & Donatus testantur. *Hei*, vel *Heu mihi!* subaudi, *est*. *Proh dolor*, id est, *proh quantus mihi ex eo dolor est! Proh Sancte Jupiter!* id est, *proh fidem tuam imploro Jupiter!*

DE

SYNTAXI IRREGULARI

Seu Figurata.

Quid est Syntaxis Irregularis seu Figurata?

Est compositio inter se partium orationis consentanea consuetudini bene loquentium, etsi à regulis Syntaxeωs alienior.

Quotuplex est Syntaxis figurata?

Duplex: *Vernacula* scilicet seu *Domestica*, & *Peregrina*, seu *Transmarina*, aut *Græcanica*, quæ *Hellenismus*, vel *Græcismus* dicitur.

Quid est Syntaxis Figurata Vernacula?

Consentanea nativæ Romanorum consuetudini, *quam penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi*. Itaque qui sequitur regulas neglecta consuetudine, loquetur Grammaticè, sed non Latinè: qui verò sequitur consuetudinem neglectis licet regulis, loquetur Latinè.

Quotuplex est Syntaxis Figurata Vernacula?

Quadruplex: nam artis regulæ negliguntur vel per *Exsuperantiam*, cum aliquid in oratione superat vel superfluit, diciturque *Pleonasmus* aut *Parelcon*: vel per *Defectum*, cum aliquid in oratione deest, diciturque partim *Ellipsis*, partim *Zeugma*: vel per *Discordiam*, cum in oratione dissensus est, diciturque *Syllepsis*: vel per *Ordinem* inversum seu turbatum, diciturque *Hyperbaton*.

DE

DE PLEONASMO.

Quid est Pleonasmus vel Parelcon?

Est figura Latinæ consuetudinis, per quam aliquid ad legitimam constructionem additur, sivè superest, vel abundat, ut: *Agedum*, *agesis*, *dicdum*, *dicsis*, *itera dum*, pro, *Age*, *dic*, *itera*. *Commigravit huc viciniæ*. *Proxime viciniæ habitat*. In his abundat vox *viciniæ*. Ita supervacui & otiosi sunt genitivi in istis: *Interea loci*, *ubi locorum*, *longè gentium*, *nusquam gentium*, *minimè gentium*, *ubique terrarum*, *tunc temporis*. *Ejus*, abundat in hoc, *Quoad ejus fieri potest*. *Magis*, parelcon & otiosum est in istis: *Magis beatior*, *magis major*. Et *potius* cum *malle*. Cic. *Casum potius*, *quam te laudari mavis*. *Tandem*, supervacuum est in istis: *Nimis iracundè hercle tandem*, *heus tibi dico tu*. *Itane tandem uxorem duxit Antipho*? *Pleonasmus* etiam est cum simul in eadem periodo ponuntur, *Sic ut*. *sic*, *sicut*, *ita*: *similiter*, *itidem*, *ut*; *prius*, *antequam*: *postquam*, *post*. *præterquam*, *præterea*. *tamenetsi*, seu *tametsi*, *tamen*. *si*, *quando*. *ubi*, *quando*. *ergo*, *igitur*. *itaque*, *ergo*. *en*, *ecce*. *post*, *deinde*. *extemplo*, *simul*. *saltem*, *modo*. *quia*, *enim*. *quippe*, *quia*. *quidem*, *certe*. *olim*, *quondam*. *totus*, *perpetuus*. *universi*, *omnes*. *ambo*, *duo*. quod in idiotismo Italico hæsit. Plaut. Amph. act. 3. sc. 3. *Jam hi ambo servus & herus frustra sunt duo*. Etiam *is* abundat in hoc Pœn. act. 5. sc. 2. *Pater tuus is erat frater patruelis meus*, pro quo aliter recte dicas: *Pater tuus idem erat frater meus*. *Sin minus* est Pleonasmus, nam *Minus* est *non*, & *Sin* st

Si non. *Ideo* per Pleonasmum dicitur, cùm *eo* per Ellipsin dicatur, pro *eo nomine*. Pleonasmus est *Atque ut* in comparatione parium. Plaut. Milit. *Simile somnium somniavit, atque ut tu suspicatus es*.

DE ELLIPSI.

Quid est Ellipsis?

Est figura Latinæ consuetudinis, per quam ad legitimam constructionem deest vocabulum unum aut plura.

Quotuplex est Ellipsis?

Quadruplex: Alia scilicet est *Nominis*, alia *Verbi*, alia *Præpositionis*, alia *Adverbii & Conjunctionis*.

ELLIPSIS NOMINIS.

Quotuplex est Ellipsis Nominis?

Duplex: nam vel *Idem* nomen deest, vel *Aliud*.

Qualis est Ellipsis cum deest Idem nomen?

Idem nomen deest, si post verbum substantivum (*Sum*, *es*, *est*,) sequatur adjectivum aut genitivus, ut; *Hoc est pecus regium* vel *regis*. Deest idem nomen *pecus*, quod prius erat positum: integra enim oratio secundum regulas est, *Hoc pecus est pecus regis* vel *regium*.

Quotuplex est Ellipsis cum deest aliud Nomen?

Duplex: nam deest vel *Cognatum* nomen, vel *Alienum*.

Quotuplex est Ellipsis Nominis Cognati?

Du-

Duplex: nam deest vel *Nominativus cognatus*, vel *Accusativus cognatus*.

Ubi deest Nominativus *Cognatus*?

In verbis illis, quæ ineptè vulgo *Impersonalia* vocantur, ut: *Curritur*, *sedetur*, *statur*, *vivitur*, *evenit*: nam deest ac subauditur, *cursus*, *sessio*, *status*, *vita*, *eventus*. Sic *Pluit pluvia*: *Ningit nix*: *lucescit lux*: *Miseret miseratio*; *tędet tædium*: *pudet pudor*: *piget pigritia*: *pœnitet pœna*.

Ubi deest Accusativus Cognatus?

In verbis activis, quæ imperitè vulgo *Neutra* aut *Absoluta* dicuntur, ut: *Vivo*, deest *vitam*: *curro*, *cursum*: *sedeo*, *sessionem*: *ambulo*, *ambulationem*: *servio*, *servitutem*: *certo*, *certamen*. *Eo* *iter* sive *itum*.

Quotuplex est Ellipsis nominis Alieni?

Duplex: *Solitarii* scilicet & *Consociati*: nam vel unum solum nomen deest, vel cum nomine aliæ simul voces.

Quotuplex est Ellipsis nominis Solitarii?

Duplex: *Suppositi* scilicet & *appositi*, sivè *præcedentis* & *consequentis*.

Quotuplex est Ellipsis nominis Suppositi?

Triplex: *Nominis* scilicet, *Verbi* & *Præpositionis*: nam nomen quod deest, vel nomini, vel verbo supponitur, vel præpositioni.

Quotuplex est Ellipsis in qua deest suppositum Nominis?

Duplex: nam vel *nominis regentis suppositum* deest, hoc est, *Substantivi*, vel *nominis concordantis*, hoc est, *Adjectivi*.

Qualis est Ellipsis in qua deest suppositum Substantivi?

Ædes

Ædes, deest cum dicimus *domi:* nam hic genitivus *domi*, supponit nomen substantivum *ædes*, à quo regitur. Plautus Casin. *Insectatur omnes per ædes domi*. Nempe *domus* totum est, *ædes* verò, pars domi, seu domus ædificata & conclavibus distincta. Igitur *est domi*, significat, *est in ædibus domi*, sicut *jacet humi*, pro, *in terra humi*.

Causa vel *gratia*, vel *ergo*, deest in hoc Sallustii: *Exercitum opprimendę libertatis habet*. Ovid. *Successorumque Minervæ indoluit*. Liv. *Pestilentia aliarum rerum otium præbuit*, id est, *quod ad alias res attinet*. Cicer. *Sanè ceterarum rerum paterfamilias attentus*. Sic *Miser animi*, *integer vitæ*, *cupidus vini*, *peritus juris*, subaudi *causa*. Est autem *Animi causa*, idem ac, *quod ad animum attinet*.

Copia, deest in his: *Eges Medici*. *Abundas pecuniarum*. Virgil. *Non est te fallere cuiquam*, subaudi, *copia*, à quo nomine regitur *fallere*, quod pro nomine genitivi casus ponitur.

Crimine vel *actione* deest in verbis accusandi, damnandi aut absolvendi: ut: *Furti damnatus*. *Repetundarum postulatus*. *Cædis absolutus*.

Memoria vel *recordatio* vel *meminisse*, deest in his: *Memini illius rei*. *Venit mihi in mentem illius rei*. *Oblitus meorum*, ubi subaudi, *oblivionem*.

Negotium, vel *res*, deest in hoc: *Dedit mihi mille nummum*. *Uno mille nummum lucratus est decem millia*, pro, *uno negotio mille nummorum:* nam *Mille* semper est adjectivum pluralis numeri, sicut *decem* & *centum*. *Non est mihi operæ*, subaudi, *res*, pro, *non est mihi opera*, *quam tibi dem*, *sum occupatus*. *Laboris est hoc præstare*, subaudi *res*.

Satis

Satis eloquentiæ, *sapientiæ parum*. *Quid rei*, pro, *quid negotium rei*. *Compendi facere*, *lucri facere*, subaudi, *rem*.

Officium, deest in istis: *Pauperis est numerare pecus*. *Adolescentis est majores natu revereri*.

Opus, deest in his: *Hoc non solum laboris*, *verum etiam ingenii fuit*.

Solum, deest in istis: *Terræ defigitur arbor*. *Procubuit terræ*. *Arbores humi arenoso genitæ*, pro, *in solo humi arenoso*.

Tempore, deest in *Domi*, *bellique*, nam hic *domi* significat *pacis* & *otii*.

Terra, deest in hoc: *Jacet humi*, pro, *in terra humi*: nam terra in aquam & humum dividitur à Varrone. *Ægypti occisus est*, subaudi, *in terra*.

Urbs, deest in hoc: *Natus Romæ*, pro, *in urbe Romæ*, vel etiam *in loco Romæ*. Virgil. *Hic locus urbis erit*, pro, *hic urbs erit*.

Uxor, deest in his: *Terentia Ciceronis*, *Catonis Marcia*.

Quotuplex est Ellipsis, *in qua deest Suppositum Adjectivi?*

Duplex: nam deest suppositum adjectivi vel *Absoluti*, vel *Relati*.

Quotuplex est Ellipsis, *in qua deest Suppositum Adjectivi Absoluti?*

Duplex: *Apertior* scilicet & *Tectior*. *Apertior* est, in qua adjectivum nullum omnino substantivum expressum habet. *Tectior*, in qua adjectivo suppositum quidem est nomen substantivum; sed tale, cujus generi terminatio adjectivi minimè congruat.

Ellipsis apertior, *in qua Adjectivum nullum omnino Substantivum expressum habet.*

Æs

Aes deest in istis: *Parvi facio . De meo* : nam integra oratio est : *Parvi æris facio . De meo ære* . Sic *Ratio accepti & expensi* , subaudi , *æris*.

Amnis , vel *aqua* deest in *confluens* , *torrens* , *fluvius* & *fluvia* , quæ sunt adjectiva , sicut & in *pluvia* deest *aqua* .

Anguis , vel *bestia* , deest in *serpens* , quod est adjectivum .

Animi deest in hoc : *Rogo te ut boni consulas* , hoc est *ut judices & statuas rem hanc esse boni animi* , vel *ab animo bono proficisci* . *Æqui bonique facio* , hoc est , *facio hoc esse hominis* , sivè *animi æqui & boni* .

Aqua ; deest in *piscina* , quod est adjectivum , & in *pluvia* .

Ars , vel *scientia* deest in *Medicina* , *Musica* , *Dialectica* , *Rhetorica* , *Fabrica* , &c. quæ sunt adjectiva .

Avis , deest in *ales* , *præpes* , *volucris* , quæ sunt adjectiva .

Bestia , deest in *serpens* , *animans* , *quadrupes* , *fera* .

Bos deest in *Juvencus* .

Canis , deest in *Molossus* , *Lacon* , *Melitæus* .

Carcer , priscè neutrum , deest in *Tullianum* & *Pistrinum* .

Caro , deest in *bubula* , *agnina* , *ferina* , *caprina* , *ovilla* , *suilla* .

Castra , deest in *stativa* , *hiberna* .

Cervus , deest in *ferus* . Virg.

Cibus ; deest in *diurnus* , *diarius* , *demensus* .

Cœlum , deest in *serenum* & *purum* .

Corona , deest in *laurea* , *civica* , *muralis* , *obsidiona-*

dionalis. In *sertas*, subaudi *coronas*, in *serta*, *coronamenta*.

Consilium, deest in *propositum*, *arcanum*, *secretum*.

Culmen, deest in *tectum*, cum pro *domo* ponitur.

Culpa deest in *noxia*, quæ est adjectivum. *Noxa*, substantivum, pro *nocumento* seu *damno*.

Dii, deest in *Superi*, *Inferi*, *Manes*: nam *Manes* lingua Sacrorum dictum est, pro *Mani*, id est, *Boni*, sicut *Porci Sacres*, pro *Sacri*.

Dies, deest in *Natalis*. *Perendinum*. Plaut. Trinum vers. ult. *Tu in perendinum paratus sis ut ducas*.

Domus, deest in *Regia* & *Basilica*.

Equus, deest in *ferus*, *sonipes*, *quadrupes*.

Fabula, deest in *prætexta*, *togata*, *palliata*.

Facta, pro *res*; seu *negotia*, deest in hoc Plautino: *Mira sunt*, *te hic stare*.

Fames, deest in *milvina*. Plaut. Menæch. a. 1. s. 3. *Quæ mihi apposita milvinam suggerant*.

Febris, deest in *quartana*, *tertiana*, *quotidiana*.

Finis, deest in *hactenus*, *quatenus*: nam integra oratio est: *Hac fine tenus*, pro, *usque ad hanc finem*, sivè *ad hunc terminum*. *Lumborum tenus*, subaudi *fine*.

Fodina, deest in *Auraria*, *Argentaria*.

Frater, deest in *germanus*, *patruelis*, *uterinus*.

Frenus vel *frenum*, deest in *lupatus* & *lupatum*.

Fructus, deest in hoc Varronis 1. rust. 44. *Ex eodem*

eodem semine alicubi cum decimo redit, *alibi cum centesimo* : id est, *decuplum*, *centesimum nascitur*.

Frumenta, deest in *sata*, & *fruges*, in *sata*.

Funera, deest in *justa*, *suprema*, *solemnia*.

Funis, deest in *rudens*, quod est adjectivum seu participium à *rudere*. Et in *Stupea*.

Homo, deest in *nemo*, quod est adjectivum omnium generum. *Tu es miser*, pro *tu es homo miser*. *Cicero est Romanus*, pro, *homo Romanus*. Sic in *Amicus*, *familiaris*, *liber*, *servus*, *tabellarius*, *nuncius*, *socius*, *rivalis*, *maritus*, *adolescens*, *juvenis*, subaudi, *homo*. *Magnates*, *optimates*, *majores*, *minores*, *ceteri*, *mortales*, *Itali*, *Galli*, subaudi *homines*.

Hora, deest in *quota*, *prima*, *tertia*.

Horologium, deest in *solarium*.

Jaculis, deest in hoc Virgil. *Missilibus certant*.

Illa, deest in *intestina*.

Judicio vel *jure* deest in *falso* & *merito*, quæ sunt nomina adjectiva.

Jus, deest in *augurium*, quod est adjectivum ab *augur*.

Lapis, deest in *molaris*.

Liber, deest in *annalis* & *diurnus*.

Libelli, deest in *pugillares*, *eborei*, *duplices*, *triplices*.

Lineas, deest in isto : *Ad incitas redactus*, id est, *ad ultimas lineas* in ludo XII. scruporum, in quibus scrupi seu calculi porrò moveri nequeunt, & ob hoc *inciti* dicuntur, id est, *immobiles*: nam *cieo* est *moveo*.

Litera, deest in *vocalis*, *consonans*, *muta*, *liquida*.

Lite-

Literas, deest in hoc Cicer. *Triduo abs te nullas acceperam*. Et Plaut. Merc. *Hodie in ludum occepi ire literarium: ternas scio jam*, *A*, *M*, *O*. Ubi verè ridiculè Emmanuel Alvarez ternas verborum conjugationes significari putat. Scilicet puer prima die in ludo ternas conjugationes discet.

Locus, deest in istis: *Hic senex de proximo*, *ab humili ad summum*, subaudi *loco*. *In medio*. *Convenerant in unum*. *Exilit in siccum*, subaudi, *Locum*, quòd priscis neutrum erat, à quo loca, deest in *Æstiva*, *hiberna*, *rosaria*, *pomaria*, *supera*, *infera*, *inferna*, *secreta*, subaudi, *loca*. In illis, quæ male pro adverbiis habentur, *Primo*, *secundo*, *quarto*, *postremo*, deest *loco*.

Ludi, deest in *Circenses*, *Megalesii*, *sæculares*, *funebres*.

Lychnus, deest in *Cereus*, *Funalis*, *Cebaceus*.

Mare, deest in his: *Terris jactatus & alto*. *In alto periit*. *In tranquillo quilibet gubernator esse potest*. *Cærula verrunt*.

Mensa, deest in *Delphica*.

Mensis, deest in *Januarius*, *Aprilis*, *Majus*, *October*, *December*, &c. quæ sunt adjectiva.

Milites, deest in *triarii*, *hastati*, *pilati*, *sagittarii*, *peltati*, *cetrati*, *velites*.

Modo deest in his: *composito*, vel *Ex composito factum est*. *De compacto*, vel *Ex compacto res geritur*, id est, *eo modo*, *quem inter se composuerunt*, vel *compacti sunt*. Deest etiam in *perpetuo*, *certo*, *secreto* & similibus. Plautus enim eadem scena 1. act. 3. Mostel. promiscuè dicit: *Metuo ne perpetuo perierim*. Et, *Perii in perpetuum modum*. *Quo pacto istud fiet*. *Qui fieri potest*: nam *qui* est *quo*.

Cum

Cum eo, pro, *cum eo modo*, *cum hac conditione*, *sic*.

Modum, deest in numero per Præpositionem *ad* expresso. Cæsar 2. bell. Gal. *Occisis ad hominum millibus quatuor*, *reliqui in oppidum rejecti sunt*.

Morem vel *ingenium*, aut *institutum*, deest in hoc Plauti: *Antiquum obtines hoc tuum*, *tardus ut sis*. Et Terent. *Non cognosco vestrum tam superbum*.

More, deest in hoc Plauti Pseud. a. 4. s. 7. *Uncti sunt hi senes*, *fricari se ex antiquo volunt*.

Mulier, deest in *meretrix*. Plaut. Stich. a. 5. s. 5. *Nimioque sibi mulier meretrix repperit odium citius*. Merc. a. 4. s. 1. *Mulier meretrix est intus in ædibus*.

Navis deest in *celox*, *liburnica*, *prętoria*, *rostrata*, *triremis*.

Negotium, id est, *res*, deest in omni adjectivo neutrali, cui nullum substantivum sit adjunctum, nec ullum aliud adjungi possit, ut: *Aliena curare*. *Triste lupus stabulis*. *Malum videtur esse mors*. *Strata viarum*. *Abdita rerum*. *Opaca domorum*. *Pessima munerum*. *Beata Seraphim*, subauditur, *negotia*. Porrò *Negotia viarum*, *rerum*, *domorum*, Græco more significat, *vias*, *res*, *domos*. *Dulce ridet*. *Lucidum fulgent oculi*. *Turbidum lætatur*, subaudi, *negotium*. *Mea interest*, pro, *est inter mea negotia*, *pertinet ad mea negotia*. *Refert mea*, pro, *affert*, *importat*, sivè *apportat ad mea negotia*. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo*, pro, *omnia negotia*, *omnes res*. *Actum est*, subaudi *negotium*: Deest quoque *negotium* in illis, quæ vulgo adverbia putantur. *Multum*, *plurimum*, *plus*, *melius*, *pejus*, *bre-*

brevius, *doctius*, *eo*, *quo*, *tanto*, *quanto*, *multo*, *vero*, *falso*, &c. in quibus præterea præpositio *a*, *ad*, *ex* vel *in* ſubauditur. *Paucis eſt quod te volo*, pro, *eſt negotium propter quod paucis alloqui te volo*. *Non eſt quid vereare*, pro, *non eſt negotium propter quod vereare*. *Si eſt ut facturus ſit officium*, pro, *ſi ita eſt negotium*, *ſi ita res ſe habet*. *Non eſt ut poſſit tibi plus dari*, pro, *non eſt ita negotium*, *res ita ſe non habet*. Etiam in *Hoc*, *id*, *quid*, *aliquid*, *nihil*, ſubaudis, *negotium*. *Nomen* pro *cauſa* cum aliqua præpoſitione deeſt in *id*, *quid*, *eo*, *quo*. Plaut. Amph. *Id huc reverti ut me purgarem tibi*, pro, *ob id nomen*, ſivè *eam cauſam*. Ibid. *Cur dixiſti*, *inquies non quo te eſſe impudicam crederem*, pro, *non ab eo nomine*, *quo crederem*, ſivè *non ob id nomen*, *ob quod crederem*. Et Aul. *Aurum me ſcit habere*, *eo me ſalutat blandius*, pro, *ab eo nomine*. Cic. 14. famil. ep. 7. *Ego eo nomine ſum Dyrachii*, *ut quam celerrime quid agas*, *audiam*. Terent. Eun. a. 5. ſ. 7. *Nunc id prodeo*, *ut conveniam Parmenonem*, pro, *ad id modi*, vel *ob id nomen*. †

I *Num-*

† *Negotium* idem ſignificare quod *res*, *opus*, *factum* (Græcè χρῆμα πρᾶγμα) & in adjectivis pleriſque neutralibus ſubaudiri, ut ſit ex iis, quę Logici *Tranſcendentia* vocant (tamquam *ens* & *aliquid*, quæ cùm adjectiva ſint, in iis *negotium* ſuppreſſum intelligitur) etſi ſatis in *Minerva* planum factum eſt, non tamen ab re futurum videtur, pauculis hic demonſtrari. Cicer. lib. 2. Ver. 4. *Fecerunt ut ego iſtum accuſarem : à quo mea longiſſimè ratio voluntaſque abhorrebat*. Ubi notat Aſconius: *A quo*, *à qua re*, *à quo negotio*, *accuſationis ſcilicet*. Terent. Adel. act. 3. ſc. 4. *Utinam hoc ſit modò defunctum*. Ubi Donatus: *Hoc*, *id eſt*, *negotium*. Plaut. Caſ. act. 3. ſc. 5. *Timeo hoc ne-*

gotium

gotium quid est, pro eo quod aliter dicitur: *Timeo quid hoc sit*. Sic pro eo, quod omnes dicimus, *Quid mali est*, Plautus dixit: *Quid mali negotii est*. Trin. act. 4. sc. 2. *Viden' egestas quid negotii dat homini misero mali?* Ubi in *quid* non minus subauditur *negotium*, ut plena oratio sit: *Quid negotium mali negotii dat egestas homini misero*. Est autem *negotium quid negotii* perinde dictum, ut *quæ res rei* sivè *rerum*, apud eundem Plaut. Men. act. 5. sc. 2. *Summum Jovem detestor. SE. qua de re rerum omnium*. Terent. Heaut. act. 1. sc. 1. *Tantumne ab tua re tibi est otii, aliena ut cures?* subaudi *negotia*, ut Horat. *Aliena negotia curo excussus propriis*. Cicer. 2. Philip. *Si tum occisus esset, cum tu illum stricto gladio insecutus es, negotiumque transegisses, nisi ille se sub scalas conjecisset; hisque oppilatis impetum tuum compressisset*, id est, *rem confecisses*. Idem: *Magnum negotium est navigare*. Ubi per *Ellipsin*, *negotium* omitti poterat, sicut apud eundem: *Quos enumerare magnum est, ita sunt multi*. *Magnum est iisdem uti sacris*. Ergo similiter in *multum est*, *parum est*, *nimium*, *plus*, *tantum*, *quantum*, subauditur *negotium*: pro quo aliter *res* dici solet: Cicer. *Experiar quidem, sed magna res est*: Plaut. Amph. act. 2. sc. 2. pro: *Parvum negotium voluptatum*, seu *parum voluptatum*, dixit *Parva res voluptatum est in vita*. Idem sæpe pro, *Ita opus*, seu *usus est*, aliàs, *ita negotium est*, alias, *ita res est*, dicere solet. Bacchid. act. 4. sc. 4. *Cum amica sua uterque accubitum eatis: ita negotium est*. Ibid. *Cur id exquiris? CH. res ita est, dici volo*. Menæc. act. 1. sc. 1. *Quare patrem meum, ut veniat ad me, ita rem mihi esse dicito*. Mil. act. 2. sc. 6. *Cito transcurre ad nos, ita negotium est*. Terent. Eun. act. 1. sc. 2. *Sed ita res erat, faciendum fuit*, pro, *ita opus erat*. Similiter autem indifferenter dicitur, *Ut res nata est*, *ut negotium natum est*, *pro re*, & *pro negotio*. Scipio Africanus apud Festum: *Ut negotium natum erat*. Plaut. Truc. *Ut rem natam video, accipiendum quod datur*. Idem Aul. *Pro re nitorem qui habent*. Lucr. *Quisque suum pro re consortem mœstus humabat*. Dictys lib. 4. *Armati instructique pro negotio pugnam aggrediuntur*, id est, pro *re nata*, *ut res ferebat*.

Sed

Nummus vel *numerus*, deest in *quinarius*, *denarius*. Etiam in *Sestertii* subauditur *nummi*.

Nux; deest in *avellana*; *juglans*; *pinea*; *persica*, *castanea*:

Oculis; deest in *limis adspicere*:

Officina; deest in *fabrica*.

Officium; deest in istis: *Mentiri non est meum*: *Regium est benefacere*.

Opera, deest in *Bucolica*; *Georgica*; *Rhetorica*.

Oratio, deest in *Prosa* seu *Prorsa*, quod valet *Recta*, cui opponitur *Versa*.

Ostium; deest in *posticum*:

Oves, deest in *bidentes*; *fœtas*:

Pars, deest in *antica*; *postica*; *decima*, *quadragesima*; *pro virili*, *primas* vel *priores alicui deferre*:

I 2 *Qua*

Sed & *factum*, pro *res* dicitur, sæpèque subauditur. Plaut. Asin. *Non te provideram, ita iracundia obstitit oculis: ME. non mirum factum est*: Et Rud. *Haud miranda facta dicis, si Deos decepit & homines*. Et Men. *Mihi mira videntur te hic stare foris*. Et Pseud. *Mira sunt; ni Pseudolus est*: Et Mil. *Ante hoc factum semper hunc sum arbitratus servum nequissimum*, id est, *antehac*, quod ponitur pro *ante hac*, subaudi *facta*, quod etiam in *postea*, *interea*, supprimitur. Eodem verò sensu dicitur, *Inter ea facta*, *inter ea negotia*, & *inter eam rem*. Plaut. Stich. *Inter illud negotium curavi, ut cœna esset cocta*. Et Cistel. *Inter rem istam huic respondi quod rogabat*. Rursum Stich. act. 1. sc. 1. *Nos ejus animum de nostris factis noscimus*, id est, *ex nostris rebus*: Et. Merc. act. 5. sc. 4. *Eamus intro, non utibilis hic locus factis tuis*, pro, *rebus tuis*. Et Most. a. 2. sc. 1. *Miserum est opus tum demum fodere puteum, ubi situs fauces tenet*, pro, *misera res*: Propert. *Vincere cum Vejos posse laboris erat*, subaudi, *opus* seu *res*, ut Ovid. *Hic erit artis opus*.

Qua, subaudi *parte*. Horat. *Qua parte debacchantur ignes, qua nebulæ.*

Pecuniæ, deest in *repetundarum* & *repetundis*.

Pedato, vel *Pedatu*, deest in *primo*, *secundo*, *tertio*, quæ malè adverbia putantur. Significat autem prima, secunda, tertia vice.

Pede, deest in hoc: *Ædes quæ plano adeuntur*.

Præmium, deest in *Corollarium*.

Principium, vel *primordium*, vel *initium*, vel *ortus* deest in *primum* & *primo*, ubi etiam præpositio *ad* vel *à* subauditur.

Pretium, deest in *magno emere*. *Magni mihi sunt literæ tuæ*. *Hoc magni refert*, *parvi refert*.

Puer, aut *puella*, deest in *infans*, *à parvulo*, *exoletus*, subaudi, *puer qui olescere*, id est, *crescere desiit*.

Rastrus, deest in *bidens*, *tridens*, *quadridens*.

Ratio, deest in *expensa*, *impensa*, *summa*, *ad summam*.

Res, deest in *Esca*, quod est adjectivum ab *Essi*, sivè *Edi* factum, quasi, *Essica*, sivè edilis, aut essibilis, comedibilis. Hoc apparet ex composito ejus *vescus*, *a*, *um*. Similiter in *ædulia*, subauditur *negotia*, pro quo veteres libri habent *Edilia*, quasi comedibilia. Etiam in istis; *Virtus est laudanda*. *Mors est bona*. *Satin salvę?*

Reliquiæ, deest in *parietinæ*, quod est adjectivum à *paries*, sicut ab *aries*, *oraculum Arietinum*, id est, *Jovis Ammonis*, qui caput habebat cum cornibus arietis.

Rus, deest in *pascuum*. Lucret. *Pascua rura*. Plaut. Truc. a. 1. s. 2. vers. 47. *Non arvus hic, sed pascuus est ager*. Ergo & *Arvum* est adjectivum in quo *rus* subauditur.

Sacra

Sacra, deest in *Saturnalia*, *Bacchanalia*, *Liberalia*.

Sectura, deest in *Ternaria*.

Securis, subauditur in *bipennis*.

Servus, deest in *Vicarius*, *ostiarius*, *mediastinus*.

Sermo vel *rumor*, deest in *nuncius*, quod est adjectivum, diciturque *nuncius homo*, *nuncia fama*, vel *vox*, *nuncium verbum* sivè *dictum*.

In neutro *sestertium* deest aliquod substantivum quod significet eandem drachmarum seu denariorum quantitatem, quæ est *Minæ*, puta centum drachmarum: Ita *Mina Sestertia* rectè dicetur, *Minæ pondus sestertium*, pro 25. *drichmis auri*, quasi esset, *Pondus semitertium*, id est, *minę duæ & dimidia*. *Sestertius* Germanicæ est *ein dritbalber*. *Sestertia ein dritbalbe*. *Sestertium ein dritbalb es*, ut *Sestertium milliare*, id est, *duo milliaria & dimidium*. *Sestertium bipalium* apud Columel. de arbor. c. 1.

Sinus, deest in *Tarentinus*, *Puteolanus*.

Sol, deest in *Oriens*, *Occidens*. *Die crastini*, *die septimi*, subaudi, *solis*.

Spatium, deest in hoc Virgil. *In medio mihi Cęsar erit*.

Sponte, deest in *Suapte*, apud *Catullum*.

Stabulum, deest in *bubile*, *equile*, *suile*, quæ sunt adjectiva, adeoque *bubilis*, *equilis*, *suilis*, dici potest subaudiendo, *caula*.

Stipendia, vel *ęra*, vel *alimenta* deest in istis: *Ex schola quadringenta annua capit*. *Sunt qui tortoribus annua præstent*.

Stridor, deest in *sibilus*, quod est adjectivum.

Stuprum, vel *flagitium* deest in *incestum*, quod est adjectivum.

Tabellę, deest in *eboreę*, *citreę*, *duplices*, *triplices*, *laureatæ*, *pugillares*, pro quibus Catullus, *Pugillaria* dicit, subaudiendo *sigilla*, *schedia*, vel aliud quid.

Taberna, deest in *Medicina*, *Sutrina*, *Textrina*, *Tonstrina*, *Fabrica*, *Salinę*, *Laniena*, *Carnificina*. Sunt enim ista omnia adjectiva.

Tegmen, deest in *lacunar*.

Tempus, deest in istis, *Serum est*. *Ex illo*. *Ex quo*. *Horno*: *Brevi senties*, subaudi, *tempore*. Sic *Sero sapiunt Phryges*. *Optato advenis*. *Non ignara futuri*, subaudi, *temporis*, *in perpetuum*, *in æternum*, *in posterum*, *in futurum*. *In præsens*, *per sudum*, *cùm sudum erit*, *sub obscurum*, *adhuc*, subaudi, *tempus*: nam prisci *hoc* & *huc* dicebant. *Hoc noctis*. *Id ętatis*, subaudi, *tempus*. *Postea*, *pręterea*, *antea*; *antehac*, *posthac*, subaudi, *tempora*: nam *hac* pro *hæc* dicebant.

Terra, deest in *Patria*, *continens*.

Toga, deest in *pretexta*.

Vacca, deest in *juvenca*.

Vada, deest in hoc Virgil. *In brevia & syrtes urget*.

Vasa, deest in *fictilia*, *crystallina*, *vitrea*, *atramentaria*. In *Salinum* deest *vas*.

Velum deest in *linteum*. Catull. Car. 6. Phaselli laud. *Sive palmulis opus foret volare*, *sive linteo*.

Ventus, deest in *Africus*, *Favonius*, *Subsolanus*.

Verba, deest in his: *Quid multa*? *Paucis te volo*. *Dictum sapienti sat est*.

Vestes, deest in *sericę*, *bombycinę*, *undulatæ*, *Coę*.

Via,

Via, deest in istis : *Cur non recta introibas* : *Hac illac circumcursa*.

Vicibus deest in *Alternis*. Seneca : *Non sit multiformis*, *alternis Vatinius*, *alternis Cato*, *sed perpetuo sui similis*, Idem : *Alternæ inter cupiditatem & pœnitentiam nostram vices sunt*.

Vinum deest in *mustum*, *merum*, *Falernum*, *Massicum*, quæ sunt adjectiva.

Vir vel *uxor*, deest in *conjux*, *maritus*, *marita*. In *Majores*, *optimates*, *magnates*, *primates*, subaudi *viri* vel *fœminæ*.

Virga, subauditur in *rudis*, ut *rudem accipere*, *rude donatus*.

Urceus, deest in *aqualis*.

Usuræ, deest in *centesimæ*, *dextantes*, *besses*, *semisses*.

Ellipsis Tectior, in qua adjectivum habet quidem substantivum, sed genere discrepans.

Arbor, deest in appellationibus arborum cum adjectivo feminino positarum, ut: *Delphica laurus*, *patula fagus*, *tarda morus*, *fructuosa malus*, *consita pomus*: nam ista omnia per regulam terminationis sunt generis masculini. Ergo in his est Syntaxis figurata, cum desit nomen substantivum *Arbor* cum adjectivo concordans. Sciendum est autem in his & multis aliis plus consuetudini, quam arti serviendum, & figurata, quam regulari syntaxi utendum esse.

Fabula, deest in Comœdiarum & Tragœdiarum titulis cum adjectivo fœminino positis, ut *Terentiana Eunuchus*.

Florem, deest in hoc Virgilii: *Crocumque rubentem*:

tem: nam *Crocum* ex terminationis regula neutrum est.

Fæmina, deest in animalibus, quæ sunt sexus fæminini, sed nomen habent terminationis masculinæ, sicut *Mas*, deest in iis, quæ sunt sexus masculini, sed nomen habent terminationis fæmininæ. In *leo* pro *leæna*, deest *femina*. Sic *Elephantus gravida*. *Porcus obesa*. Hæc *bos*, hæc *homo*, hæc *aquila*, hæc *anguis*, hæc *ovis*, hæc *canis*, hæc *testis*, hæc *civis*, hæc *sacerdos*, hæc *vates*, hæc *miles*; In his omnibus deest, *Fæmina*. Hic *bos*, hic *homo*, hic *aquila*, hic *anguis*, hic *ovis*, hic *canis*, hic *testis*, hic *civis*, hic *sacerdos*, hic *vates*, hic *miles*; In his omnibus deest *Mas*.

Herba, deest in appellationibus herbarum cum adjectivo fæminino positis, ut: *Dictamnum pota pellit sagittas*. *Centunculus trita in aceto*: nam per regulam illud neutrum, hoc masculinum est.

Insula, deest in nominibus propriis Insularum cum adjectivo fæminino positis, ut: *Latonia Delus*, *Phœbeja Rhodus*.

Mons, deest in nominibus propriis montium cum adjectivo masculino positis, ut: *Altus Ossa*, *præaltus Ida*, *ignivomus Aetna*.

Oppidum, deest in nominibus propriis urbium cum adjectivo neutrali positis, ut: *Argi aptum equis*. *Altum Præneste*. *Tybur superbum*.

Sinus, deest in nominibus propriis sinuum cum adjectivo masculino positis, ut: *Sævus Hadria*.

Urbs, deest in nominibus propriis urbium cum adjectivo fæminino positis, ut: *Barbara Narbo*, *magna Mediolanum*, *deleta Corinthus*: nam ex regula terminationis *Narbo* & *Corinthus* sunt masculini, *Mediolanum* verò neutri generis.

Qua-

Qualis est Ellipsis, in qua deest Suppositum adjectivi Relati?

Homo aliquis, deest in istis: *Est qui dicat*. *Sunt qui affirment*.. *Sunt quos arma delectant*.

Idem, deest in hoc Plinii: *Equo fere, qui homini, morbi*: pro, *iidem ferè*. *Tarando magnitudo, quæ leoni*, pro, *eadem quæ*.

Is, quod significat *talis* aut *tantus*, deest in isto: *Homo improbus, sed cui paucos ingenio pares invenias*.

Quotuplex est Ellipsis, in qua deest Suppositum Verbi?

Duplex; nam vel *Finiti verbi*, vel *Infiniti Suppositum* deest.

Qualis est Ellipsis, in qua deest Suppositum verbi Finiti?

Ego, *tu*, *ille*, deest in verbis, *Amo*, *amas*, *amat*. Fert autem consuetudo eleganter loquentium, ut verborum primæ & secundæ personæ supposita per Ellipsin semper fere omittantur, nisi cum diversitas aliqua significanda est, ut: *Tu legis*, *ego audio*. Alioquin secundum regularem Syntaxin Grammaticè, sed minus Latinè dicetur: *Quid tu facis? Ego quiesco*. Virg. *Hunc & Nymphæ veneramur*: subaudi, *Nos entes*, sivè, *nos quę sumus Nymphæ*.

Homines, deest in *ajunt*, *ferunt*. Lucr. *Nemo animi fallit*.

Libido, vel *cura*, vel *animus* deest in hoc Virgil. *Nec sit mihi credere*, pro, *nec mihi libeat credere*. Propert. *Nec tibi sit duros montes & frigida saxa adire*, pro, *ne velis adire*.

Potestas, deest in istis: *Videre erat Tityum*. *Fame necatur: aliter non est occidere*.

Ratio,

Ratio, vel *Mens*, deest in hoc Catulli: *Hoc falsum esse putas? fugit te inepte.*

Res, deest in istis: *Bene est. Male mihi est. Ægrè mihi est*, pro, *Res benè vel malè se mihi habet: Ægritudo mihi est*. Sic, *Sero est, mane est*, pro, *Res est in mane, in sero tempore.*

Qualis est Ellipsis, in qua deest Suppositum verbi Infiniti?

Me, te, illum, deest in verbis infinitis cum aliàs, tum præcipue post verbum passivum, ut *Volo facere*, pro, *volo me facere*. *Non possum credere*, pro, *me credere*. *Non veretur mentiri*, pro, *se mentiri*. *Videor videre*, pro, *me videre*. *Putaris scire*, pro, *te scire*. *Paulus creditur fecisse*, pro, *illum fecisse*. *Multi dicuntur venire*. *Multi dicuntur venturos esse*, pro, *Eos venire, eos venturos esse*: nam *venturi esse*, est *Græcismus*. Lucret. *Quippe etenim quam multa tibi me fingere possum*. Sallust. *Qui se student præstare cæteris*. Plaut. Curcul. *Æsculapius mihi visus est eum ad me non adire, neque me magni pendere*. Idem Aul. *Vocem loquentis modo me audire visus sum*. Idem Milit. *Vereor me isto ornatu incedere*. Idem Epid. *Videor me vidisse eam prius*. Sic, *Diceris fecisse*, pro, *te fecisse*.

Qualis est Ellipsis, in qua deest suppositum Præpositionis?

Commune, deest in hoc: *Quid mihi tecum? Illi genti nihil ad eam diem cum Romanis fuerat*. Curt. 8. *Regum Indorum luxuria super omnium gentium est*, subaudi, *luxuriam*.

Homo servus, deest in istis: *Esse alicui ad manum* vel *à manu, circum pedes, ab epistolis, à cubiculo, à pedibus, à poculis, à studiis*, hoc est, *servire*

vire alicui quod ad manum, ad epiſtolas, ad cubiculum, ad pedes, ad pocula, ad ſtudia attinet. Cicero & Cor. Nepos dicunt, *Habere aliquem ad manum*. Talem ſervum Suetonius & poſteriores minus Latinè dixerunt *Amanuenſem*.

Quotuplex eſt Ellipſis nominis appoſiti?

Duplex; *Nominis* ſcilicet & *Verbi*, & *Conjunctionis*: nam nomen quod deeſt, vel nomini, vel verbo apponitur, vel conjunctioni.

Quotuplex eſt Ellipſis, in qua deeſt appoſitum Nominis?

Duplex: nam vel *Nomen rectum* ſivè *Subſtantivum* eſt, quod deeſt, vel nomen *Concordans* ſivè *Adjectivum*.

Qualis eſt Ellipſis appoſiti Subſtantivi?

Ligni, deeſt in *Materia*. Cicero. *Non ſaxum, non materies advecta eſt. Lintribus materiam, calcem, cæmenta atque arenam convexit.*

Librarum, deeſt in *Pondo*, ut: *Corona mille pondo*: nam *Libra* Romanis alia erat *menſuralis*, alia *ponderalis*, cui addebant *Pondo*.

Paſſuum, deeſt in hoc Horatii: *Millia tunc pranſi tria repſimus*.

Rerum, deeſt in hoc, *Eſſe in numero*.

Vitæ, deeſt in *Uſu venire*, *hoc mihi uſu venit*, pro, *in vitę uſu*, *dum vita utor*.

Qualis eſt Ellipſis appoſiti Adjectivi?

Aureus, *argenteus*, vel *Seſtertius* ſæpè deeſt in *Nummus*.

Bonæ, deeſt in hoc: *Fac ſis frugi*. *Homo frugi*. Nam à *Frux* eſt genitivus *frugis*, unde extrito *s* fecerunt *Frugi*. Sicut *Fami* pro *famis*, *Herculi* pro *Herculis*.

Ens,

Ens, inusitatum participium deest in hoc Virgil. *Adsum Æneas*, pro *ego ens Æneas*, sivè, *qui sum Æneas, adsum*. Liv. *Ego Annibal peto pacem*. Plaut. Trin. *Rebus tuis bonis meas res irrides malas*, subaudi, *entibus*, id est, *cum tuę res sint bonæ*. Livius: *Celtiberi, novus miles, diffugerunt*, subaudi, *entes*. Sic in *procul dubio* subauditur, *ente*.

Par vel *aptus* deest in hoc: *Non sum solvendo æri alieno*.

Qualis est Ellipsis, in qua deest appositum Verbi?

Me, te, se, deest in verbis agentibus, cum suppositum agit in se ipsum, ut Terent. *Move ocyus mea nutrix*. NV. *moveo*, pro, *move te*, & *moveo me*. *Terra movit*. *Nox cælo præcipitat*. *Bene vertat*. *Res bene habet*. *Iræ leniunt*. *Venti posuere*. *Aquilones multis diebus tenuere*: pro, *durarunt*. *Atrox prælium diu tenuit*, pro, *duravit*. *Anno vertente*. *Pallium maculat*. *Vestibulum pulverat*. *Res ita fert*, vel *tulit*: in his subauditur, *Se*.

Te quoque vel *vos*, deest in *amabo*, quod pecus Grammaticum fecit adverbium media, si Musis placet, correpta. Plaut. *Ite domum amabo*. *Amabo mi senex, eloquere*: pro, *Mi senex eloquere, & amabo te*. Cic. *Expecta amabo te*.

Bellum, deest in *cernere*, *certare*, *militare*.

Clitellam, deest in hoc: *Imponere alicui*. Significat enim habere aliquem pro asino, & fallaciam ei tanquam clitellam vel sarcinam imponere.

Domum, deest in hoc Plaut. Aul. *Redi intrò, atque intus servi*.

Facem, vel *cereum*, deest in *prælucere alicui*.

Iter, vel *viam*, deest in his: *Quo tendis? quo pergis?*

pergis? Nox appetit. Abit dies. Somnium mihi evasit. In me culpa illius expetet. Idem tibi eveniet.

Litem, deest in hoc Suetonii Claudio: *Absentibus secundum presentes dabat.*

Literas, deest in hoc Cicer. *Quò mitterem, aut cui darem, nesciebam.*

Laudem, deest in *detrahere alicui.*

Locum, deest in *cedere, decedere, succedere alicui.*

Malum, deest in his: *Caveo tibi, timeo tibi, metuo à te, de te, pro te.* In *cavere malo*, deest *se*, & est *Hypallage*, pro, *cavere sibi malum.*

Mortem, deest in *obire, oppetere;* & *morte*, in *occumbere.*

Navem, deest in hoc: *Solvit è portu. Statim conscendit. Ad portum appulit.*

Nuncium, deest in hoc: *Renunciare vitæ, civilibus officiis*, pro, *valedicere.*

Ova, deest cum Gallinæ aliæque aves *incubare* dicuntur.

Peccatum, deest in *ignoscere.*

Rationes, deest in *conturbare*, quod est *Mensariorum*, cum rationibus crediti paria facere desperant; Vulgò *Fallire.*

Relativum nomen, sæpe deest, ut: *Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni:* subaudi, *quam*, vel *illam.* Horat. 2. Sat. 8. *Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbos, suavis res, si non causas narraret earum*, subaudi, *Quæ*, & *Esset: Quæ res suavis esset, nisi*, &c.

Rem, deest in *decoquere*: quod est *absumere rem familiarem.*

Roga-

Rogationem, deest in hoc: *Ferre ad populum de aliqua re*. Cic. *Tribunus tulit ad plebem, ut absentis ratio haberetur*.

Principium, deest in *capere* & *incipere*. Virgil. Culice: *Conformare locum capit impiger*; pro, *capit principium conformandi*.

Sacra, deest in *facere*, *bove*, *agna*, *vitula*.

Viam deest in *ire*, *inire*, *ingredi*. *Ineunte ætate*, *vere*; subaudi, *viam*.

Vitam, deest in *agere*, *agitare*, *peragere*.

Utile, vel *commodum*, deest in *consulo tibi*, *prospicio mihi*.

Vultum, deest in *nubere*: nam sponsæ faciem flammeo velo obnubebant seu velabant pudoris causa.

Qualis est Ellipsis, in qua deest Appositum conjunctionis?

Is, deest post conjunctionem in hoc Cor. Nepotis in Pelopida: *Cujus belli cum ei summa esset data, eoque cum exercitu profectus esset*; pro, *eoque is cum exercitu*. Sic idem Thymol. *Cum frater ejus tyrannidem occupasset, particepsque regni posset esse*, pro, *particepsque is regni*. Sic idem in Dione. *Id cum factum multi indignarentur, magnæque esset invidiæ tyranno*, pro, *magnæque id esset*. Plaut. Epid. act. 5. sc. 2. *Ain tu te illius invenisse filiam?* EP. *inveni, & domi est*: pro, *& illa domi est*. Sallust. Jugurt. *Dum equites prœliantur, Bocchus cum peditibus, quos filius ejus adduxerat, neque in priore pugna adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt*: pro, *neque ii adfuerant*, sivè *quique non adfuerant*. Plaut. Rud. a. 2. f. 1. *Quibus nec quæstus est, nec didicere artem*

ullam;

ullam, pro *quique non didicere*, *&c.* Liv. 4. *Induciæ non pax facta*, *quarum & dies exierat*, *& ante diem rebellaverant.* Similiter sæpe Livius, Cæsar & Hirtius.

Qualis est Ellipsis nominis Consociati, *sive in qua præter nomen*, *aliæ quoque voces desunt?*

Ad id, vel *ob id*, vel *propter id nomen*, seu *negotium*; & *ab eo*, vel *ex eo negotio*, seu *nomine*, sæpe deest in *quod* relativo, quæ conjunctio vulgo putatur. Terent. Eun. *Sanè quod tibi vir videatur esse*, *hic nebulo magnus est*. Ibi. *Quòd dicat*, *alium quærebam*; *iter hac habui*, *periisti*. Et Heaut. *Id quod est consimilis moribus*, *facile convinces ex te natum*. Et Hec. *Omnes lætæ exclamant*, *venit*, *id quod me repentè adspexerant*. Ubi Donatus: *Deest propter*, *ut sit*, *Propter id*, *ac per hoc*, *ideo*. Cicer. 3. ad Quint. frat. 2. *Ab accusando me teneo*, *id quod nolo cum Pompejo pugnare*, *id quod judices nullos habemus*: pro, *ob id quod*, *eo quod*, *ab eo nomine quod*, sivè, *ea causa quod*.

Ædes cum præpositione *in*, deest in hoc: *Est domi*, pro, *in ædibus domi*.

Æs, cum *alienum* & *par*, deest in hoc: *Non sum solvendo*, pro, *non sum par* vel *aptus solvendo æri alieno*.

Æris, cum *pretio* & *pro*, deest in hoc: *Quanti emisti?* nam integra oratio est: *Pro quanti æris pretio emisti?*

Affectus seu *præditus* cum *à*, vel *cum* in istis: *Homo infirma valetudine*, *summa audacia*, *magno ingenio*, *nullo judicio*.

Cen-

Centena millia sestertium nummum, deest in *Decies*, *Vicies*, *Quadragies*, *Centies*, *Ducenties*, *Millies*. Liv. 38. *Scipionem librum rationis concerpsisse indignantem, quod cum bis millies in ærarium intulisset, quadragies ratio ab se posceretur*: pro, *quadragies centenorum millium ratio*. Cic. 2. Philip. *Syngrapha sestertium centies facta*: pro, *centies centenorum millium nummorum sestertiorum*: sic enim ipse Cicero act. 4. in Ver. loquendum docet, ut stupor eorum satis rideri nequeat, qui quoties nota *HS*. cum adverbio numerali legitur, pro ea *sestertii*, vel *sestertio* reponere postulant, aut *sestertium* pro nominativo vel accusativo accipiunt. Capitolin. in Vero: *Omne autem convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus HS*. In illo Velleji: *Accepto centies sestertium*, est *Syllepsis* numeri, de qua vide infra.

Dicto, cum *præ*, deest in hoc Virgil. *Ocyus incubuere omnes*; pro, *ocyus*, sivè *citius dicto*, vel *præ dicto*.

Die, cum, *in*, & *ante*, deest in istis: *Quarto Idus*, *tertio Kalendas*, pro, *in die quarto ante Idus*, *in die tertio ante Kalendas*.

Domum, cum *ad* vel *in*, deest in *ducere uxorem*.

Ego ens, deest in hoc Virgil. *Adsum Trojus Æneas*. *Hunc & Nymphæ veneramur*, pro, *Nos Entes* seu *quæ sumus Nymphæ*.

Ens cum *A*, deest in hoc Cæs: *Cn. Magius Cremona præfectus fabrum*, pro, *Ens à Cremona*: id est, *Cremonensis*.

Factum quod vis, seu *velles*, deest in *volo tibi*, vel *cupio*. Sic in *benè* vel *malè alicui velle*, subaudi,

di, *factum*. Plaut. Rud. *Quamquam vobis cupio quæ vultis*, subaudi, *facta*. Et Asin. *Non eo quin non tibi cupiam quę velis*. Et Perf. *Nunquam tibi post hac quod nolis volam*. Et Mostel. *Vellem ut velles, Tranio*, subaudi, *factum tibi*. Similiter *nolle alicui*, subaudi, *factum quod vellet*. Cic. *Plane volo his magistratibus*. *Valde ejus causa volo*. Terent. *ipsi cupio Glycerio*. Idem: *Video te nostræ familiæ ex animo factum velle*. Plaut: Truc. *Cui ego melius dictum aut factum velim*.

Loco, cum *in*, deest in *Primo*, *secundo*, *tertio*, quæ malè pro adverbiis habentur.

Negotia, cum *ad*, deest in isto: *Quid hoc mea refert*, pro, *quid hoc refert*, sivè *affert*, *asportat*, *importat*, *conducit*, *confert ad mea negotia*, id est, *ad res meas*, sivè *rebus meis*. Plaut. Persa: *Quid id ad me aut ad meam rem refert*, *Persæ quid rerum gerant*. Ibid. *Prius percunctari volo*, *quæ ad rem referunt*. Idem Trucul. *Cui rei retulit te assimulare*.

Negotio, cum *à*, deest in isto: *Multo melior*. Est enim *à multo negotio*, *à multa re*, non *ab una re melior*. Lucret. *Qui melior multis*, *quam tu*, *fuit improbe rebus*.

Numero, cum *ex*, deest in istis: *Primus omnium Major fratrum*. *Unus illorum*. *Nemo amicorum*. *Græcorum doctissimus*: *Hominum alii boni*, *alii mali*. *Hostium trecentis interfectis*. *Lanarum nigræ nullum colorem bibunt*, pro, *ex numero lanarum*.

Nos duo, *tres*, *quatuor*, &c. *Vos duo*, *hi*, vel *illi duo*. *Hæ duæ*, *hæc duo*, *tria*, *quatuor*, sæpe desunt, ut *Ego & Cicero valemus*. *Tu & filius valetis*. *Dum fata Deusque sinebant*. *Nox & præda hostem remorata sunt*, *Operam*, *studium*, *consilium*,

rem , *fidem meam ad omnes res tibi velim parata putes* . *Pater mihi & mater sunt mortui* . *Ipse cum fratre adesse jussi sumus* : pro , *nos duo* , nempe , *ego cum fratre* , *jussi sumus* . *Achilles cum Patroclo ad Trojam profecti sunt* . *Herus & hera frustra sunt* , pro , *Hi duo* , *qui sunt herus & hera* , *frustra sunt* . Plaut. Amph. act. 3. sc. 3. *Jam hi ambo servus & hera frustra sunt duo* . Nepos in Timoth. *Huic in consilium dantur duo* , *Pater* , *& socer* . Plaut. Bacch. a. 2. sc. 3. *Vulcanus* , *Sol* , *Luna & dies* , *dii quatuor scelestiorem hoc nullum illuxere* . Et Epid. a. 5. f. 1. *Quem Apelles atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis* : pro , *quem duo pingent entes Apelles atque Zeuxis* . *Quisque suos patimur manes* : pro , *nos omnes patimur manes* , *quisque patitur suos* . *Populus superamur ab uno* : pro , *nos omnes qui sumus populus* . *Eamus omnis exsecrata civitas* . Ovid. 2. Amor. 9. *Nos tua sentimus* , *populus tibi deditus* , *arma* subaudi *Entes* . *Nos* , *qui sumus populus tibi deditus* , *sentimus* . Idem. Ep. Hyperm. *Cum sene nos inopi turba vagamur inops* : subaudi , *Entes turba inops*, *&c*.

Ortus vel *oriundus* , vel *natus* , cum *à* vel *ab* vel *de* , deest in his : *Turnus ab Aricia*. *Pastor ab Amphryso* . *Hospes Zacyntho* . *Vir claris natalibus* . *Homo obscuro loco* . *Adolescens de summo loco* . *Theseus ab Athenis* , pro *Atheniensis* . *Amphidamus de Arcadia* , pro , *Arcas*.

Parte , cum *Ex* , deest in hoc Liv. 9. *His sermonibus qua cibi* , *qua quietis immemor traducta nox est*.

Pergere iter ad , subauditur in isto : *Pergendum est nobis domum* , nam Accusativus *Domum* regitur à præ-

præpositione. In *pergendum* subauditur *pergere*; quod cum sit Activum, regit accusativum *iter*.

Res cum *ad*, deest in *alias*, quod indocti habent pro adverbio. Plaut. Epid. *Meus servus eam rem sobriè accuravit, ut alias res ille est impensè improbus*, pro, *quod ad alias res temporis & loci attinet*, id est, *ad aliud tempus, ad alium locum*: nam *res temporis*, valet *tempus*: *res loci*, *locus*. In hoc Cicer. *Mulieres quibus cum iste consueverat*, deest, *rem habere*.

Res, cum *in tempore*, deest in istis: *Mane est*, *sero est*. Vide Annotat. in Grammat. de Adverb. in *Manè*, *serò*, *tempori*, pag. 38.

Scriptum, cum *à* vel *cum*, deest in his Cicer. *In Pompeji epistola erat in extremo: Quod epistola librarii manu est. Tu si quid librarii mea manu non intelligent, istic monstrabis*, pro, *scriptum à mea manu*.

Solo, cum *in*, deest in istis: *Procubuit terræ: Terra defigitur arbor: Arbores humi arenoso genitæ*, pro, *in solo arenoso humi*.

Tempore, cum *in*, deest in istis: *Brevi senties. Optato advenis. Sero sapiunt. Domi bellique optimus*, pro, *otii & belli tempore*.

Tempus, cum *circa*, deest in istis: *Homo id ætatis. Hoc noctis domo exis.*

Tribu, cum *de* vel *ex*, deest in istis: *C. Septimius Quirina.*

Terra, cum *in*, deest in hoc: *Ægypti occisus est.*

Verbis, cum *alloqui*, deest in hoc: *Paucis te volo.*

Urbe, cum *in*, deest in hoc: *Natus Romæ.*

Vincula, cum *in*, deeſt in hoc: *Duci illum juſſit*.

ELLIPSIS VERBI.

Quotuplex eſt Ellipſis Verbi?

Duplex: *Verbi* ſcilicet *infiniti* & *finiti*. *Verbum* ſcilicet, quod deeſt, vel *infinitum* eſt, vel *finitum*.

Quotuplex eſt Ellipſis Verbi infiniti?

Duplex: *Infiniti* ſcilicet *cognati* & *alieni*: nam *Verbum infinitum*, quod deeſt, vel eſt *cognatum* alicui verbo expreſſo, vel *alienum*.

Qualis eſt Ellipſis Verbi infiniti cognati?

Verbum infinitum cognatum, ſubſtantivi nominis vim habens, deeſt in participiis paſſivis ſingularibus cujuſcumque caſus, & in verbis paſſivis nullum aliud ſuppoſitum habentibus, ut: *Nunc eſt bibendum*, deeſt verbum infinitum, *bibere*, quod eſt cognatum participio paſſivo, *bibendum*, & vim habet nominis ſubſtantivi. *Petendum eſt pacem*, ſubaudi, *petere*, quod eſt cognatum participio nominativi caſus. In *curritur*, deeſt *currere*, quod idem valet, ac *curſio* vel *curſus*. In *vivitur*, deeſt *vivere*, id eſt *vita*. In *ſedetur*, deeſt *ſedere*, id eſt, *ſeſſio*. *Tempus eſt legendi*: ſubaudi, *legere*, quod vim habet nominis in genitivo, quaſi eſſet, *lectus*, id eſt, *lectionis*. *Charta inutilis ſcribendo*: ſubaudi, *ſcribere*, quod eſt loco nominis in dativo, quaſi eſſet *ſcriptui*, id eſt, *ſcriptioni*. *Inter cœnandum*, ſubaudi, *cœnare*, id eſt, *inter cœnam*. *Perge quo cœpiſti*, ſubaudi, *pergere*, id eſt, *perrectionem*. *Defeſſus ſum legendo*, ſubaudi *legere*, quod eſt loco nomi-

nominis in ablativo, quasi esset, *lectu*, pro, *defessus sum legenda lectione.*

Qualis est Ellipsis Verbi infiniti alieni?

Canere deest in hoc: *scit fidibus.*

Dici, deest in *malè audit*: nam integra oratio est: *Audit malè in se*, vel *de se*, vel *sibi dici*. *Malè* non coheret cum *audire*, sed cum *dici*: nam si cohereat cum *audire*, idem erit, *malè audire*, quod *parum audire*, sive ut Afranius dicit, *surdè audire*: Cicero, *surdastrum esse*. *Audit bonus*, *doctus*, subaudi, *dici*, ut sit, *Audit dici esse bonus*. Græco more, pro, *audit dici se esse bonum.*

Esse vel *fuisse*, vel *fore*, deest in istis: *Factum illi volo. Ne dicas tibi non prædictum, promisi ultorem*, subaudi, *me fore.*

Ire, deest in his: *In Pompejanum cogito. Rhodum volo, inde Athenas.*

Loqui, deest in *scire Græcè, Latinè.*

Qualis est Ellipsis Verbi finiti?

Adspicio, *video*, vel *venit*, deest in istis: *En quatuor aras. Ecce homo. Ecce hominem. En Priamus.*

Amet, vel *adjuvet*, deest in *mehercules*, *mecastor*, *medius fidius.*

Cœpit, deest in narrationibus: *Ire prior Palas. Populus ea mirari.*

Dico, deest in istis, *Bona verba quæso*, subaudi *dic*. *Nugas*, subaudi, *dicis*. *Hæc hactenus*. *De his hactenus*, subaudi, *diximus*, vel *dictum sit*. *Quid multa?* subaudi, *verba dico.*

Fac, vel *da*, vel *pone*, vel *esto* deest in isto: *Hæc negotia, ut ego absim, confici possunt*, pro, *posito*

posito vel *dato*, *quod ego absim*, *quamvis ego absim*. *Bono sis animo* pro, *fac ut sis bono animo*. Plaut. Bacch. a. 4. s. 4. *Proin tu ab eo ut caveas tibi*, subaudi, *fac*.

Facio, deest in istis: *Dii melius* vel *meliora*, subaudi, *faciant*. *Studes*, *an piscaris*, *an venaris*, *an omnia simul?* subaudi. *facis?* *Illa nocte nihil præterquam vigilatum est in urbe*: subaudi, *factum est*.

Ita dico, vel *hoc eo dico*, deest in istis: *Satiari delectatione non possum*, *ut senectutis meæ requiem noscatis*. *Hoc jam olim audivi*, *ne quid te novi attulisse mihi censeas*.

Licet, deest in istis, *Mea causa*, *quæras vel in medio mari*, *dum non sis quem te esse nolo*, *sis mea causa quid libet*. *Trahantur per me pedibus omnes rei*. Vide infra Annotat. in Syntax. de Nominum casibus.

Loquor, deest in Affirmantis sermone. Plaut. Pseud. a. 4. s. 2. *Herus tuus te misit? H. ita dico*. *B. miles? H. ita loquor*. B. *Macedonius? H. admodum*.

Moneo, vel *fac*, deest in illis, quæ vulgo pro imperativis habent, ut *Ames*, *legas*, *ametis*, *legatis*, *ament*, *legant*. *Istud ne dicas*, *cogites tecum*. *Nil mihi rescribas*.

Obsecro vel *imploro*, vel *nuncupo*, deest in istis: *Proh Deum atque hominum fidem*! *Hercules tuam fidem!*

Oro vel *precor*, deest in præcibus & diris, ut *Dii meliora ferant*. *Ut te perdat Jupiter*. *Qui illi Dii irati sint*. *Qui* significant, *quomodo*, sive ut.

Paro, vel *invenio*, vel simile quid deest in istis:

Quo

Quo mihi fortunam si non conceditur uti? Unde mihi lapidem? subaudi, *parabo* vel *inveniam*. *Martis signum quo mihi pacis auctori? Ad quam rem nobis confluvium? ad quam urnarium?*

Respondeo, deest in istis: *Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo ejus exemplum.*

Sum, es, est, &c. deest in istis: *Quid mihi tecum? Haud mora, festinant jussi. Hei mihi. Væ mihi*, subaudi, *est*. *Quænam (malum) ista servitus voluntaria*, pro, *malum sit iis, qui servire volunt.*

Timeo, vel *cave*, vel *vide*, deest in istis: *Ah ne te frigora lædant. At ut satis contemplata sis. Verum ne quid illa titubet.*

Volo ut, deest in, *hæc illis dicta sint.*

ELLIPSIS PRÆPOSITIONIS.

Qualis est Ellipsis præpositionis?

A, *ab*, *ad*, & *in*, sæpe desunt in nominibus Urbium, Insularum, Provinciarum & aliorum locorum, ut: *Sardiniam cum classe venit. Lavina venit littora. Devenere locos lætos. Nos hinc ibimus Afros aut Scythiam. Profectus est Siciliam. Romam eo. Roma venio. Rus eo. Ruri* vel *rure vivit. I malam crucem. Ivit exilium. Rediit exilio. Tollere humo.*

A, & *ab* sæpe desunt in iis, quæ significant vel causam efficientem, ut: *Palleo metu, horres frigore, corpus siccum sole & esuritione. Æger* vel *tardus vulnere. Arte insignis.*

Vel instrumentum, ut: *Gladio percussus. Armis defendi.*

Vel tempus consecutum, ut significent idem, quod *post*, ut: *Rediit hoste superato. Lectis tuis literis obdormivi. Mane ut ad portum processi*, pro, *à mane*, id est, *postquam jam mane fieri cœptum est*.

Vel differentiam aut distantiam, ut: *Stulto intelligens quid interest. Abest virtute illius.*

Vel partem certam, cum oratio sic explicari potest: *Ex parte hujus rei, quod ad hanc partem attinet*, ut: *Animo otiosus*, pro, *ab animo*, id est, *ex parte animi, quod attinet ad animum. Ingenio improbus. Armis, pecunia multum valere*, pro, *ab armis, à pecunia. Multis rebus melior*, pro, *à multis, quod ad multas res attinet. Multo* & *paulo melior*, pro, *à multo* vel *paulo negotio melior, à multa re melior. Multo magnus orator minutis imperatoribus præstat. Locus frumento copiosus*, pro, *à frumento, quod ad frumentum attinet. Metu vacare*, pro, *vacuum esse à metu, quod ad metum attinet. Nugis referti libri*, pro, *à nugis. Transitu iniqua loca*, pro, *à transitu*, sivè, ut Livius lib. 8. dicit, *ad transitum:* nam eadem utriusque est significatio. Itaque *Facie alicui similis* & *faciem similis*, promiscuè dicitur, sed ibi deest, *à*, hic verò *ad*. Sic *Nuda pectore*, pro, *à pectore* & *nuda pectus*, pro, *ad pectus*. Sic nulla significationis differentia, *Miser animi, animum* & *animo* dicitur, pro, *animi causa, ad animum*, & *ab animo*, vel *ex animo*.

Ad, sæpe deest in verbis significantibus distantiam aut mensuram, ut: *Sex pedes altus. Latus quinque pedes.*

Vel finem propositum, ut: *Quid frustra laboramus?*

mus? pro, *ad quid*. *Mori me cogis*, pro, *ad mori*, seu *mortem*. *Eamus visum* vel *visere*, pro, *ad visum*, *ad visere*: nam hic verbum infinitum vim habet nominis in accusativo, *O faciles dare summa Deos, eademque tueri difficiles*, pro, *ad dare*, seu *dandum*, *ad tueri* seu *tuendum*. *Oves eunt pastum*.

Vel partem certam, cum orationis sensus est, *quod ad hanc partem attinet*, ut: *Albus dentes*. *Fractus membra*: pro, *quod ad dentes & membra attinet*. *Faciem illi similis*, pro, *ad faciem*, *quod attinet ad faciem*. Barbari dicunt, *quoad faciem*. Propert. de Tauro: *Cornua quam validis hæserit in laqueis*, id est, *à cornibus*, vel *cornibus*. Turpilius Leucadia: *Videtur Phrygus incessum*, pro, *ad incessum*, *ab incessu*, vel *incessu Phryx videtur*. *Sanctus alia*, pro, *ad alia*, *alioqui*. *In hac re fecit rectè*, *etsi alias res est improbus*, pro, *alias*, *quod ad alias res attinet*, *alioquin*. *Cætera lætus*, pro *ad cætera*, *cæteroqui*. *Scis me orationes aut aliquid id genus solitum scribere*: pro, *ad id genus*, *quod ad id genus attinet*. *Nihil te moror*. *Si quid te offendo*.

Ante, deest in verbis tempus significantibus, ut: *Pridie Kalendas*. *Multos abhinc annos*. *Sex menses est*, *cum huc veni*, pro, *factum est abhinc ante sex menses cum huc veni*. *Sexaginta annos natus sum*. Ubi Priscianus subaudit, *ante*.

Circa, deest in tempore significando, ut: *Tu homo id ætatis audes saltare?* *Hoc noctis sic solus ambulas*, pro, *circa tempus id ætatis*, *noctis*.

Cum, deest in verbis instrumentum & modum, aut comitatum significantibus, ut: *Gladio percussus*.

sus. Sagitta saucius. Lento gradu. Hac lege. Pace tua. Maxima voce inclamat. Magna cura aliquid curare. Homo magno ingenio. Afficio te honore, Prosequor odio. Arte tractare aliquem. Deo duce. Volente Deo. Nave proficisci. Templum clamore petebant. Æqua me, pro, *equa cum me*, vel *mecum*. Terent. Adelph. *Quod jus vos cogit, hoc voluntate impetret*, pro, *cum voluntate*.

Vel tempus, ut *Cras prima luce hinc abibo*.

De, sæpe deest in iis, quæ significant vel copiam & inopiam, aut objectum, ut: *Nugis referti libri. Mendaciis liber ejus plenus est. Plenus vino. Equus ligno fabrefactus. Sacrificare tauro, agno. Casa luto composita.*

Vel tempus, ut: *Noctu* vel *nocte*. *Hora prima. Tertia vigilia.*

Vel causam & modum, ut: *Flere alicujus obitu. Quibus signis agnoscebas. More hominum facis. Amicorum consilio feci. Mea sententia. Meo judicio. Mea pecunia hoc faciendum curabo. Qua causa, qua re*, pro, *qua de re*. *Accusare aliquem crimine aliquo*, pro, *de crimine*. *Victitare lolio, ficis aridis*, subaudi, *de*, pro quo Hebræi dicunt *in*, ut: *Non in solo pane vivit homo*, ubi *Panis vitæ* causa est.

Vel locum, ut: *Roma scribunt*: pro, *de Roma*, id est, *ex Roma*, sicut Ovidius libros suos scripsit *de Ponto*, & Cicero *de Pomptino* ait se scribere, & *de Gyaro* ad Atticum dedisse literas. *Vinum Chio*, aut *Lesbo*, pro, *de Chio, Lesbo*, id est, *Lesbium*. *Sargus Ægypto*, id est, *Ægyptius*.

E, vel *ex*, deest in verbis significantibus vel causam efficientem, ut: *Laboro dolore*, pro, *ex dolore*. *Amoris abundantia hoc feci. Morte alicujus*

volu-

voluptatem capere. Merito aliquid pati, pro *ex merito. Virtute clarus.*

Vel modum, ut: *Ordine collocare* vel *dicere aliquid*, pro, *ex ordine*, *ordinatè*. *Vocare aliquem nomine*, pro, *ex nomine*, ut Plautus loquitur. *Lege agere cum aliquo*, pro, *litigare*. *Lege aliqua condemnare aliquem*, pro, *ex lege*.

Vel locum, ut: *Cn. Magius Cremona*, pro *ex Cremona*.

Vel adjunctum, ut: *Auro bibere*, pro, *ex auro*. Juvenal. *Vitreo bibit ille Priapo*.

In, sæpe deest in verbis significantibus vel locum, ut: *Ibam via sacra. Habitat Athenis. Victis dominabitur Argis*, pro, *in Argis*. *Hoc loco quæres ex me*, pro, *in hoc loco*.

Vel tempus, ut: *Sis multos annos superstes. Hunc annum mihi conduxi fabrorum operas. Fons die frigidus, nocte fervens. Cœnabis apud me paucis diebus*, pro, *in paucis diebus*, *intra paucos dies*.

Vel subjectum aut objectum, circa quod quis occupatur, ut: *Opus est mihi libris*, vel, *opus habeo libris*, pro, *in libris*: id est, *meum opus*, *negotium*, vel *occupatio est in libris*, seu *circa libros*; *curandum est mihi ut habeam libros. Libri sunt mihi opus*, vel *meum opus*.

Vel causam, propter quam aliquid fit, ut: *Accusas me eo quod citò crediderim*, pro, *in eo*. *Felix es hac uxore*, pro, *in uxore*. *Perire amando*, pro, *in amando*.

Vel adjunctum sivè comitatum, ut valeat idem ferè quod *cum*, ut: *Bibulus admirabili gloria est. Sum magno timore. Annibalis nomen magna apud omnes gloria est. Lamia summa gratia est. Spe sum*

maxi-

maxima. *Magno est periculo*. *De pace nec nulla*, *nec magna spe sumus*. *Est summa apud milites caritate*. Cic. 6. Fam. ep. 4. *Esse magno dolore*. Id. 4. ad Att. 6. *quo dolore esse debeo*.

Vel instrumentum, quo quid efficitur, ut: *Libris me oblecto*. *Ludis delectari*. Ovid. Epist. Ariad. *Ibis Cecropios portus*, pro, *in portus*, &c. *IN* etiam omissum in Plaut. Bacch. 2. 4. s. 2. *Hæc dentifrangibula manibus meis gestiunt*.

Vel modum, quo quid fit, ut: *Ordine aliquid facere*, pro, *in ordine*, ut ait Virgil.

Vel partem certam, cum sensus est, *quod ad hanc partem attinet*, ut: *Hac una re est illi similis*, *ceteris inferior*. *Non armis præstantior*, *quam toga*, pro, *in armis*, *in toga*, *quod ad arma & togam attinet*. *Multum velocior*. *Multum improbior*. *Paulum doctior*. *Paulum intelligens*. *Multum alicui præstare*.

Deest etiam in ablativis, quos falso *Absolutos* vocant Grammatici, ut: *Cantando rumpitur anguis*, pro, *in carmine cantando*. *Bibendo periit*, pro, *in bibendo bibere* seu *potu*. *Cur tantis præmiis virtutis nemo rectè facit*, pro, *in tantis præmiis*. *Rebus tuis bonis meas irrides malas*, pro, *in rebus tuis entibus bonis*, *cum tuæ res sint bonæ*.

Ob vel *propter*, sæpe deest in verbis infinitis accusativi vim habentibus, & causam, sivè finem propositum significantibus, ut: *Gratulor illi filium ejus esse inventum*, pro, *propter esse inventum filium*, sivè *ob inventionem filii*. *Mœstus est se hoc fecisse*. *Pudet dixisse*, pro, *ob fecisse*, *ob dixisse*. *Accipio dolorem mihi illum irasci*, id est, *ob irasci*, vel *iram illius*. *Flevit me discedere*, pro, *ob*

me

me discedere, *ob meum discessum*. *Ibo videre* pro, *ob videre*, *ut videam*. *Gaudeo me tibi probari:*

Per, sæpe deest in significando tempore & parte certa, ut: *Vixit centum annos*. Propert. *Io versa caput primos mugiverat annos*, id est, *per primos annos*, *in primis annis*. Idem: *I nunc & noctes disce manere domi*. Cicer. *Totas noctes somniamus*. *Hirsutus brachia*, pro, *per brachia*, ut ait Virgil. id est *quod ad brachia attinet*.

Similiter in significando loco & objecto, ut: *Mare navigavit*. *Terram*, *mare*, *sidera juro*. Propert. *Ino etiam prima terras ætate vagata est*, pro, *per terras*.

Post, deest *in tempore significando*. Vellejus 2. *Lepidus decimo anno*, *quam ad potentiam pervenerat à fortuna desertus est*, pro, *postquam*.

Præ, deest in comparationibus, ut: *Doctior cæteris*, pro, *præ cæteris*, *ante cæteros*. *Illo minorem me fateor*, pro, *præ illo*. *Bona est mulier tacita*, *quam loquens*, pro, *præquam loquens*. *Consit cito*, *quam si objicias formicis papaverem*.

Similiter in significanda causa, ut: *Homini lacrimę cadunt gaudio*.

Pro, deest in significando pretio, aut quod pretii loco est, ut: *Emi magno*, id est, *pro magno pretio*. *Quanti emisti*, id est, *pro quanti æris pretio emisti*. *Pace bellum mutare*. *Par pari referre*. *Aureus unus valet decem argenteis*. *Pro* etiam omissum in comparando. Plaut. Capt. 2. 2. f. 3. *Haud centesimam partem me laudat*, *quam ipse meritus est ut laudetur* i. e. *pro quam ipse meritus*, *&c.*

Similiter deest in significanda similitudine, ut in

Cre-

Crebrò, *citò*, *serò*, *certò*, *meritò*, quæ vulgo putantur adverbia; Plaut. Pœn. a. 3. ſ. 5. Idem Aſin. a. 3. ſ. 2.

Sub, ſæpe deeſt in ablativo, quem vulgo *abſolutum* vocant, ſi præſertim imperium ſeu præfectura in pace, in bello, in literis ſignificetur, ut: *Te conſule*. *Marco judice*. *Rege Numa*. *Imperante Auguſto*. *Te teſte*. *Ariſtotele auctore*. *Sole ardente*. *Orpheo cantante*.

Deeſt etiam in ſignificando inſtrumento, ut: *Querula voce mecum egit*.

ELLIPSIS ADVERBII

& Conjunctionis.

Qualis eſt Ellipſis adverbii & conjunctionis?

An, vel *ne*, deeſt in iſtis: *Melius*, *pejus*, *obſit*, *proſit*, *nihil curant*. *Studes*, *an piſcaris?* pro, *ſtudesne?*

Aut, vel *ſeu*, deeſt in iſtis: *Quem ſex ſeptem menſibus non vidi proximis*. *Quatuor*, *ad ſummum quinque ſunt inventi*. *Velis*, *nolis*.

Enim, vel *nam* vel *quia*, deeſt in iſtis: *Nimium ne crede colori*, *alba liguſtra cadunt*. *Nec ſum adeo informis*, *nuper me in littore vidi*.

Etiam, deeſt in iſto loquendi genere: *Non doctus modo*, *ſed probus*.

Ergo, vel *igitur*, deeſt in hoc Terent. *Hac non ſucceſſit*, *alia aggrediemur via*.

Ita, vel *ſic*, ſæpe deeſt, ut: *Faciam ut jubes*. *Rogo ut venias*, ſeu *qui venias*, pro, *ita rogo quemadmodum venias*.

Magis

Magis vel *potius*, deest in hoc Plauti: *Bona est mulier tacita, quam loquens.*

Ne, deest in istis: *Cave cadas, Cave faxis*, pro, *ut ne faxis*, seu *facias.*

Nec vel *neque* deest in isto: *Hoc mihi nec Cicero persuaserit*: subaudi, *nec quisquam alius.*

Non, sæpe deest post *non modo*, *non solum*, *non tantum*, quando scilicet oratio non est dubia, ut: *Regnum non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. Ut ista jam non modo homines, sed ne pecudes quidem passuræ videantur.*

Post, deest in illis: *Postridie intellexi, quam à vobis discessi. Altera die quam à Brundisio solvit. Is duodecimo die, quam abierat, illuc pervenit.*

Prius, sæpe deest ante particulam *quam*, ut: *Gravidam illam reliqui, quam abeo.*

Quam, sæpe deest post comparativas voces, ut: *Plus quingentos colaphos impegit mihi. Plus millies audivi. Calesces plus satis. Amplius sunt sex menses. Triennium amplius. Major decem annorum. Faciam te certiorem*, subaudi, *quam antea. Visus est mihi tristior*, subaudi, *quam alias*, vel *præ solito.*

Quam pro, deest in comparationibus, ut: *Vestis major corpore*, pro, *major quam pro corpore. Ditior opinione*, pro, *quam pro opinione*, Ovid. Epist. Cydipp. *Cætera cura tua est, plus hoc quoque virgine factum. Non timuit secum quod mea charta loqui*, pro, *plusquam pro virgine.*

Quamquam, vel *etsi* deest sæpe, cum ei *tamen* adversatur, ut: *Sedulitatem mali poetæ aliquo tamen præmio dignam duxit*, pro, *etsi mali poetæ.*

Sivè, deest in istis: *Læva sivè dextera vocaret aura. Tollere, seu ponere vult freta.*

Sed,

Sed, sæpe deest, ut: *Multis ille quidem flebilis occidit, nulli flebilior, quam tibi*, pro, *sed nulli flebilior*.

Si, sæpe deest, ut: *Negat quis, nego; ait, ajo. Unum cognoveris, omnes noris. Utor tam bene, quam mihi pararim. Poscis, dandum: ejicit, abeundum.*

Sicut, vel *quasi*, sæpe deest, ut: *Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres*, pro, *sicut fidus interpres*.

Tam, deest in hoc Livii: *Homo non quam isti sunt, gloriosus*. Et Plaut. *Non pisces expeto, quam tui sermonis sum indigens*.

Vel, deest, quando aliud *vel* in oratione exprimitur, ut: *Vel Priamo miseranda manus*, subaudi, *vel cuicumque hosti*. *Vel stultus hoc intelligeret*, subaudi, *vel quivis alius*.

Verò, vel *autem*, deest in istis: *Pro patre mori possum, coram patre non possum. Hæc morum vitia sunt, non senectutis*.

Ut, deest in istis: *Nolo dicas. Velim desinas. Sine veniat. Cave cadas. Cave ne cadas*, pro, *ut ne cadas*. *Jam credo rediit*, pro, *ut credo*.

Utinam, deest in istis, *Tecum ludere, sicut ipsa, possem. Troum arma secutum obruerent Rutuli. Me quoque qua fratrem mactasses improbe dextra*.

DE ZEUGMATE.

Quotuplex est Zeugma?

Duplex: *Verum* & *Falsum*.

Quid est verum Zeugma?

Est

Eſt figura Latinæ conſuetudinis, per quam plures ſententiæ, ſeu membra orationis, ad unum verbum referuntur, quarum unaquæque deſideraret illud verbum, ſi ſola poneretur, ut: *Sociis & rege recepto*, pro, *receptis ſociis & recepto rege*. *Leges & plebiſcita coactæ*, pro, *leges coactæ & plebiſcita coacta*. *Ego populuſque Romanus vobis bellum indico*, pro, *ego indico & populus indicit*. *Natura Gallis corpora animoſque magis magna, quam firma dedit*, pro, *corpora magna & animos magnos*. *Vites à caulibus braſſiciſque, ſi prope ſati ſint, refugiunt*, pro, *ſi caules prope ſati, braſſicæque prope ſatæ ſint*. *O cœnæ, quibus ipſe meique veſcor*, pro, *in quibus ipſe veſcor, & in quibus mei veſcuntur*. Cicer. 1. Attic. 6. *Mater tua & ſoror à me diligitur*. Virgil. *Phrygii comites & lætus Julus incedunt*.

Quid eſt falſum Zeugma?

Quando unum illud verbum, ad quod plures ſententiæ videntur referri, non omnibus ſententiis convenit, ut *Diſce puer virtutem ex me verumque laborem, fortunam ex aliis*. Hic verbum *diſce*, non rectè refertur ad ſententiam iſtam, *fortunam ex aliis*: ſed ſubauditur, *opta*. Non ergo *Zeugma* eſt, ſed *Ellipſis*. Sic *Sacra manu victoſque Deos, parvumque nepotem ipſe trahit*. Hic verbum *trahit*, refertur tantum ad *nepotem*: *Sacra & Deos portat*, quod verbum ſubaudiri debet. Cicero, *Fortuna, qua illi florentiſſima, nos duriore conflictati videmur*. Hic verbum *conflictati* convenit poſteriori tantum orationis parti, in priore ſubaudiri debet verbum *uſi*: quamvis de utraque fortuna Corn. Nepos dicat in Timol. *In his rebus non ſimplici fortuna conflictatus eſt*.

DE SYLLEPSI.

Quid est Syllepsis?

Est figura Latinæ consuetudinis, in qua concordia partium orationis turbatur, cum animus aliud concipiat, quam verbis profertur.

Quotuplex est Syllepsis?

Duplex: *Absoluta* & *Relativa*.

Quid est Syllepsis Absoluta?

In qua generibus, aut numeris, aut utroque voces discrepant.

Quotuplex est Syllepsis Absoluta?

Triplex: *Generis*, *Numeri* & *Utriusque*.

Quid est Syllepsis Generis?

Cum aliud genus proferimus, aliud mente concipimus, ut: *Pars arduus altis pulverulentus equis furit. Capita conjurationis virgis cæsi. Latium Capuaque agro multati. Samnitium cæsi duo millia. Ubi iste scelus est, qui me perdidit.* Cic. *Hanc sibi rem præsidio sperant futurum.* Plaut. *Justam rem esse oratum à vobis volo.* Plaut. Rud. a. 5. s. 3. *Vidulum iste invenit, illud mancipium est meum.* pro, *Ille est mancipium, &c.* Usu autem venit, non parum sæpe, ut *Syllepsis* generis cum *Ellipsi* sit conjuncta, si nimirum vel prædicatum, vel subjectum orationis *Ellipsin* patiatur: tum enim non ejus, quod deest, sed alterius in oratione partis genus proferimus, ut si *adamantem* demonstrans dicam, *hæc est gemma*. In adjectivo *hæc*, deest substantivum *adamas*, quod est nomen masculinum, sed profertur genus prædicati, quod est *gemma*. Sic eleganter dices: *Hic error est, non scelus*: pro, *Hoc negotium error est*. *Hic est panis, qui de cælo descendit*,

pro,

pro, *hoc*: ſubauditur enim *negotium*, quomodo etiam in illis: *Hic eſt ſanguis meus. Hoc eſt corpus meum*. Eadem prædicati elliptic*us* poſiti eſt ratio, ut *Homo eſt creatus à Deo*; *eſt animalium diviniſſimus*: ſubauditur enim vel *negotium*, vel *res*, adeòque concipitur quidem mente neutrum aut fœmininum genus, ſed profertur illud, quod ſubjecto eſt accommodabile. Atque hæc Syllepſis Generis in omnibus participiis paſſivis, quæ de ſubjecto prædicantur, locum habet, ut, *Cicero dictus eſt pater patriæ*:

Quæ eſt Syllepſis Numeri?

Cum alium numerum proferimus, alium mente concipimus, ut: *Pars in fruſta ſecant. Pars volucres factæ. Aperite aliquis. Cœperunt ſe quiſque magis extollere. Etiam poetæ ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult. Nec noſtrum quiſquam ſenſimus. Alius alium poſcunt. Uter meruiſtis culpam. Uterque inſaniunt. Te uterque ego atque hic oramus. Nobiliſſimus quiſque delecti Romam mittitur. Eunuchum velle te dixiſti, quia ſolæ his utuntur reginæ. Propterea quod*, pro, *propter id quod*: *Contentum eſſe ſuis rebus maximæ ſunt divitiæ. Amantium iræ amoris integratio eſt. Dotis modus fuit quadraginta millia æris. Nobile erit Romæ paſcua noſtra forum: Anxur fuit, quæ nunc Terracinæ ſunt.* Gracchus. *Credo ego inimicos meos hoc dicturum*. In quo Ellipſin conſtituere licet, quaſi eſſet, *Inimicos eſſe negotium dicturum*. Valerius Antias: *Si res divinę factæ eſſent, omnia ex ſententia proceſſurum eſse*. Cic. act. 4. in Ver. *Seſtertium decies numeratum eſse*, pro, *numerata eſse*; quod in libris quibuſdam legitur: ſubauditur enim, ipſo Cicerone ibidem do-

cente, *Centena millia*. Vellejus lib. 2. de Curione: *An accepto centies sestertium fecerit*: pro, *acceptis centies centenis millibus sestertium*. Plaut. Trin. *Trapezitæ mille drachmarum sunt redditę*, pro, *res mille drachmarum est reddita*. Idem Perf. *Athenæ sunt fortunatę*, pro, *fortunata*; nam *Syllepsis* numeri est conjuncta cum *Ellipsi* vocis *Urbs*: nec enim sensus est: *Athenæ sunt Athenę fortunatę*, sicut, *Roma est sancta*, pro, *urbs Sancta*, non *Roma est Roma sancta*. Singularia enim, ut Aristoteles docet, determinationem non suscipiunt, cum de pluribus non affirmentur.

Quæ est Syllepsis utriusque?

Cum & genus & numerum aliter proferimus, quam mente concipimus, ut: *Pars in flumen acti. Tunc omnis ætas currere obvii. Pars in carcerem acti, pars bestiis objecti.*

Quid est Syllepsis Relativa?

In qua nomine relativo sivè expresso, sivè subaudito totam orationem præcedentem pro casu concipimus, aut casum in voce aliqua involutum referimus, ut: *Inter alia prodigia etiam carne pluit, quem imbrem aves feruntur rapuisse*. Hic relatio fit ad casum, *imber*, qui tamen non præcessit, sed oratio hæc, *carne pluit*, pro eo casu concipitur, quasi dictum foret, *Carnis imber fuit*. Sic, *Per literas me consolatus sum, quem librum ad te mittam*. Hic casus *liber* non præcessit, sed concipitur in hac oratione, *Per literas me consolatus sum*: Significat enim, *Per libri compositionem*. Sic, *De Prætiana hæreditate, quę quidem mihi magno dolori est (valde enim illum amavi) hoc velim cures*. Hic nomen *illum* refert *Prætium*, qui casus non

fuit

fuit expressus, sed in voce *Pretiana* involutus, quasi dictum fuisset. *De Pretii hereditate*. Catull. *Nam Sextianus dum volo esse conviva, Orationem in Attium petitorem plenam veneni & pestilentiæ legit*. Subaudi, *ille*, nempe *Sextius*, qui casus illa voce *Sextianus* est involutus, quasi fuisset: *Nam Sextii ipse dum volo esse conviva*.

DE HYPERBATO.

Quid est Hyperbaton?

Est figura Latinæ consuetudinis, per quam verba transponuntur, nec servatur ordo Grammaticæ consentaneus.

Quæ sunt species Hyperbati?

Anastrophe, *Tmesis*, *Parenthesis*, *Synchysis* & *Anacoluthon*.

Quid est Anastrophe?

Præpostera vocabulorum collocatio, ut: *Mecum*, *tecum*, *nobiscum*, *quibus de rebus*, *quam ob rem*, *quem ad modum*, *me penes*, *mea interest*, pro, *est inter mea negotia*. *Adigere arbitrum*, pro, *agere ad arbitrum*; *qua propter*, *ea propter*.

Quid est Tmesis?

Compositi vel conjuncti vocabuli divisio, ut: *Septemque triones*. *Quomecumque rapit tempestas*.

Quid est Parenthesis?

Sensus sermonis, antequam absolvatur, interjectio, ut: *Tityre dum redeo (brevis est via) pasce capellas*. *Nescis (opinor) quid evenerit*.

Quid est Synchysis?

Ordo vocum confusior, ut: *Nihil me tui invenisti penes*. *Saxa vocant Itali*, *mediis quæ in flu-*

ctibus, *aras*: pro, *Saxa*, *quę in mediis fluctibus*, *vocant aras*.

Quid est Anacoluthon?

Consequentium à superioribus discrepantia, cum scilicet nullo modo sequentia cum præcedentibus cohærent, ut Terent. *Nam omnes nos, quibus est alicunde aliquis objectus labos, omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est*. Liv. 41. *Indicandum vobis est, quid omnes bonos in vobis aut offendat, aut certe mutatum velint*. Hirt. bello Alex. *Ligarius quem Cæsar dimiserat, & postea se ad Pompejum contulerat*. Varro lib. 2. rei rustic. 4. *Me in Arcadia scio spectatum suem, quę pre pinguetudine carnis non modò surgere non posset, sed etiam ut in ejus corpore sorex nidum fecisset, & peperisset mures*. Pro, *scio me spectasse suem adeo pinguem, ut non modò surgere ipsa non posset, sed etiam ut sorex nidum in ea faceret*. Sed hæc Figura potius pro vitio & quadam auctorum allucinatione vel oscitatione haberi debet; atque haud scio an Palæmon rectè Varronem, ut auctor est Suetonius, *Porcum* vocaverit, quippe qui de se ipso memoriæ prodiderit, *se spectatum esse suem*.

DE HELLENISMO

seu Græcismo.

Quid est Græcismus?

Est Syntaxis consentanea Græcorum consuetudini, sed multis modis cùm à regulis Grammaticæ

Latinæ,

Latinæ, tùm à patria Romanorum consuetudine discrepans.

Quæ sunt Græcismi genera?

Multa quidem, sed præcipua sunt *Ogręcismi Generum & Casuum.*

Quotuplex est Grecismus Generum?

Triplex: Nam vel *Masculinum* ponitur pro *Neutro*, ut *Saxum ingens, campo qui forte jacebat limes agro positus*: pro, *quod jacebat*. Vel *Fœmininum* pro *Neutro*, ut *Mammę putres, equina quales ubera*: pro, *qualia sunt ubera equina*. Vel *Neutrum* pro *Masculino*, ut *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur*, pro, *qui appellatur*.

Quotuplex est Græcismus Casuum?

Quintuplex: *Nominativi, Genitivi, Dativi, Accusativi* & *Ablativi*.

Qualis est Græcismus Nominativi?

Cum nominativus ponitur pro accusativo, ut: *Parum habet consul creatus esse*: pro, *consulem se creatum. Vis videri doctus*: pro, *doctum te esse. Dixit daturus*, pro, *se daturum. Cæsar dicitur venire*, pro, *Cęsarem. Multi putantur venturi esse*, pro, *eos venturos esse*. Cic. *Multa sunt, quæ ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior*: pro, *quę me nescire malo, quam fieri certiorem*. Nam ego hic suppositum est verbi *nescire*, non verbi *malo*. Ovid. *Hanc pius Æneas eripuisse ferunt*, pro *pium Æneam*.

Qualis est Grecismus Genitivi?

Cum genitivus ponitur vel pro accusativo, ut: *Cum aliquid agas eorum, quorum consuevisti*, pro, *quæ. Apponendum est olentium herbarum*, pro, *olentes herbas*. Vel pro ablativo, ut *Desine querelarum*,

larum, pro, *à querelis*. *Lassus maris*, pro, *à mari*. *Plenus curarum*, pro, *de curis*. *Dives agri*, pro, *agro*.

Qualis est Grecismus Dativi?

Cum dativus ponitur pro accusativo, ut: *Nobis non licet esse tam disertis*, pro, *disertos*. *Tibi expedit esse bono*, pro, *bonum*.

Qualis est Grecismus Accusativi?

Cum accusativus ponitur vel pro nominativo, ut Plaut. Merc. a. 2. s. 4. *Quo letho censes me ut peream potissimum*, pro, *Censes ego ut peream*. *Illum ut vivat optant*, pro, *ille*. *Patrem vellem viveret tibi*, pro, *Pater*. *Jube famulum ad me ut veniat*, pro, *famulus*. *Ego te faciam ut miser sis*, pro, *tu*. Vel pro dativo, ut: *Non me latet*, pro, *mihi*. Vel pro ablativo, ut: *Occurrunt animę, quales nec candidiores terra tulit*, pro, *qualibus*. *Nec sęvis animum mitior anguibus*, pro, *animo*. *Albus dentes*, pro, *dentibus*. *Similis illi faciem*, pro, *facie*.

Qualis est Grecismus Ablativi?

Cum ablativus pro accusativo ponitur, ut: *Raptim quibus quisque poterat elatis*, pro, *quę quisque poterat*. Ablativo Græcos carere, ad reliquorum cumulum accedat, quæ Varro aliique Grammatici oscitantes allucinati sunt.

AN-

ANNOTATIONES
IN
SYNTAXIN.



Rimum omnium ad rem pertinere & ex usu discentium fore arbitror, ut Magister de *Genere* Syntaxeωs nostræ, qualis scilicet illa sit, & quid ab aliorum præceptionibus ea intersit, tum de *Usu* ejus breviter admoneatur.

Quod ad aliorum de Syntaxi præceptiones attinet, res in propatulo posita vociferatur, regulas & nimis multas esse, & confusas, nec certis generibus distinctas, nullo scilicet *Concordiæ* & *Rectionis* discrimine: quodque multo majoris est incommodi, tot *exceptionibus*, *appendicibus*, & *observationibus* oneratas, ut discentem si minus ad insaniam, ad desperationem quidem certè possint redigere. Huc accedit, quod cum Philosophi judicio limantur, non nisi paucissimæ veræ inveniuntur. Verbi gratia de nominibus adjectivis, itemque de verbis genitivum regentibus complures traduntur regulæ, quas omnes falsissimas esse ex nostra Syntaxi discitur, quia scilicet genitivus tam in Græca, quam in Latina lingua à solo nomine substantivo, vel à Græca præpositione ἐκ, præterea verò à nulla orationis parte regitur. Similiter multæ ab aliis afferuntur regulæ de verbis, & nominibus dativum adsciscentibus: quod contra nostra hæc Syntaxis à nulla prorsus orationis parte eum casum regi docet. Non paucæ etiam sunt aliorum regulæ de nominibus & verbis accusativum vel ablativum regentibus, sed omnes falsissimæ, demta una illa de verbis activis, quæ accusativum adsciscunt. Cæterum & accusativum & ablativum perpetuò à præpositione regi, nostra Syntaxis facit planissimum: ex qua etiam dilucescit, quam ridicule delirarint, imò tota

via

via erraverint vel doctissimi Grammaticorum, qui omnes casus ab adverbiis regi docuerunt. Omnes igitur, quotquot jam inde à secundo bello Punico ad hanc usque diem Latinæ constructionis præcepta didicerunt (unam *Francisci Sanctii* Syntaxin excipio, quamvis ea nec perfecta, nec satis ordinata, adhæc autem subobscura sit) labore se ipsi improbissimo eoque vano & irrito confecerunt, nec quisquam eorum exstitit, ne Cicero quidem ipse, aut Varro, aut Quintilianus, qui plerorumque quæ Grammaticè dixisset aut scripsisset, certam roganti rationem posset reddere, neque aut inepta, aut flagitiosa, aut palam falsa respondendo; ludibrium eruditis deberet: quod ego minimè vereor; ne cui audacius, quam verius, insimulare judicer, qui *Paradoxa* nostra *literaria* cognoscere dignum habuerit.

Nostra Syntaxis contra hæc omnia regulas habet numero paucissimas: Nam de *Nomine*, *Verbo* & *Participio*, quicquid dici potest, quindecim regulis complexi sumus, quas bonæ memoriæ & jam judicii nonnullius adolescens vel una die edidicerit. Deinde eas, quæ *Concordiæ* inserviunt, ab aliis, quæ *casuum rectionem* dirigunt, distinximus: qua quidem re hoc præstamus, ut regulæ minori negotio intelligi ac memoriæ mandari possint. Ubi tamen Lectorem velim monitum, *Concordiam* aliam *naturæ* esse, cum scilicet duæ res in aliqua tertia conveniunt, cui propriè demum *Concordiæ* vel *Convenientiæ* appellatio debetur: Aliam *Arbitrii*, cum duo quædam nihil habent tertium, in quo consentiant, usu tamen hominum conjungi solent, cujusmodi est adverbii *utinam* concordia cum verbis secundorum temporum: quæ minus propriè *Concordia* dicitur. Adhæc ita regulas formavimus, ut non modò *nullam* patiantur *exceptionem* (id quod omnibus inconcessum adhuc, sive impossibile visum est) sed etiam ut ea, quæ regulis alioquin minimè serviunt, & ad *Irregularem Syntaxin*, sive *Figuras* pertinent, sub se comprehendant. In quo non doctrinæ, sed prudentiæ methodum custodivimus, discentium compendio servientes. Hoc quippe lucri inde facient, quod labore vel falsæ constructionis, vel *Ellipseos* regulas ediscendi levantur. Qui enim (exempli gra-

gratia) primam hanc noſtræ Syntaxis regulam didicit: *Nomen ſubſtantivum ſive expreſſum , ſive ſuppreſſum cum adjectivo conſentit* : is nihil neceſſe habet ea ediſcere , quæ de *Ellipſi* nominis ſubſtantivi , deque falſa gerundorum & participiorum rectione tradimus , ſed ſatis erit , ſi ea ſæpius relegat , probeque intelligat : Similiter cognita quinta noſtra regula, qua docetur: *Omnem genitivum à nomine ſubſtantivo expreſſo aut ſuppreſſo regi* , eum nihil attinet in memoriæ mandandis vel *Ellipſibus* ſubſtantivi , vel regulis de falſa verbi ſubſtantivi rectione , deque adverbiis genitivum regentibus operam occupare . Tandem *Fundamenta* majoris Syntaxeos duodecim aliquibus *Maximis* ſivè *Regulis* complexi ſumus , quas qui didicerit , multo minore negotio tam falſas , quam veras regulas cum veritatis & falſitatis earum cauſis intelliget , neque ſemel perceptas facile memoria ſua delabi aut effluere ſibi ſentiet. Harum aliæ ad orationem , aliæ ad orationis partes , *Nomen* puta & *Verbum* , pertinent . Prioris generis duæ ſunt : una :

Omnis affirmatio & negatio nomine & verbo conſtat .

Sivè iis vocibus , quæ nominis & verbi vim atque ſignificationem habent , quia nimirum *affirmatio* eſt oratio, in qua alterum de alterum affirmatur : *negatio* , in qua negatur . Illud , de quo altero affirmatur aut negatur , *Nomen* eſt : *Verbum* verò, quod de alterum affirmatur aut negatur . Itaque cum , quando dicitur *pluit* , aliquid affirmari certum ſit , aliquid neceſſe eſt, de quo illud *pluit* affirmetur . Hinc regula Syntaxeos enaſcitur: *Omne verbum finitum habet ante ſe nominativum , ſecum in numero conſentientem* . Si quis ergo dicat , *Cœlum pluit* , erit *Syntaxis regularis* , qua ſcilicet regula modò tradita cuſtoditur . Sed ſi dicat , *pluit* , erit *Syntaxis irregularis* ſeu *figurata* , in qua per figuram *Ellipſin* nomen , verbi ſuppoſitum , ſupprimitur , adeoque ſubaudiri debet . Fecimus igitur regulam in Syntaxi noſtra , quæ magis Philoſophica eſſet quam Grammatica , & ſub ſe figuram quoque comprehenderet hoc modo : *Omne verbum finitum habet ante ſe nominativum ſivè expreſſum , ſivè ſuppreſſum , ſecum in numero conſentientem* .

AL-

Altera ad orationem pertinens *Maxima* est:

Præter nomen & verbum sunt certæ particulæ, quibus & illę duæ, & aliæ minores orationis partes, veluti nervis colligantur, variis significationibus assignatæ, quæ cum exprimuntur, Regularis; cum subaudiuntur, figurata est Syntaxis.

Exempli causa. Præpositionum aliarum usus est in significando *loco*, *à quo*, *in quo*, & *ad quem*: aliarum in significando *tempore*, *ante quod*, *in quo*, *circa quod*, & *post quod*: aliarum in *causa* vel *efficiente*, vel *impellente*, vel *administra* sivè *instrumentali* (quo & *modus* pertinet) vel *inficiente* seu *permittente*, vel *materiali*, vel *finali*: aliarum in *parte certa*: aliarum in *adjuncto* vel *comitatu*: aliarum in *objecto*: aliarum in *comparatione*: aliarum in *pretio*: aliarum in *mensura*, id quod ex illis intelligi potest exemplis, quibus præpositionum *Ellipses* in Syntaxi demonstravimus. Similiter reliquarum particularum, id est, conjunctionum & adverbiorum, aliæ *copulationem partium orationis* significant, aliæ *disjunctionem*, aliæ *conditionem*, aliæ *concessionem*, aliæ *adversationem*, aliæ *comparationem*, aliæ *similitudinem*, aliæ *relationem*, aut *causam*, aliæ *tempus*, aliæ *votum* & *desiderium*, velut in earum particularum *Ellipsibus* distinctè exempla singularum afferendo planum fecimus. Cum ergo in hac oratione, *Gladio percussus*, manifestum sit *instrumentum* significari: jam sua sponte quivis intelligit, præpositionem aliquam in ea desiderari, quæ significando instrumento sit destinata, ut est *ab* & *cum*. Ita in hoc Virgiliano, *Devenere locos latos*, motum ad locum significari constat. Deest ergo præpositio tali motui significando inventa, ut est *ad* vel *in*. In hoc autem Terentiano, *Hac non successit, alia aggrediemur via*, posteriorem orationis partem inferri ex priore cuivis apparet, adeoque particulam aliquam *illativam* subaudiri necesse est, quales sunt *ergo*, *igitur*, *itaque*. Hoc Magister legendis exemplis, quibus præpositionum, conjunctionum, & adverbiorum *Ellipses* declaravimus, cum ipse facillimè intelliget, tum discipulis explicare poterit, quos etiam ea memoriæ mandare, priusquam ad reli-

reliquam Syntaxin admittantur, minimè ab re futurum videtur.

Jam *Maximæ* ad nomen pertinentes, aliæ de *Nominum formis* seu *speciebus* agunt, aliæ de *casibus*. Prioris generis tres sunt.

Prima:

Omne nomen adjectivum habet suum substantivum.

Sunt enim ista ex eorum genere, quæ πρός τι, *ad aliquid* seu *relata* perhibentur, & *quomodo Dominus est servi dominus*, item adjectivum est substantivi adjectivum, sivè quod substantivo adjungitur. In quacumque ergo oratione nomen adjectivum invenitur, in ea substantivum cum adjectivo consentiens sivè expressum, sivè suppressum sit oportet. Si sit expressum, erit *Syntaxis Regularis*: Si autem sit suppressum, ac subaudiendum, *Syntaxis* erit *Irregularis*, seu *Figurata*. Hujus regulæ probè intellectæ longè maximus est usus. Ex ea enim de *Participiorum concordia*, deque *falsa* cum *Participiorum*, tum *Gerundorum rectione* facillimè judicari potest. In auctorum quoque lectione minimum difficultatis legentibus obiicietur, si exempla *Ellipseos* adjectivorum prius sibi familiarissima reddiderint. Ea igitur pueris Magister multum ac sæpe prælegere, tum ex iis auctorum verbis, quæ *Minerva* nostra recitat, magis explanare meminerit.

Secunda:

Omne nomen Relativum habet suum nomen antecedens, quod refert.

Ut *Odi sapientem, qui sibi non sapit*. In hac oratione nomen relativum *qui*, refert sivè repetit nomen antecedens, *sapientem*. Itaque in hoc Horatiano, *Sunt quos arma juvant*, necesse est suppressum fuisse ac subaudiri nomen, *homines*, quod à relativo *quos* refertur: Est ergo *Figurata Syntaxis*.

Ter-

Tertia:

Omne nomen Comparatum habet suum nomen positivum, cum quo comparatur.

Cujus regulæ, ut & superioris proximè ratio ex Philosophorum doctrina de relatione pendet: neque tamen necesse est, ut positivum sit conjugatum comparati nominis, cum satis sit id quovis modo in comparatione intelligi, ut cum dico: *Visus est mihi tristior*, subaudis nomen positivum, *æquo*, *justo*, aut *solito*, quasi sit, *Tristior præ illo tristi*, *qui ex æquo*, *justo*, aut *solito tristis est*. Virgil. *Ocyus incubuere omnes*, subaudi, *dicto*, sicut alibi: *Sic ait*, *& dicto citius tumida æquora placat*. Nempe, *Dictum ejus non tam citum est*, *quam cita est æquoris placatio*.

De nominum *casibus* quatuor sunt *Maximæ*:

Prima:

Omnis nominativus est verbi finiti aut suppositum modo, aut simul appositum & suppositum, sivè illud verbum sit expressum, sivè suppressum.

Si sit expressum, erit *Syntaxis regularis*: sin suppressum, *Irregularis*, & vel *Ellipsis*, vel *Zeugma*. Ratio hujus regulæ ex prima pendet, quia scilicet omnis oratio ex nomine & verbo constat. In hoc ergo Virgilii, *En Priamus*, quia aliquid affirmatur, necesse est verbum finitum subaudiri, nempe, *adest*. Atque hæc *Ellipsis* est. Sed in isto Horatii, *O noctes cœnæque Deum*, *quibus ipse meique vescor*: nominativus *mei* est suppositum verbi, *vescuntur*, quod subauditur, quæ figura *Zeugma* dicitur. In hoc, *Deus est animus*, duorum nominativorum alter est suppositum, alter appositum.

Secunda:

Omnis genitivus Latina constructione à nomine substanti-

ſtantivo expreſſo aut ſuppreſſo : Græca vero etiam à præpoſitione ἐκ expreſſa aut ſuppreſſa regitur.

Latinæ conſtructionis hæc eſt ratio, quia genitivus perpetuò poſſeſſorem ſignificat, ſivè activè, ſivè paſſivè capiatur, ut *Pelias Achillis vulnere tardus eſt*, hoc eſt, *vulnere quod Achilles fecit* : *Paris Achillis vulnere lætatur*, id eſt, *vulnere quod ipſe Achilli fecit*. Utrobique autem *Achilles* eſt velut poſſeſſor, ſivè is, cujus res eſt. Jam *Poſſeſſor* & *res poſſeſſa* ſunt nomina relata, quorum alterum ſine altero non poteſt intelligi. Itaque cum audis, *Regis eſt debellare ſuperbos*, neceſſariò ſubaudis nomen ſubſtantivum, velut *rem à rege poſſeſſam*, quod eſt, *Munus*, *officium*, *opus*, *res*, *negotium*. Sic *moris eſt*, ſubaudis, *res*. *Romæ vivit*, ſubaudis, *in loco*. *Domi eſt*, ſubaudis *in ædibus*. *Accuſatus furti*, ſubaudis, *crimine*. *Miſeret me tui*, ſubaudis, *miſeratio*. *Pudet me facti*, ſubaudis, *pudor*. *Omnium primus*. *Græcorum optimus*, ſubaudi, *ex numero*. *Integer vitæ*, *ſceleris purus*, *juris peritus*, *cupidus vini*, *vir cæterarum rerum minimè malus*, ſubaudis, *cauſa* : eſt autem *vini cauſa*, *cæterarum rerum cauſa*, idem ac ſi dicas, *quod ad vinum*, *quod ad cæteras res attinet* ; ubi ſignificatur cauſa non efficiens, ſed inſiciens, ſivè permittens, quæ quoque præpoſitione *per* ſignificari ſolet, ut in hoc Cic. *Nunquam per Antonium quietus fui* : *Trahantur per me pedibus omnes rei, non laboro*. *Per me vel ſtertas licet*. Plaut. *Tu ægrota ſi lubet per me ætatem*. *Per hanc cœnam tibi incœnato eſſe licet*. *Meam filiam hanc eſſe oportet*. *GR. Sit per me quidem*. Eodem ſenſu Plaut. Trin. *Dum ne ille ſis, quem te eſſe nolo, ſis mea cauſa quidlibet*. Epid. *Dum ſine me quæras, quæras mea cauſa vel in medio mari*. Rud. *Mea quidem cauſa ſalvus ſis licet*. Obſervandum porrò eſt etiam adjectiva nomina, ex participiis facta, genitivum regere, quoniam ſubſtantivorum vim habent, ſivè δυνάμει, non φύσει ſubſtantiva ſunt. Nam *Amans uxoris*, *appetens alieni*, nihil eſt aliud, quam *amator uxoris*, *appetitor alieni*. Scholaſtici dicerent eſſe ſubſtantiva virtualia, non formalia. Cur verò Græca Syntaxi genitivus ab ἐκ regatur, nulla reddi poteſt ratio, niſi quod Græcum idioma ſic ferat, quemadmodum Latino idiotiſmo, ſeu pro-

pria

pria consuetudine ablativum à præpositione *de* regi videmus, quoniam scilicet linguæ conditoribus ita visum fuit. Solent autem Græci præpositionem *ἐκ* per *Ellipsin* majorem partem supprimere, quam eorum consuetudinem imitantes Latini dicunt: *Implentur veteris Bacchi*. *Plenus vini*. *Participare aliquem sui consilii*. *Abstine irarum*. *Desine querelarum*. *Egere medici*. *Lassus maris*, &c. Vitruvius magis etiam græcissat, Latinis præpositionibus *ex* & *in* genitivum addendo, ut lib. 1. cap. 2. *Quantitas est modulorum ex ipsius operis sumtio*, pro, *ex ipso opere*. Et mox cap. 4. *Piscium naturæ plurimum ex aeris, & terreni sunt compositæ*, pro, *ex aere & terreno*. Et cap. 8. *Cum ergo iis rationibus erit salubritatis in mœnium collocandorum explicatio*, pro, *in mœnibus collocandis*. Et lib. 3. cap. 2. *Si ex imbrium aquæ vis occupaverit*, pro, *ex imbribus*. Et lib. 9. cap. ult. *Descriptio ex duodecim cœlestium signorum sic figurata*, pro, *ex duodecim cœlestibus signis*. Sed Vitruvium, ut mechanicum, ac de plebe hominem puritatis linguæ studiosus nihil morari volet. Cæterum de genitivi usu minimè ab re fuerit monere, eo alias significari *causam*, ut *Oratio Ciceronis*, cujus *auctor est Cicero*. *Nummus argenti*, cujus *materia est argentum*. *Talentum dotis*, quod *in dotem datur*. *Habet quinquaginta talenta vectigalis*, quæ *ex vectigali ad eum redeunt*. Alias *Subjectum* sivè recipiens, sivè occupans, quod Logici *Objectum* vocant, ut *Pudor patris*, quod subjectivè significat *pudorem, quo pater afficitur*; objectivè, *quem pater incutit*. *Metus hostis*, quo vel *metuit*, vel *metuitur*. *Parvi filii desiderium mei*, quo *filius me desiderat*. *Officii deliberatio me cruciat*, qua *de officio delibero*. *Regis munus* vel *officium*. Alias *Adjunctum*, ut *Homo magni ingenii*, id est, *cum magno ingenio*, vel *ingeniosus*. *Homo multi cibi*, pro, *vorax*. *Pecus regis*, pro, *regium*. *Aulam auri inveni*, pro, *ollam in qua est aurum*. *Cadus vini*. Aliàs *Totum*, ut *In ædibus domi*. *Conclavia mearum ædium*. Aliàs *Partem* vel *speciem*, ut *Res cibi*, pro, *cibus*. *Res voluptatum*, pro, *voluptates*. *Urbs Romæ*, pro, *Roma*. *Flos violæ*, pro, *viola*. *Flumen Rheni*, pro, *Rhenus*. *Vitium arrogantiæ*, pro *arrogantia*. *Arbor fici*, pro *ficus*. *Præmia palmæ*, pro *palma quæ est præmium*. *Deliciæ pueri*. *Frustum pueri*, pro, *puer qui est deliciæ*, vel *frustum*. Virgil.

gil: *Hic tibi mortis erant metæ*, pro, *hic erat tibi mors meta*. Idem. *Corithi Tyrrhena à sede profectus*, pro *ab urbe Coritho quæ sedes ei erat*. Curtius: *Libri arborum capiunt literarum notas*, pro, *literas quæ sunt notæ*. Propert. *Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes*, pro, *per Medos qui sunt hostes*. Idem: *Jam negat Euphrates equitem post terga tueri Parthorum*, pro, *Parthos qui sunt equos*, *sivè equestris exercitus*;. Livius: *Lucus frequenti silva & proceris abietis arboribus septus*, pro, *abietibus, quæ sunt arbores*.

Tertia.

Omnis accusativus à verbo activo expresso, aut suppresso, vel à nomine substantivo verbali, vel à præpositione regitur.

Ut, *Tendimus iter in Latium*. *Æternas pœnas timendum est*. *Eo spectatum ludos*. Priorum ratio est, quia omne verbum activum significat actionis sivè formam, sivè materiam, circa quam occupatur, hoc est, objectum, sivè effectum: quibus quidem significandis quartus casus fuit inventus. Postremum ab idiomate Latino pendet, quoniam scilicet linguæ effectoribus placuit præpositiones certi usus significationem habentes cum quarto casu jungere. Verbi gratia placuit, ut in significando *loco ad quem*, & *in tempore ante* & *circa quod*, certarum præpositionum accusativo junctarum usus esset, quæ quidem secundum regulas exprimuntur, per *Figuram* verò supprimuntur. Hinc fit, ut in *Pridie Calendas*. *Multos abhinc annos*, subaudiatur *ante*: in *homo id ætatis*, *hoc noctis*, subaudiatur *ad* vel *circa*. Plura hujus rei exempla in Syntaxi de *præpositionum Ellipsi* videri poterunt, unde facile quivis intelligat, ubicumque inveniatur accusativus, qui à verbo activo, aut à verbali nomine non regatur, eum necessariò à præpositione per *Ellipsin* suppressa regi, ut *Albus dentes*. *Fractus membra*. *Cætera lætus*. *Alias*, pro, *alioqui*. *Proficiscor Romam*. *Eo domum*, *rus*. *Docebo te artem*. *Moneris utilia*. *Hoc sine te exorem*, *&c.* In illo *Pœnas timendum est*: accusativus *pœnas* regitur ab activo verbo *timere*,

mere, quod subauditur, ut in *Ellipsi verbi cognati* demonstratum est. In hoc *Eo spectatum ludos*, duo sunt accusativi, quorum posterior *ludos* regitur à nomine substantivo verbali *spectatum*, quod ipsum quoque accusativi casus est, & à præpositione *ad* suppressa regitur, de quo vide *Rectionem nominis verbalis*.

Quarta.

Omnis ablativus à præpositione regitur.

Cujus regulæ ratio etiam ipsa ab idiomate Latino, eorumque, qui linguam condiderunt, instituto pendet. Itaque pro explorato haberi potest, ubicumque ablativus inveniatur, ibi præpositionem aliquam desiderari per *Ellipsin*, cujus rei exempla in *præpositionum Ellipsibus* allata, facile cuivis fidem fecerint.

Postremò tres sunt ad verba pertinentes *Maximæ*.

Prima.

Omne verbum accidentale (id est, quod non sit substantivum) *aut activum est, aut passivum; quorum illud semper accusativum expressum, aut suppressum regit.*

Hujus ratio est, quia inter agere & pati nihil est medium, omnisque motus aut actio est aut passio. *Neutra* ergo verba nihil sunt, nisi indoctorum Grammaticorum commenta, qui non animadverterunt verborum activorum alia varios habere accusativos materiales, ut *Facere verba, fidem, finem, insidias*: alia non nisi unicum eumque formalem & cognatum, ut *Vivere vitam, mori mortem, furere furorem, egere egestatem, currere cursum, sedere sessionem, ambulare ambulationem, servire servitutem, certare certamen*. Illis, quæ plures accusativos regunt, necesse est certum semper accusativum adjungere, quoniam aliter, quid agant, incertum erit. Sed his, quæ unum tantùm regunt, inane, otiosum ac supervacuum fuerit accusativum adjungi, quoniam nemi-

nemini de eo, tanquam essentiali seu formali, dubium esse potest. Ubi tamen modum verborum illorum, quo agunt, exprimere volumus, rectè & locupletium auctorum mori convenienter dicemus: *Vivo vitam hilarem*, *mortuus est mortem lentam*, *furit gravissimum furorem*, *eget acerrimam egestatem*, *currit cursum percelerem*; *sedet sessionem commodam*, *ambulat ambulationem solitam*, *servit servitutem publicam & laboriosissimam*, *certat anceps certamen*. Sed etiam prioris generis verba non pauca sic absolutè sine accusativis poni solent, quoniam ex quotidiano loquendi scribendique usu satis scilicet noti erant, quorum exempla inter *Ellipses* recensuimus.

Secunda.

Omne verbum finitum habet pro supposito nominativum expressum, aut suppressum, aut etiam verbo infinito, aut alia oratione commutatum.

Cujus rationem jam reddidimus, quoniam scilicet omnis oratio ex verbo & nomine constat. Itaque in *Amo*, *amas*, subaudiuntur nominativi suppositi *ego tu*. In *Ajunt*, *ferunt*, subauditur nominativus *homines*. In *Curritur*, *sedetur*, *statur*, *vivitur*, *evenit*, desiderantur nominativi *cursus*, *sessio*, *status*, *vita*, *eventus*. In *Itur* subauditur *itio* vel *via*. Sic *Ningit*, *nix*: *Lucescit*, *Advesperascit*, *Pluit*, *Jupiter* vel *æther*: *Miseret*, *miseratio*: *Tædet*, *tædium*: *Pudet pudor*: *Piget*, *pigritia*: *Pœnitet*, *pœna*. *Urbem quam statuo vestra est*, pro, *Urbs quam urbem statuo, est vestra*. *Licet vobis esse beatis*, pro, *beatitudo vobis licet*; *Expedit esse divitem*, pro, *divitiæ expediunt*. *Deprehendi miserum est*, pro, *deprehensio misera res est*. *Moneri me non est necesse*, pro, *monitum mei non est necesse* vel *necessum* sivè *necessarium*: nam sicut *imbecillus*, *a*, *um* & *imbecillis*, *imbecille*, similiter *necessus*, *a*, *um* & *necessis*, *necesse* priscis in usu fuit, pro, *necessarius*, *a*, *um*: quam rem si Famianus Strada cognoscendis Grammaticis didicisset, solœcismum illum, vix in puero ferendum, effugisset: *Nos monitore necesse non habemus*. Ratio certè & doctrina puerilis postulabat:

bat : *Moneri necesse non habemus* . Ubi *moneri* vim accusativi habet , sicut nominativi in hoc , *Moneri non est necesse* . Prisco more dici poterat : *Monitor nobis non est necessus* , vel *necessis* . *Monitorem non habemus necessum* vel *necessem* . In posterum verò nullum Stradæ , ejusque similibus , magnis illis literarum institoribus, solœcismi tam deformis erit periculum , ubi eos artis hujus nostræ præcepta perdiscere non piguerit . Donati in Ter. Eunuch. act. 5. sc. 5. verba sunt : *Necesse est nomen* : *nam necessus* , *necessis* , *&* *necessum lectum est*. Eugraphius in prolog. Heauton. *Necesse habeo silentium* . Ut docerem rectè dici , *Necesse aliquid habeo* , oblitus fui addere hunc Senecæ patris locum 6. Controvers. 3. *Sic à te alligatus est* , *ut necesse haberet* , *quod non expediebat*.

Tertia:

Omne verbum infinitum habet pro supposito accusativum expressum , aut suppressum .

Ut *Volo me facere* . *Possum me fingere* . *Studet se placere* : vel per *Figuram* : *Volo facere* . *Possum fingere* . *Studet placere* . *Dixit se dare* , vel , *se esse daturum* : vel per *Ellipsin* , *Dixit dare* & *dixit daturum esse* . *Videor me videre* , & per *Ellipsin* , *videor videre* . *Diceris te fecisse* , vel per *Ellipsin* , *diceris fecisse* . *Videtur eum nos odisse* , vel per *Ellipsin* , *videtur nos odisse* . Ratio hujus regulæ pendet ex idiomate Latino , quoniam scilicet hic suus Latinis mos est : nam Græcorum more dicendum est : *Diceris tu fecisse* , *dicunt tu fecisse* , *dicunt ille fecisse*. Ita Græcanica & transmarina Syntaxis est in hoc Ovidii Fast. 6. *Seu pius Æneas eripuisse ferunt* . Et in hoc Catulli , *Phaselus ait fuisse navium celerrimus* , pro quo Latinè , secundum regulam dixisset : *Ait fuisse se celerrimum* : secundum consuetudinem verò per *Figuram* : *Ait fuisse celerrimum* . Hor. *Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratus* . Ita legit Charisius . Catull. *Quin Diis iratis desinis esse miser* , pro , *te esse miserum* , quomodo vetus Inscriptio apud Brissonium in formulis : *Quando me esse desiero* . Plautus : *Viginti minas adolescens daturus*

turus dixit, pro, *daturus esse*. Virgil. *Sensit medios delapsus in hostes*, subaudi; *esse*, quod Græco, non Latino more dictum est: sicut *Multi dicuntur venturi esse*: nam secundum Latinæ artis regulam dicendum: *Multi dicuntur eos venturos esse*, *eos venire*, & per *Ellipsin* Latinam: *Multi dicuntur venire*, aut *venturos esse*: Perpetuò enim verbi infiniti suppositum est accusativus, nisi verbum substantivi nominis vim habeat.



DE
ORTHOEPEJA
SEU
RECTA LITERARUM
Latinarum pronunciatione.



VEram Latini sermonis *Orthoepejam*(quam Quintilianus interpretatur *emendatam cum sua virtute vocum explanationem*) explicare, nec multum habet utilitatis, & est vel doctissimis in omnique antiquitate versatissimis inconcessum. Jam scilicet unusquisque persuasum habet, suæ nationis homines optimè, rectius quidem certè, quam aliarum, linguam Latinam pronunciare, nec ulla vel auctoritate, vel ratione adduci potest, ut eam pronunciandi rationem, cui jam adsuevit, mutare velit. Et qui peregrinas linguas earumque dialectos non didicere, sunt ad judicium hac de re ferendum ineptissimi. Non longè abiero. Itali homines literam *H* pronunciare non possunt, adeòque literam non esse facilè sibi persuadent: ex quo fit, ut non modò Hispanicum, Gallicum, & Germanicum sermonem ægrè addiscant, sed neque Latinum epigramma Catulli in Arrium sine justo aliarum nationum irrisu legere possint. Sinenses *R* non habent, sed

ſed ejus loco *L* proferunt, quod contra fit à Japanis. Galli non poſſunt efferre Germanicum *Ch*, nec Germani Italorum *Gn* & *Gl*, quæ ſunt Hiſpanorum *Nn* & *Ll*. Accedit deinde, quod talis eſt ipſarum literarum, vocalium maximè, & diphthongorum conditio, ut vivam hominis vocem requirant, nec ſcripto exponi poſſint. Sed potiſſima omnis hac in re difficultatis cauſa eſt interitus linguæ Latinæ: quæ quoniam abhinc mille annis amplius depravari cœpit, atque in uſu eſſe deſiit, Germaniæ populis Gothis, Francis, Burgundionibus, Suevis, Alanis, Vandalis & Langobardis ex ſua vernacula & ex vulgari Latina nova illa linguarum genera conflantibus, quibus Itali, Galli & Hiſpani hodie quoque utuntur, niſi quod multa Hiſpanicæ Arabes intulerunt: eo factum eſt, ut quæ literarum pronunciandi ratio apud Romanos fuerit, ne ſuſpicari quidem poſſimus. Hoc nemini non facillimè probavero, qui ſciat, quam irritum capiat laborem, ſi quis hodie exoticas linguas ſine viva magiſtri voce diſcat. Ut enim Hiſpanus quiſpiam, aut Germanus, aut Gallus totum Boccaccium & Petrarcham memoriæ mandarit, & Hetruſcè elegantiſſimè ſcribere didicerit, ſi tamen numquam Italum hominem loquentem audierit, nec alio præmonſtrante pronunciationem Italorum didicerit, certiſſimum eſt, vix decimam quamque vocem ejus ore prolatam ab Italis intellectum iri, adeòque nullum ei cum Italis ſermonis commercium eſſe poſſe. Itaque pro exploratiſſimo habeo, ſi Cicero in terris hodie exſiſtat, & non modò Gallos, Germanos, aut Hiſpanos, ſed & illum ipſum florem illibatum Italiæ, Hetruſcam dico Sirenam *Johannem Ciampolum* Latinè loquentem audiat, fore ut

ne unum quidem verbum ſatis percipiat: ſicut neque noſtrum quemquam declamante Cicerone plus, quam ſi Arabicè peroraret, intellecturum arbitror. Ut autem hoc fiat planiſſimum, eademque opera complurium nationum homines errore ſuo liberentur, & quam ridiculè ſibi linguæ Latinæ rectè pronunciatæ palmam afferant, intelligere poſſint, diſtinctè ac ſingulatim de iis, quæ rem explicatu adeò reddunt difficilem, ea in medium afferam, quæ inter legendum veteres ſcriptores, præcipuèque Grammaticos, obſervavi; quæ quidem ad ſex omnino capita revocari poſſunt: Nempe vel ad *Vocalium* cùm *ſimplicium*, tùm *compoſitarum*, id eſt, *Diphthongorum* & *Triphthongorum*: vel ad *Conſonantium* cùm *ſimplicium*, tùm *duplicium pronuntiationem*: vel ad *Accentum*: vel deniquè ad *Euphoniæ rationem*.

DE VOCALIBUS SIMPLICIBUS.

A, duplicem ſonum habere, vix quemquam tam illiteratum inveniri arbitror, quin ſua ſponte intelligat. In *Anna*, *Arra*, priùs *a* perſpicuè aliter ſonat, quam poſterius. Sed & tertium ejus ſonum fuiſſe, qui ad *o* propius accederet, ex Feſto diſcimus. Ait enim: *Fovii, qui nunc Fabii dicuntur*: & viciſſim *horreum*, *antiquis farreum*. Sic hodie in Germanis Veſtphali & Bavari, *Poter da mihi ponem*, pro, *pater panem*. Quartus ejuſdem ſonus affinis fuit Græco η, ſive eta; quam literam vox ovium exprimit, quæ eſt *bee*, *bee*: ex quo Latinis prius *beelare*, poſt *balare*, ſicut Græcum μήτηρ *meeter*, Lati-

Latini extulerunt *maater*, & ex *ma*, quo Græci adjurantes utebantur, ut *μὰ τὸν ἀπόλλωνα*, fecerunt *me*, ut *Mecaſtor*, quod Donatus monet. Hec. act. 1. ſc. 2. Hinc ſuſpicari licet, in *facio* fuiſſe *a* pronunciatum more Bononienſium, ut ab *e*, in *feci*, minimum intereſſet.

E, ſimiliter duplici ſono effertur in *eſse*, *peſte*: teſtaturque Victorinus aliter *e* longum, aliter breve ſonare. Tertius ejus ſonus apud veteres ad *i* accedebat, velut ex iis, quæ ſubjiciam, teſtimoniis diſcimus. Quinctilian. lib. 1. c. 4. & 7. *E quoque I loco fuit, ut Menerva* & *Leber* & *Mageſter* & *Dijove* & *Veijove*, pro, *Dijovi* & *Veijovi*: *Livius* & *Pedianus*, *Sibe* & *Quaſe ſcribebant. In Here neque E plane, neque I auditur. Nos nunc E litera terminamus, at veterum Comicorum adhuc libris invenio*: Heri ad me venit, *quod idem in epiſtolis Auguſti, quas ſua manu ſcripſit aut emendavit deprehenditur*. Varro 1. ruſt. 1. *Ruſtici veam dicebant, pro viam, & vellam pro villam*. Feſtus: *Me pro mi, ſeu mibi dicebant antiqui, & ameci per* E *literam efferebant*. Donat. in Phorm. act. 1. ſc. 1. *Propter cognationem* E *&* I *literarum, non dubitaverunt antiqui* heri *&* here *dicere*, *&* mane *&* mani, *&* veſpere *&* veſperi. Servius in Æn. 2. *Veteres* Pennas *dicebant*, *non* Pinnas.

Sed & cum *O*, quandam literæ *E*, cognationem fuiſſe, frequens alterius pro altera commutatio arguit. Feſtus: *Helus & Heleſa antiqui dicebant, quod nunc* Holus *&* Holera. Hemonem, hominem. Quinctil. 1. c. 7. *Vortices & Vorſus cæteraque ad eundem modum Scipio Africanus in* E *literam ſecundam vertiſse dicitur*. Caſſiodor. de Orthographia: *Voſtra*

olim

olim ita per O, *hodie per* E, ut *Advorsum*, *adversum*: *Pervorsum*, *perversum*: *Votare*, *vetare*: *Vortex*, *vertex*: *Convollere*, *convellere*; *Amplocti*, *amplecti*: Priscianus lib. 1. *Antiqui Amplocti pro amplecti dicebant*, & *Animadvorti pro animadverti*.

I, quoque duplici sono exauditur in *ipsi*, *irriti*. Testantur autem Grammatici, alium *I* longæ sonum fuisse, alium *I* brevis; ac ne breve quidem uno eodem sono pronunciari solitum. Quinctil. 1. c. 4. *Medius est quidam* U, & I, *literæ sonus*: *non enim sic* optimum *dicimus*, *sicut* opimum. Et cap. 7. optimus, maximus, *ut mediam* I, *literam*, *quæ veteribus* U, *fuerat*, *acciperent*, *Caji primum Cæsaris inscriptione traditur factum*. Festus: *Plisima veteres pro plurima*. Velius Longus de Orthographia: I, *litera interdum exilis est*, *interdum pinguis*, *ut in eo quod est* prodit, vincit, condit, *exilius volo sonare*. *In eo vero*, *quod significatur* prodire, vincire, condire, *æque usque pinguescit*, *ut jam in ambiguitatem cadat utrum per I*, *quædam habeant dici*, *an per* U, *ut est* optumus, maxumus. *In quibus annotandum*, *antiquum sermonem plenioris soni fuisse*, & *ut ait Cicero*, rusticanum, *atque illis fere placuisse per* U *talia scribere* & *enunciare*. *Manet eadem quæstio*, manubiæ, *an* manibiæ, libido *an* lubido. *Nos verò postquam exilitas sermonis delectare cœpit usque* I, *litera castigavimus illam pinguitudinem*, *non tamen ut plenè* I, *literam enunciaremus*. Idem: *In* viro & virtute, I, *scribitur*, & *pænè V*, *enunciatur*. *In* contumaci *melius puto I*, *servari*. *Venit enim* à Contemnendo: *etsi Nisus* & contumaci *per V*, *putat posse dici* à *tumore*. *Varie etiam scriptitatum est*, mancupium, aucupium,

pium, manubiæ: *ſiquidem C. Cæſar per* I, *ſcripſit, ut apparet ex titulis ipſius: at Auguſtus per V, ut teſtes ſunt ejus inſcriptiones.*

O Similiter duplici ſono proferri ex *opto*, *porrò*, apparet; Sed in *Pono*, *poto*, bis idem ſonus auditur: Victorinus etiam alio ſono *O*, productum, alio correptum enunciari his verbis docet: O, *ut* E, *geminum vocis ſonum, pro conditione temporis promit. Qui* O, *correptum enunciat, nec magno hiatu labra reſerabit, & retrorſum actam linguam tenebit. Longum autem productis labiis, rictu tereti lingua arcu oris pendula ſonum Tragicum dabit: cujus obſervationis & in* E *litera ſimilis penè ratio eſt.*

Tertius *O*, ſonus fuit, ſono *V*, affinis: qua de re verba ſunt Fabii lib. 1. cap 4. O, & U, *permutatæ invicem*, *ut* Hecoba & notrix, Culchides & Pulyxena *ſcriberetur*, & dederont *ac* probaveront. *Sic* Odyſſeus, quem Udyſſea *fecerunt Æoles, ad* Ulyxem *deductus eſt. Noſtri præceptores* cervom, ſervomque *ſcripſerunt: nunc* U, *gemina ſcribuntur: ſed neutro modo vox, quam ſentimus, efficitur*. Feſtus: *Quatenos antiqui dicebant pro* quatenus. Velius Longus: *Antiqui confuſas* O, & U, *literas habuere; nam* conſol *ſcribebant per* O, *cum legeretur per* U, conſul. *Unde in multis etiam nominibus variæ ſunt ſcripturæ, ut* fontes, funtes: frondes, frundes. Victorinus: *Auguſtus* mecom *per* O, *non ut nos per* U, *literam ſcripſit. Nam* O, *non ſolum pro brevi & longa, ſed etiam pro* U, *ponitur, ut* popolus, piacolum, hoic *pro* huic, ſonus *pro* funus, *item alia multa*. Caſſiodorus; *Præſto, nos per O, ſcribimus: antiqui per* U, *qui &* O, *pro* U, *uſi ſunt.* Poblicum *enim quod nos* publicum, & *quod nos* culpam,

pam, *illi* colpam *dixerunt*, *&* exsoles, *quod nos* exsules, *quod ex solo eant*. Prisc. lib. 1. O, *aliquot Italiæ civitates, teste Plinio, non habebant, sed loco ejus ponebant* U, *& maximè Umbri & Thusci*. O, *convertitur in* U. Huc, illuc, *pro* hoc, illoc, *Virgil.* Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto. *Et pleraque quæ apud Græcos nominativum in* OS *terminant*, O, *in* U, *convertunt apud nos*. *Vetustissimi etiam* huminem, *pro* hominem *proferebant*. Funtes, *pro* fontes. Frundes, *pro* frondes. Fretu, *pro* freto. Acherunte, *pro* Acheronte *: quæ tamen à junioribus repudiata sunt, quasi rustico more dicta*. U, *quoque multis Italiæ populis in usu non erat, sed è contrario utebantur* O, *unde Romanorum quoque vetustissimi in multis dictionibus loco ejus*, O, *posuisse inveniuntur*, poblicum, polchrum, colpam, Hercolem *dicentes*. *Sed sivè longa, sivè brevis est* O, *affinis est cum* U, *ut* ebur, robur, *βῦς*, pro ebor, robor, bos. Servius in Æn. 8. *Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto*, id est, *Huc tùm : nam ante*, hoc, *adverbium loci fuit, quod nunc abolevit : nam crebrò in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione : dicens in adverbiis pro*, U, O, *plerumque majores ponere consuetos : & sic pro* huc, hoc, *veteres dicere solebant*, *sicut pro* illuc, illo *dicimus*. *Unde etiam* hoc, *longum esse apparet, sicut* illo, *quod pro* illuc *ponitur*.

U, gemino sono in *fructu* exaudimus, quamvis utrobique longum sit, adeoque more veteri *fructuu* scribi possit. Plautus ejus sonum *noctuæ* voci tribuit, quam ait *tu tu usque dicere*. Et Terentianus non aliud sonare testatur, quam OY, diphthongum Græcam.

cam. Tertius ejus sonus cum *I*, quartus cum *O*, affinitatem habet. Et de hoc postremo jam veterum testimonia audivimus. De tertio nunc nonnulla subjiciam. Velius Longus: *Variè scriptitatum est* mancupium, aucupium, manubiæ: *siquidem C. Cæsar per I, scripsit; at Augustus per* U. *Mihi videtur nimis rusticana enunciatio futura, si* artubus *per* U, *extulerimus: ita tamen existimo enunciandum, ut nec nimis I, litera exilis sit, nec* U, *literam scripseris enunciationis sono cum nimis pleno, ac meminerimus artis Orthoepejæ esse, ut sivè hac, sivè illa litera scripseris, enunciationis sonum temperet. Idem puto & in* clipeo, *per I scripto observandum*. Victorinus: *C. Cæsar* optimus, maximus *scripsit, non ut nos per* U *literam. Messala, Brutus, Agrippa pro* sumus, *scripserunt* simus. Cassiodorus: Lacrumæ *an* lacrimæ, maxumus *an* maximus, *& si quæ similia sunt, scribi debeat, quæsitum est. Varro tradidit, Cæsarem per I, ejusmodi verba solitum esse enunciare & scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam*. Servius in Æn. 1. *In navibus stupa interponitur vasis, quam stipam dicunt*. Et Æn. 5. *Stuppa secundum antiquam ortographiam: nam stipa dicta est à stipando. Abusivè etiam linum dicimus:*

Y, Græcam esse vocalem omnes norunt. Eam Latini per *V*, efferebant, sed tertio ejus sono, qui ad similitudinem *I*, accedit, quomodo hodie U, Galli & Itali Alpibus finitimi pronunciant. Velius Longus: *Verrio Flacco videtur, eamdem esse apud nos* U, *literam, quæ apud Græcos* Y, *namque his exemplis argumentatur: quod illi dicunt* cyminum, *nos* cuminum, *quam illi* cyparisson, *nos* cupressum,

illi

illi Kybernieten, *nos* gubernatorem, *nec non ex ejusmodi* Theseus, Peleus, *& similibus affirmant*. Donatus in Hec. act. 1. sc. 2. *Pro* Syra, Sura *veteres legerunt*, U, *pro* Y, *ponentes*; *ut* Musia, Suria.

Scaurus de Orthogr. Y, *literam supervacuam Latino sermoni putaverunt*, *quoniam pro illa* U, *cederet: sed cum quædam in nostrum sermonem Græca nomina admissa sint*, *in quibus evidenter sonus hujus literæ exprimitur*, *ut* Hyperbaton *&* Hymnus *&* Hyacinthus *& similia*, *in eisdem hac litera necessario utimur*. Cassiodorus de Orthog. Y, *litera antiqui non semper usi sunt*, *sed aliquando loco illius*; U, *ponebant*. *Itaque in illorum quoque libris hanc scripturam observandam censeo*, Suriam, Suracusas, Sumbola, Sucophantas.

De Vocalibus Compositis, id est, Diphthongis & Triphthongis.

Diphthongus est sonus ex duarum vocalium sono in unum conflatus, sic ut utriusque sonus exaudiatur, etsi non pari tempore. Aliàs enim prior vocalis integrum tempus, aut etiam duo tempora habet, posterior dimidium modò tempus, aut etiam tertiam partem temporis, ut in *ae*, *ai*, *ao*, *au* & *eu* usuvenit; nam harum priores plenè efferuntur, nisi quod Germani inter *Ai*, *Ei*, & *Eu*, vix quicquam faciunt discriminis: posteriorum sonus ad aures ferè perit, adeò ut certò constitui non possit ultima in *músae*, *e* sit, an *i*, in *aura* & *euro*, *o*, an *u*; ex quo factum, ut veteres indiscriminatim mu-

mœsae & *musai*, *Kaisar* & *Kaesar* scriberent. Sic *Aorelius* (quomodo in veteri saxo scriptum visitur) & *Aurelius* sono vix discernuntur. Alias contra evenit, ut posterior vocalis habeat tempus unum, vel duo, integrèque efferatur, prior verò semissem aut tertiam modò partem temporis consumat, adeòque mutilatè, seu raptim pronuncietur, ut in *eitur*, quod est tertiæ personæ verbum ab *eor*. Hic enim *i*, longa est, ac duorum temporum, sed *e*, propemodum absorbetur, ac vix tertia ex parte effertur, ut *e*, an *o* sit, dubium maneat: eoque factum est, ut pro tali diphthongo solum *i* scriberetur, sed *pingue*, ut à Grammaticis vocatur, cujus sonum Velius ad sonum *u*, propius ait accedere. Bavari hodie, nisi fallor, omnium optimè eam efferunt in Wei, quod Latine significat *quei* vel *qui*, id est *quo modo*: nec ipsum *quei* aliter Romanis pronunciatum, adeòque si in *quei*, prima demta sit litera, nihil prorsus eam vocem nec significatione, nec sono à Bavarica Wei interesse arbitror. Plauti Comœdia exstat, quæ *Capteivei* inscribitur, quam vocem hodie nemo, quam Bavarus, rectius pronunciaverit. Sextus Empiricus, *ai* & *ei* apud Græcos simplicem sonum habere ait, quia scilicet unius vocalium *sonus ferè perit ad aures* (quomodo in *Vir*, *de* V litera monet Velius) hoc est, minima tantum ejus pars effertur, ut propemodum nihil ejus ad aures perveniat: nec tamen prorsus intercidit, quod aliter vocalis simplex, non diphthongus foret. Itaque non solum *α* in *καὶ* profertur, sed etiam aliquid literæ Jota, etsi tam obscurè, ut sit ne *i*, an *e*, aures vix dijudicent. Similis est *ei* diphthongi ratio. Græci posteriorem

riorem vocalem integram, priorem ex tertia tantum parte pronunciabant. Latini non eandem in ea efferenda rationem tenuerunt. Elegantiores imitabantur Græcos, & *Binei* seu *Bini* eodem prorsus modo, quo illi suum *Βίνει* efferebant, quod epistola ad Pætum Cicero testatur. Sed rustici ac messores, quique urbanorum peregrinitatem effugere studebant, ut Græcorum dissimillimi essent, ex *ei* priorem plenè, posteriorem ex tertia tantum parte pronunciabant: ut vix Jota animadverteretur, velut ex Ciceronis tertio de Oratore discimus. Similiter autem Varro 1. rei rust. cap. 2. *Villam*, quæ ex *vehillam* & *veillam* facta vox est, à rusticis *Vellam* efferri solitam auctor est, quo modo dubium non est, quin & antiquissimi Romanorum pronunciare fuerint soliti: nam *liber* posteriores fecerunt ex *leiber*, priore vocali suppressa, quod contra veteres dixerant *leber*, posteriorem vocalem supprimentes. Hinc porrò intelligimus multis aliis diphthongis idem ipsum usuvenisse, ut duplex earum esset pronunciatio, cum aliàs prior, aliàs posterior ejusdem diphthongi vocalis plenè sonaret: cujus rei insigne Germanicus sermo exemplum suppeditat. Vox *Jeder*, Germanis significat *unusquisque*. Prior ejus syllaba diphthongo *Je* constat. Hanc qui elegantius loquuntur, sic pronunciant, ut *J*, audiatur plenum & duo tempora consumat, *e* verò tertiam modò temporis partem habeat ac vix sentiatur. Ripuarienses Germani contra *e* plenum efferunt duobus temporibus, sed *i*, non nisi ex tertia parte temporis, ut ferè ad aures pereat, quo modo prior in *Jesus* pronunciatur. Sic Hispani in *nuestro*, *u* plenum efferunt, sed *e* sic supprimunt, ut non nisi minima ejus pars audiatur:

quod

quod contra Itali in *unguento* ex *ue* posteriorem integrè pronunciant, priorem *u* tanta celeritate, ut rectè Terentianus dicat, *eam parte tantum fungi temporis:* Velius verò: *eam ad aures ferè perire*. Sic in *fuisse* Lucillius facit, *u*, *i*, in diphtongum coalescere hoc versu: *Compernem aut varam fuisse Amphitruonis ἄκοιτιν*. Sed ejus diphthongi prior plenè effertur, altera vix tertia ex parte. Contra in hoc Horatii versu: *Præcipuè sanus, nisi cum pituita molesta est*: *a*, in *pituita* sicut in *vita* vix auditur, sed *i*, tamquam longa duobus temporibus effertur. Idem in *qui* seu *cui* usuvenit: nam sivè *c*, sivè *q* scribas, nihil ad pronunciationem interesse infra demonstrabitur. In *cui*, integrè sonat prior vocalis, in *qui* posterior, ita ut multi priorem (*u* puta) prorsus extriverint, sic ut *qi* seu Κ*i*, Hispanicè & Gallicè *qui*, Hetruscè *chi* pronunciarent. Atque hoc discrimen in efferendis diphthongorum vocalibus non observatum Grammaticis Latinis turpissimum errorem objecit, ut *i* & *u*, sequentibus eas vocalibus, non diphthongi partes, sed consonantes esse crederent, alii tam vocalium, quam consonantium vim amittere putarent. Sed qui cum diversarum nationum hominibus versati sunt, variasque eorum diphthongos observarunt, quantum Grammaticos ratio fugerit minimè laboriosè intelligunt. Certè in *Jam* & *Jus*, primam literam ita raptim efferri fatendum est, ut vix tertiam temporis partem absolvat: neque tamen suo prorsus sono caret, quod fieri in his necesse est, quæ consonantes dicuntur. Similiter in *Qua*, *quem*, *quis*, *quid*, *quod*, *lingua*, *sanguen*, *sanguis*, *suadeo*, *suetus*, *u* vocalis est, quia suum

N pro-

proprium sonum habet, etsi is ad aures ferè perit, quod in quavis diphthongo alterutri vocali usuvenire necesse est, ne non una, sed duæ sint syllabæ. Hinc consequens est, ut in *Va*, *ve*, *vi*, *vo*, & *vu* non aliter *V* efferatur, quam in *lingua*, *sanguen*, *sanguis*, sine ulla scilicet etiam minima adspiratione, quod ratio nulla afferri possit, cur eadem syllaba ex iisdem elementis composita, aliter atque aliter proferri debeat. Itaque rectè Germani sua lingua *vin*, sive ut ipsi perperam scribunt, *win*, ita proferunt, quo modo à Romanis, qui vinum eis intulerunt, pronunciari majores eorum audierant, quomodo hodie scilicet ipsi quoque Itali mediam syllabam in *Sang-ui-nis* efferunt: ubi *u* non est consonans, cum sine ulla spiritus vel afflatus parte pronuncietur, secus quam iidem Itali in pronunciando *Vino* faciunt, ubi adspiratio aliqua seu flatus debilis percipitur, etsi non ita plenè, ut fit cùm Germanus *fino* profert. In quo etsi meritò ridetur, non tamen Italus culpa vacat, & Germano Priscianus totidem verbis patrocinatur lib. I. *Apud antiquos Romanorum F litera, habebat hunc sonum, quem nunc habet V, loco consonantis posita*. Verum ego dubium non habeo, quin Priscianus allucinetur perinde ut cæteri, qui *V*, sequente vocali non in diphthongum concrescere, sed consonantem esse crediderunt: & sonum ejus non F, sed Ⅎ digammate Claudiano efferri solitum certus sum. Quod autem de *ei* diphthongo dixi, priorem ejus vocalem tam correpto temporis momento pronunciari solitam, ut vix perciperetur, nec decerni satis posset, *e* esset, an *o*, id hæc Festi verba certius nobis faciunt: *Ab oloes dicebant antiqui*, *pro* ab illis: *nam literam non geminabant. Pilumnoe poploe*

ploe in carmine Saliari sunt Romani, velut pilis uti assueti. Nimirum *oe* efferebatur prorsus ut Græcum *oi*, Terentiano & Victorino testibus: unde in veteribus Terentii libris *Adelphoe*, & in prologo Casinæ Plautinæ, *Clerumonoe* legimus. In Græca verò diphthongo *oi*, litera *o* vix percipi poterat, nec ab *e* distingui, cum *i* pingue efferretur sono literæ *u*, sivè *y* proximo, quem ipsum literæ *i*, in diphthongo *ei*, sonum esse, supra ex Velio Longo didicimus. Monet quoque Maximus Victorinus *Hoelas* & *Hylas* sono haud ferè quicquam differre, quod Inscriptionum veterum mos confirmat, in quibus *Oiti*, *Oeti* & *Uti*, similiterque *coera* & *cura*, *poenire* & *punire*, *loidos* & *ludos* passim legimus. Sed & Servius in principio Æneid. 10. ad hæc Virgilii. *Quin intra portas atque ipsis prælia miscent Aggeribus moerorum*--ita commentatur; *Moerorum, antiqui pro* murorum; *nam veteres pleraque eorum, quæ nos per* u *dicimus, per* œ *diphthongon pronunciabant*: *& contra* punio, *pro* pœnio, *quod verbum à* pœna *venit*; *hinc est*, Punica regna vides: *cum* Pœnos *ubique legerimus*. Festus denique *Loebesum*, inquit, *& loebertatem antiqui dicebant*, *liberum & libertatem*, *ita Græci* λοιβὴ & λείβω. Nimirum Latini aliàs *leiber* (quod in C. Cassii denario Ant. Augustinus invenit) alias *loiber* nulla pronunciationis differentia scribebant, cum utrumque *liber* sonaret, sed *i* pingui, quod inter *u* & *i* exile medium sonum obtinere supra demonstratum est: idemque ipsum apud Græcos obtinebat, ut λείβω, λοίβω & λίβω, quod Latinis est *libo*, indifferenter scriberent & pronunciarent, ita scilicet, ut in λοίβω & λείβω Jota plenè duobus temporibus efferretur, sed prior vocalis ob pro-

nunciationis celeritatem relinqueretur in ambiguo . Nihil ergo jam mirum est animi dubios fuisse Athenienses, λοιμὸν ne, id est, *pestilentiam*, an λιμὸν, id est, *famem*, versus hic Delphis ex oraculo redditus minaretur: ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅπ' αὐτῷ, siquidem fieri facile potuit, ut surdè audientes Jota longum seu pingue ab exili non distinguerent. Est autem in λιμὸς, Jota breve sivè exile, in λοιμὸς verò longum ac pingue. Neque tamen non idem ipsum in *oi* & *oe* fieri potuit, quod in *ai*, *au* & *ei*, supra diximus factum, ut prior *o*, in aliquibus vocibus plenè efferretur, posterior *e* vel *i*, tam correptè, ut distinctus & certe ejus sonus ad aures non accederet, quod Suevi & Bavari faciunt in verbo *Woint*, quod est *plorat*. Sic certè nihil impedir, quin *proinde* pronuncietur in hoc Maronis versu: *Proinde tona eloquio, solitum tibi, meque timoris*. Si quis tamen sono literæ *o* suppresso, *i* pingue ibi efferre malit, cum eo nec verbum commutatum volo, qui cum maximè hoc nunc agam, ut de veteri Linguæ Latinæ pronunciatione nihil prorsus explorati haberi posse demonstrem. Nunc de Diphthongis quædam veterum testimonia recitari operæ pretium fuerit.

Quinctil. lib. 1. cap. 7. AI, *syllaba, cujus secundam nunc* E, *literam ponimus, variè per* A *&* I, *efferebant: quidam semper, ut Græci: quidam singulariter tantum, cum in dativum, vel genitivum casum incidissent*, id est, quidam semper *Musai* pro *Musę* dicunt, quidam tantum in genitivo & dativo singulari.

Velius Longus: *Ea quæ nos per* AE, *antiqui per* AI, *scriptitaverunt*, Juliai, Claudiai. *Et nihil obstat*,

obſtat, quo minus hoc aut illo modo ſcribamus in utroque numero.

Terentianus: *Alpha ſemper atque Jota quem parant Grecis ſonum,* A *&* E *nobis miniſtrant: ſic enim nos ſcribimus.*

Scaurus de Orthograph. *Apud antiquos* I, *litera, pro* E, *ſcribebatur, ut teſtantur metaplaſmi in quibus eſt ejuſmodi ſyllabarum deductio, ut* Pictai veſtis, *&* Aulai in medio, *pro* pictæ *&* aulæ: *ſed magis in illis* E *noviſſima ſonat, & præterea quoque antiqui Grecorum hanc ſyllabam per* AE *ſcripſiſſe traduntur.*

Feſtus: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus* Ollas, *quia nullam literam geminabant. Auxilla,* olla parvula. *Auſculari,* pro Oſculari, quod eſt os cum ore conferre. *Aurum* ruſtici *orum dicebant, & auriculas, oriculas.* Atque ex hoc formavit Catullus *oricillam.*

Priſcianus lib. I. AU, *videtur quaſi pati diviſionem, cum* I, *poſt* U, *addita, tranſit eadem* U *in conſonantium poteſtatem, ut* Gaudeo, gaviſus. Ναύτης, navita, & ναῦς, navis. *Contra fit à* Lavor, lautus: faveo, fautor: avis, auceps, augurium, auguſtus. *Tranſit quoque* AU, *in* O, *productam more antiquo, ut* lotus, *pro* lautus: ploſtrum, *pro* plauſtrum: cotes, *pro* cautes: *ſicut etiam contra pro* O, AU, *ut* Auſtrum, *pro* oſtrum: auſcuium, *pro* oſculum, *frequentiſſimèque hoc faciebant antiqui.*

Hic non ſatis ſcio tutòne Priſciano de omnibus credamus, quoniam & ratio & auctoritas ſuadere nobis videtur, ut inter *nauta* & *navita* nihil credamus fuiſſe diſcriminis, niſi quod *i*, in *navita*, pro-

pter pronunciationis celeritatem extrita fuerit, sicut in *favitor*, quo Plautus utitur prima correpta. Et Cicero inter *Cauneas* & *cave ne eas* perpusillum interfuisse significat, ita, ut qui audiret *Cau ne as*, sibi *cave ne eas* dictum putare posset, quasi esset: *Cau-en'eas*, ut *u* simul cum *a*, non cum *e* efferretur: quod si verum esset, etiam *nau-ita*, non *naavita* pronunciandum foret: quid hic veri sit, ab aliis doceri aveo.

Lucretius lib. 2. *Aut nulla inter se duo sunt ex omnibus eadem*. Hic *EA*, diphthongum habemus, sicut etiam in hoc versu Terentii prolog. Adel. *Eam commorientes Plautus fecit fabulam*. Et in hoc Virgil. *Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea*. In hac porrò diphthongo, *e* plenè efferri arbitror, *a* verò non nisi ex semisse aut tertia parte.

Lucillius: *Uni se atque eidem studio omnes dedere & arti*. Hic diphthongus est, de cujus pronunciatione diximus, Latinos scilicet & Græcos semper posteriorem plenè extulisse pingui quodam sono, qualis ferè est tertius *u* literæ, sivè *y*. Vetustiores tamen Romani & rustici, *e* plenum pronunciabant, ut *i* ferè tollerent: quos imitati posteriores, dixerunt *Calliopea* & *Chorea*, cum in Græco esset, *ei*, teste Prisciano, qui & ista monet: *In vocalibus sunt affines* E *correpta, sive producta cum* EI *diphthongo, qua veteres Latini utebantur ubique loco* I *longæ, more antiquo Oræcorum*.

Virgilius: *Rege sub Eurystheo fatis Junonis iniquæ*. Idem: *simul accipit alveo*. Idem: *Uno eodemque igni sic nostro Daphnis amore*. Lucret. *Omnia jam*

Jam seorsum carnes ancisa recenti. Hic est diphthongus, in qua *e* plene efferendum puto, ut *o* minimam partem temporis consumat, ex eoque *o*, an *u* sit, satis distinctè sciri non possit.

Virgilius: *Præferimus manibus vittas ac verba precantia.* Idem: *Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia.* Hic *IA*, diphthongum habemus, in qua prior vocalis plenè effertur, quod Vittembergenses rusticos facere animadverti, pro quo cæteri Germani posteriorem *a*, duobus temporibus pronunciant suppressa priore *i*, quod ipsum faciunt omnes in *Jam* & *Allelu-ja*. Grammatici hic suas *Synæreses* & *Synalœphas* obtrudere conantur, sed nihil afferunt, cur Latini non æquè atque alii populi diphthongum credantur extulisse.

Virgil. *Immortale jecur tundens fæcundaque pœnis.* Hic *IE* diphthongum habemus, in qua posterior *e* plenè pronunciatur, priore *i* ad aures quasi pereunte. Germani tamen, ut dixi, alteram præterea ejus efferendi rationem servant, in voce *Jeder*, ut *i* plenum efferant, *e* verò non nisi tertia ex parte.

Sed hoc loco contradici potest, *Jacet*, *jecur*, *Jovem*, *juvat*, propterea non esse diphthongum, quia *i* sit consonans, cujus rei causa sit, quoniam non sit vocalis, ut quæ syllabam non faciat longam, quod omnes diphthongi faciunt, & quoniam consonanti brevi subjecta, syllabam natura brevem faciat positione longam, quod consonantis proprium esse nemo ambigit. Cum enim *ad* sit brevis, tamen in *adjuvat* fieri longam positione, & *ju* brevis est, cum unaquæque vocalis unum tempus habeat, adeòque diphthongus nisi δίχρονος, seu duo-

rum temporum intelligi non possit. Ad hoc respondetur, Grammaticorum regulas de syllabarum dimensione ex positione & diphthongo nonnulla correctione indigere. Positione enim non modò syllaba, natura brevis, fit longa, sed etiam natura longa fit brevis. Est autem *Positio* vel *Vocalium*, vel *Consonantium*. *Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt*. Hic *qui* natura longum, fit breve positione vocalis, quia nimirum ante vocalem posita est: Et *Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno. Stipitibus duris agitur sudibus-ve præustis*. Hic *AE* diphthongus ex longa fit brevis positione vocalis consequentis, quia scilicet posterior diphthongi vocalis minimam modò temporis partem habet, quæ sequenti vocali quodammodo accrescit, quod tamen semper fieri nihil necesse est. *Ad* in *adjuvat* longum fit, non ex positu consonantis, sed ejus vocalis, quæ propter moram, quam pronunciationi affert, consonanti fit similis: nec enim tam celeriter, ac sine impedimento decurrit pronunciatio, quam in *adipe*, *aditu*: atque ab hac causa Lucretius, *aqua* & *liquidus*, nonnumquam prima producta extulit. Sed hæc mora in *pluvia* vocalem ante se positam propterea non retardat, quia brevissima temporis pars, quæ est in priore diphthongi litera, utrique vocalium, hoc est, antecedenti & consequenti velut contribuitur, quod præcedente consonante, tamquam soni experte, fieri non potest. Similiter in *Favitor*, prima quamvis longa à Plauto corripitur in prologo Amph. *Si cui favitores delegatos viderint. Virtute ambire oportet, non favitoribus*. Nimirum *Au* fit brevis positione, quia ponitur ante vocalem *i*.

quo

quo exemplo nihil peccabit, qui *Gavisus* primâ brevi dixerit, ut sit *Gav-isus*, non *Ga--visus*.

Quinctilianus lib. 1. cap. 4. *Litera I, sibi insidit*. Conjicit *enim est ab illo jacit*. Hæc *Ji*, diphthongus est, in qua prior *i*, minimam temporis partem absolvit, eoque factum est, ut eam veteres sæpè extererent, & *Conicit*, *obicit*, *subicit*, media brevi efferrent. Virgil. *Tityre pascentes à flumine reice capellas*. Hinc porrò intelligi potest, nullam fuisse rationem, cur negarent veteres, *v* similiter sibi insidere in *Vulnus*, *servus*, ut in *conjicit*, *subjicit*. Par enim utrobique est ratio.

Lucretius lib. 2. *Quoad licet ac possis reperire inolentis olivi*. Hic Triphthongum, in eaque *OA*, diphthongum habemus, qua & rustici in Germania alicubi utuntur, cum uno sono *Joa* pro *Ja* efferunt, quæ est affirmandi particula: quos si Terentianus audisset, de Diphthongo *oa* minimè dubitasset, quemadmodum nec de *ou*, qua Horatius utitur: *Pasco libatis dapibus prout cuique libido est*. Hanc Bavari in appellanda vacca exprimunt, cum dicunt *Kou*, ut prior vocalis *o*, vix exaudiatur, quomodo & Latini *loumen*, *loucem*, & similia videntur extulisse, qualia Inscriptiones veteres exhibent, *Courato*, *joussit*, *joudicare*, &c.

Velius Longus: *V*, *literam digamma esse interdum*, *non tantum in his debemus animadvertere*, *in quibus sonat cum aliqua adspiratione*, *ut in* valente *&* vitulo: *sed etiam in his*, *quibus confusa hæc litera est in eo quod est* quis: *nam si omnino hæc vocalis est* V, *procul dubio hæc syllaba longa esset*, *quoniam numquam duæ vocales coeunt*, *ut non longam syllabam faciant*.

Hoc

Hoc verum eſt de vocalibus, quæ paribus temporibus efferuntur, ut unaquæque tempus unum habeat. Tum enim duo ſunt tempora, quæ ſyllabam longam faciunt. Sed diſpar eſt ratio in diphthongo *Va*, *ve*, *vi*, *vo*, cum poſteriores vocales plenè efferuntur, prior verò vix tertiam temporis juſti partem conſumit, ac vix ſenſibilem pronunciationi moram affert, proptereàque ſepè cùm ſcribendo, tùm pronunciando exterebatur, ut eſſet *Qis*, *qod*, *qotidie*, velut infra de conſonantibus docebitur. Hoc loco illud obſervandum moneo, Velii Longi ætate (quæquæ illa fuerit) *V*, literæ vocalibus præpoſitæ duplicem ſonum fuiſſe, alterum ſine ulla adſpiratione in *Qua*, *que*, *qui*, *lingua*, *ſuadeo*, *ſuetus*, alterum cum adſpiratione nonnulla, vel potius flatu, prorſus ut hodie quoque Itali in *Vado*, *vento*, *vino*, *volo* & *vulgo* pronunciant. Sed veteres Romanos ſatis exploratum eſt, ad quemcunque flatum, ſeu fortem, ſeu debilem, nulla alia nota, quam *F* litera uſos fuiſſe, ſicut *H* litera ad halitum, ſeu ſpiritum, vel adſpirationem. Non igitur Æolicum digamma Ϝ, ſed *F*, dimidiatum Itali hodie in *Vini* voce efferunt, adeòque Germanos *F*, plenum efflantes irridere non debebant. Illud tamen minimè negaverim, jam tum Theodoſio imperante digamma cum flatu aliquo pronunciari fuiſſe ſolitum. Servius enim ejus ætatis Grammaticus propter affinitatem ex *Henetis Venetos*, ex *Helia Veliam* exiiſſe credidit. Verba ejus ſunt in Æn. 6. *Velia dicta eſt à paludibus quibus cingitur, quas Græci* ἕλη *dicunt. Fuit ergo* Helia: *ſed accepit digammon, & facta eſt* Velia, *ut Henetus Venetus*. Sed de digamma ejuſque uſu plu-

ra

ra qui volet, apud Priſcianum libro primo videre poterit.

TRIPHTHONGI.

Quinctilianus lib. 1. cap. 4. *Aut unam longam vocalem faciunt, ut veteres ſcripſere, qui geminatione earum velut apice utebantur* (ut maater, feelix, abiire) *aut duas* (ut Muſae) *niſi quis putat etiam ex tribus vocalibus ſyllabam effici, quod nequit, ſi non aliquę conſonantium officio fungantur.*

Terentianus: *Syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus.*

Annæus Cornutus: *Tres vocales quibuſdam videntur eſſe ſub una ſyllaba* VAE: *errant, ſi ita putant, nam nuſquam neque apud Græcos, neque apud Latinos ex tribus vocalibus ſyllaba conſtat: quare hic Digamma erit, & duæ vocales.*

Chariſius lib. 1. *Syllabę natura longæ, cum ſingulę vocis literæ producuntur, ut* A *aut* E (in maater, feelix) *aut cum duæ, ut* VA (in vado) *aut cum tres, ut* VAE (in aquæ.)

Sic habemus, veterum alios Triphthongis locum dediſſe, alios eaſdem repudiaſſe, propterea quod ex tribus temporibus ſyllabam longam conſtare non poſſe, rectè judicarent. Sed illos cogitare æquum fuit, diphthongos per ſe non habere duo tempora, ſed unum modò tempus & ſemis; imò ne ſemis quidem, ſed tantum tertiam partem temporis propterea, quod ſemper altera vocalium ea celeritate effertur, ut ferè ad aures pereat. Itaque ſequente vocali

cali diphthongi corripiuntur, si prior earum vocalis plenè pronuncietur. Sed per accidens seu fortuitò & ex eventu producuntur, quoniam scilicet consonans eas excipit, quæ nullum habet sonum, cum quo vocalis diphthongi posterior, quæ vix exauditur, coalescere queat. Atque hæc demum vera est productionis ratio, non illa, quam Priscianus reddit, quod scilicet consonans dimidium tempus habeat, adeoque cum vocali diphthongi antecedente tempus integrum absolvat. Consonans enim nullum omnino sonum proprium habet, propterea que nec minimum temporis momentum facere potest. Accipio tamen, quod dat Priscianus, diphthongos sequente vocali duo tempora non habere. Verba ejus lib. 1. sunt.

Invenitur hec diphthongus AE *vel* AI *in media dictione correpta tunc, quando compositæ dictionis antecedentis in fine est sequente vocali, ut* præustis. *Virgil.* Stipitibus duris agitur sudibusve præustis: *Homerus*: ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι. Oe *quoque vel* Oi *idem patitur apud Græcos. Æschylus*: ἱερὸς τοιαύτας παρθένου λοχεύεται. *Unde quidam non sine ratione unum tempus & semis singulas eas habere dicunt. Ideoque si consequatur consonans, quæ dimidium tempus habet, omni modo producuntur.*

Jam quod *V*, in *VAE*, digamma vocant, & cum quodam flatu proferri volunt, eoque nomine consonantibus accensent, vel vox Italica *GUAI* (ex Latino *Væ* facta, quam Suevi *WAI* efferunt) & priscum *aquai*, errorem eis eripere debebat: nam neque vel minimum illius flatus, sive adspirationis hic est vestigium, neque aut *g*, aut *q*, cum flatus nota consequente pronunciari potest, nisi quis tamen

Ro-

Romanos ; Sarmatarum more *Qſamqſam* , pro *quamquam* , enunciaſſe putet.

Tripthongi *VAU* aliud exemplum non habeo , niſi quod Varro ipſum *V* , digamma *VAU* appellandum putavit. Bavari *WAO* ſeu *WAO* , quod *ubi* ſignificat , ita efferunt , ut *o* plenum ſit , priores duæ vocales vix exaudiantur , adeoque triphthongus non niſi duorum eſt temporum , quomodo apud Græcos ηυ , & ωυ , non ſunt trium temporum , etſi η & ω , velut longæ , duo abſolvunt tempora : eo quod υ inſigni labiorum preſſu comprimatur. Unam verò ſyllabam duo tempora & ſemis habere poſſe , ipſe quoque Priſcianus & alii agnoſcunt , tamquam in *Juno* , ubi *u* longa duorum eſt temporum , *i* verò vix dimidium tempus , atque adeò non niſi tertiam temporis partem conficit.

Virgilius : *Seu lento fuerint alvearia vimine texta*. Hic *VEA* triphthongum habemus. Ubi ſi quis *v* , conſonantem eſſe & cum adſpiratione aliqua proferendam contendat , eum docere velim , cur ergo in *laquearia* , *u* nihil habeat flatulenti.

In *Quei* , quo veteres utebantur pro *qui* , triphthongum eſſe ſatis jam planum eſt.

Horat. *Quis ſudor vietis aut quam malus undique membris*. Hic in *vietis* (quæ vox eſt diſſyllaba) prior ſyllaba ex Triphthongo duorum temporum conſtat : nam *v* & *i* , vix unum tempus conſumunt. *V* verò ſine omni flatu proferendum , ex voce *quietis* diſci poteſt.

Lucretius lib. 2. *Quoad licet ac poſſis reperire inolentis olivi*. Hic triphthongum *VOA* habemus , cujus media vocalis plenè effertur , prima & ultima ferè ad aures pereunt.

Ca-

Catullus: *Quoi dono lepidum novum libellum*; Hic triphthongus *VOI*, mediam vocalem habet plenam ac duorum temporum, cum extremæ duæ propter pronunciationis celeritatem vix simul unum tempus conficiant.

DE CONSONANTIBUS SIMPLICIBUS.

B.

B, Romani sic efferebant, ut à *p*, quam minimum differret: quæ causa est, cur in saxis inscriptum videamus, *Apsolutus*, *apsens*, *opses*, *optinere*.

Quinctilianus lib. 1. cap. 7. *Cum dico* obtinuit: *secundam* B *literam ratio poscit aures magis audiunt* P.

Scaurus de Orthographia: B, *cum* P *consentit, quoniam origo eorum non sine labore conjunctione revelli à quoquam potest. Græci* πυῤῥίαν, *nostri* Byrriam, *& quem Purrum, antiqui* Burrum: *Balatium*, Palatium: item *Poplicolam*, Publicolam: *Scapillum*, alii Scabillum dicunt.

Hanc pronunciandi rationem qui Germanis hodie in usu esse prædicat, quos ille Germanos dicat nescio. Ego quidem numquam ejus nationis quemquam audire memini, qui *Ponum* pro *Bono* efferret. Sed plerosque scio pro *B*, efferre digamma

sive

five *V* consonantem quam dicunt, sed sine adspiratione ulla, ut in *Bene* perinde sonet, atque *V in Quane*, sive *W*, quomodo ipsi scribunt. Maximè verò omnium in eo sunt ridiculi, qui Bavarica dialecto utuntur. *Wacchus* enim dicunt, pro *Bacchus*. *Wuarca*, pro *Barca*. *Wonus*, pro *Bonus*, sicut U in *Quoniam*.

Nec tamen tolerabilius peccant Hispani & Vascones, qui *B*, & *V*, adspiratam inter se commutant: nam inter *bibere* & *vivere* nihil faciunt discriminis, nec inter *Baro* & *Varo*, *bellum* & *vellum*. Et in re divina facienda Sacerdotes sic loqui audiuntur: *Per Christun Dominun nostrun, qi tecun bibit & re--gnat in sæcula sæculorum*. Est autem error iste pervetus, ut in saxorum veterum Inscriptionibus passim videre est: nam ibi B*ibus*, pro *vivus* sæpius legas, *Vase*, pro *base*: *plevi*, pro *plebi*: *Vene*, pro *bene*: *Abe*, pro *ave*: *Bale*, pro *vale*.

C.

C antè *A*, *O* & *V*, rectè hodie ab omnibus pronunciatur. Sed ante *E*, *I*, & *Y*, aliæ nationes aliter efferunt, malè tamen omnes: Hispani, Galli & Cisalpinæ Galliæ Itali, *Cicero* sic pronunciant, ac si esset *Dsidsero*, Germani *Tsitsero*. Maximè ridiculi & odiosi sunt Hetrusci, inprimisque Florentini, qui in *Cicero* aliter primam, aliter mediam syllabam efferunt, utrobique scil. strepitum, sivè *S* densum aut pingue, sed ei in priore syllaba, *t* præmittunt. *Strepitum* voco, quem Germani per *Scha*, *Sche*, *Schi*, scribunt: Galli per *Cha*, *Che*, *Chi*: Hetrusci per *Scia*, *Scie*, *Scio*: Hispani per *Xa*,

Xe,

Xe, *Xi*, aut *Ge*, *Gi*, aut *Je*, *Ji*, etsi ab annis non ita multis morem hunc Hispanæ mulieres mutarunt, ita ut ista cum adspiratione efferant, ut χ Græcum, vel *Ch* Germanicum, vel gutturale *Ca* Hetruscorum, quod ipsi *La gorga* vocant, cum *Duca* pronunciant, ut Germani *Ducha*, Hispanæ fœminæ *Duxa* vel *Duja*. Galli id efferre non possunt. Hetrusci ergo *Cicero* sic pronunciant ac si Germanus legeret *Tschischero*, Hispanus veteriore modo, *T--xixero*. Itaque si nihil aliud inter hodiernam & veterem Romanorum pronunciationem esset discriminis, vel hujus solius literæ pronunciatio omne inter nos linguæ commercium impedire posset. Illi enim *KIKERO* efferebant, sivè ut Italus scriberet, *Chichero*, ut Gallus & Hispanus *Quiquero*.

Fest. *Prisci pro* acipenser *dicebant* aquipenser, *pro* sexdecim, sexdequim. *Ex Græco* κάρκερα *fecerunt febrim* querqueram *&* carcerem; *quia scilicet* κάρκερ *efferebant*.

Quinctilian. 1. cap. 7. *Quidam K necessariam credunt quoties* A *sequatur*, *cum sit* C *litera*, *quę ad omnes vocales vim suam perferat*. Ergo nulla prorsus inter *ka* & *ca*, inter *ke*, & *ce*, inter *ki* & *ci*, fuit pronunciationis differentia: proindeque Cato pro *dicam*, scribebat *dicem*, & *faciem* pro *faciam*, ut eodem capite Fabius auctor est. Et Livius lib. 21. *Saguntum* à *Zacyntho* nomen duxisse monet, quoniam scilicet *cy* Græcorum, à *Gu* Latinorum sono vix quicquam interesset.

Julius Hyginus apud Servium Æneid. 8. *Cum Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos, quæ diceretur civitas, illi utpote Gręci quid audirent ignorantes, & optimum ducentes, si eos prius salutarent, dixerunt* χαῖρε: *quam salutationem*

nem Romani nomen civitatis esse putaverunt , & *detracta adspiratione eam* Cære *nominaverunt*.

Ergo inter Latinum *Cære* & Græcum χαῖρε nullum aliud soni discrimen fuit, quam quod in Græco esset adspiratio: ex quo planum fit *Cæsar* Romanis itidem ut Germanis hodie pronunciari solitum, nempe Καίσαρ, quomodo & Græci scribebant. In compluribus quidem Claudi Imp. Inscriptionibus *CAISAR* disertim perscriptum visitur, ut mirari satis non possim, qua ratione barbarum nostrate *Zesar* vel *Tschesar* aut *Tsciesar* aut *T--chesar* (quomodo Germani & Galli Hetruscum *Cesar* scriberent) subrepere potuerit . Similiter autem aliàs *pulcher* , aliàs *pulcer* , nullo ferè pronunciationis discrimine scribi solitum ex Grammaticis discimus.

D.

Quinctilianus lib. 1. cap. 4. T *literæ cum* D *quædam cognatio est: quare minus mirum, si in vetustis operibus urbis nostræ & celebribus templis legantur Alexanter & Cassantra*. Et cap. 7. *Illa quoque servata est à multis differentia, ut* AD, *cum esset præpositio*, D *literam, cum autem conjunctio* , T *acciperet*. Multi ergo *ad* & *at* indifferenter pronunciabant.

Festus: Apot *antiquis erat, quod postea* apud.

Idem: Odefacit *veteres dicebant pro* olfacit, & dacrimas *pro* lacrimas , *item* dautia *pro* lautia, impelimenta *pro* impedimenta.

Scaurus de Orthograph. Seddam *antiqui dicebant , quam nos* Sellam.

Victorinus : Kadamitatem *veteres & scribebant*

& dicebant pro calamitatem. *Communionem enim habuerunt literæ hæ apud antiquos, ut dinguam & linguam: dacrimis & lacrimis: capitodium & capitolium: & sella à sede: olere ab odore.*

Terentius Phorm. act. 2. sc. 2. *Rete accipitri tenditur*. Ubi Donatus: *Legitur &* tennitur. *Habet enim* N *litera, cum* D *communionem*.

Servius in Georgic. 2. DI, *in Media, sine sibilo proferenda est: Græcum enim nomen est, & Media provincia est*. Hinc apparet in Latino vocabulo *medio*, *D* cum sibilo proferri solitum. At enim *D* cum sibilo est consona duplex *Z*. Dicebant ergo *Mezo*, quomodo hodie quoque Itali sua lingua pronunciant. Sed & hoc ab eadem pronunciatione ortum video, ut *Zabolus* dicerent, pro *Diabolus*, *Zeta* pro *Dieta*.

Antiquissimi vocalibus *D* adjiciebant, ut in columna rostrata Duilii: *In altod marid pugnandod cepet*: pro *In alto mari pugnando cepit*. Alii vocalibus duabus hiatus vitandi causa interponebant, sicut in *Redeo*, *redambulo*, *redigo*, *redarguo*, *prodest*, adhuc apparet. Hinc Plautinum *antidhac*, pro *antehac*. *Antideo*, pro *ante eo*. Horat. *Omnem crede diem tibid illuxisse supremum*. Idem: *Maled ominatis parcite verbis*. Vide Muret. 14. Var. lect. 19.

F.

Hæc nota flatus est, quam Priscianus monet *non tam fixis labris esse pronunciandam quam PH.* Cicero pro Fundanio (ait Fabius) testem irridet, qui primam Fundanii literam dicere non posset, nimirum

Græ-

Græculus ille *Bfundanium* proferebat, qui literæ Græcæ ◆ sonus erat. Similiter Græcorum & Latinorum interjectionem *Phui* vel *Phy* (quæ est aspernantis aliquid, ut spurcum aut fœtidum) Germani hodie *Bfui* vel *Pfui* pronunciant.

Priscianus lib. 1. *Apud antiquos* F *litera hunc habebat sonum, quem nunc habet* V, *loco consonantis posita. Unde antiqui* AF *pro* AB, *scribere solebant, & sifilum pro sibilum dicebant.*

G.

Festus: *Antiqui per* C *literę formam nihilominus* G *usurpabant. Acetare dicebant, pro agitare. Prodigia, quod prodicunt futura, permutatione* G *literæ: nam que nunc* G *appellatur, ab antiquis* C *vocabatur. Quincentum per* C *literam usurpabant antiqui. Negotium, quod non sit otium. Neglegens dictus est, non legens, neque delectum habens quid facere debeat, omissa ratione officii sui.*

Quinctilianus lib. 1. c. 4. *Quædam scribuntur aliter, quam enunciantur: nam & Gajus,* C *litera notatur: nec Cneus eam literam in prænominis nota accipit, quam sonat.*

Servius Geor. 1. *Amurca per* C *scribitur & per* G *pronunciatur, ut* C *Gajus,* CN *Gneus.*

Victorinus Artis Grammat. lib. 1. *Pro agro Gabino dicebant Cabino: pro Lege, lece: Acna pro agna. Auctio certè ab augendo dicta est: & numeri cum* C *habeant, ut Ducenti, trecenti, sexcenti;* G *reliqui habent, ut Quadringenti, nongenti.* Et infra: C *& nomen habuit & usum præbuit literæ* G.

Scaurus de Orthogr. *Camelum alii dicunt, alii Ga-*

melum. *Negotium dictum est, quia nec otium*. *Nec* porrò significat *non*, ut *Nec rectè loqui*, pro, *non rectè*, seu *malè*.

Ex omnibus istis apparet: Romanos *legio*, *legere* pronunciasse, quomodo hodie effertur ab Italis & Germanis *leghio*, *leghere*, ab Hispanis & Gallis *leguio*, *leguere*: nam cæteræ omnes literæ, *G*, pronunciationes, quæ hodie in usu sunt iisdem nationibus, à Romanis nullo pacto intelligerentur. *GA* etiam *GO* & *GU*, Romani sic efferebant, ut à CA, CO, CU, perpaulum interesset. Testatur Fabius, *G*, in fine quoque vocabuli lectum, ut in *Vesperug*. Eo utuntur Germani in *Sing*, cano: *Gesang*, cantus: habentque hunc morem ut in *Singen*, *G*, priori syllabæ attribuant, ut sit *Sing -en*: quod haud scio, an & Romani fecerint in *longa*, *longæ*, *longis*: sicut nec illud possum decernere, quam rectè veteres Grammatici *unguem* admittant, *ungo* vero & *ungentum*, sine *u* scribi postulent.

H.

Festus Longus: *De* Ha *litera quæritur, quæ inservit his Vocibus, Vehemens, Reprehendit: cum elegantiores & Vemens dicant & Reprendit, secundum primam positionem. Prendo enim dicimus, non Prehendo*. Idem; *Alia est syllaba*, Ha, *alia* Ah. Idem: H *adeò litera est, ut possit videri etiam vicem duarum consonantium implere*.

Scaurus de Orthogr. *Respondemus* H *& esse literam, & apud Græcos quoque fuisse, qui ἑκατόν, id est, centum*, H *litera notant Et sicut* As, *&* Sa, *aliam vocem & aliam efficiunt potestatem, &* Ad *&* Da,

Da, *ita* Ha *&* Ah. *Et literarum proprium est propinquitate sociari & invicem succedere, ut quam nos* Fabam *dicimus, antiqui* Habam *dixerint*, &c.

Priscianus initio libri quinti: *In* A, *neutra non inveniuntur Latina, nisi tria monosyllaba literarum nomina indeclinabilia*, A, Ka, ha.

Quinctilianus lib. 1. c. 6. irridet eum, qui dixerat *Avete* sine adspiratione. Et subjicit: *Recta est hæc via, quis negat? Sed adjacet & mollior & magis trita.*

Velius Longus: *Harena, ut testis est Varro, à Sabinis* Fasena *dicitur, & sicut S familiariter in* R *transit, ita* F, *in vicinam adspirationem mutatur. Similiter ergo &* Hœdos, *dicimus cum adspiratione, quoniam* Fœdi *dicebantur apud antiquos: item* Hircos, *quoniam eosdem æquè* Fircos *vocabant: nam & è contrario quam antiqui* Habam *dicebant, nos* Fabam *dicimus.*

Festus: *Fædum antiqui dicebant, pro hædum: Folus, pro holus: Fostis, pro hostis: Fostia, pro hostia. Formiæ ex Græco hormiæ. Hanula, parva delubra & quasi fanula. Horreum prisci dicebant farreum, à farre.*

Donatus in Phorm. act. 4. sc. 4. *Hariolus est, qui divina mente vaticinatur, quasi* Fariolus, *à faris & à fando, cum* F *pro* H, *& item* H *pro* F, *in multis locutionibus ponatur, an quod imitantur adspirationem in exhalando? nam halitu solent excludere velut mortalem animam, ut divinam recipiant: unde & vocem ejusmodi dabant, quæ est* OE, *quod* OE *sonus exhalandi vim præstat*. Ubi scribendum videtur *OH vel HO* aut *HOE*.

Servius in Æn. 7. *Halisci immutato* H *in* F, *Fa-*

lisci dicti sunt, sicut Febris dicitur, quæ ante hebris dicebatur. Formiæ, quæ hormiæ fuerunt.

Varro lib. 3. rei rust. cap. 1. *Colles vocant* Tebas *sine afflatu*, id est sine H *litera*.

Scaurus iterum de Orthogr. *Nec minus consonantes inter se mutuis vicibus funguntur, ut* F *&* H. *Utraque enim flatus est, quare quem antiqui Fircum, nos Hircum, & quam Falisci Habam, nos Fabam appellamus, & quem antiqui Fariolum, nos Hariolum.*

Quinctilianus lib. 1. c. 4. & 7. *Illa vitia non nisi aure exiguntur, quæ fiunt per sonos: quamquam per adspirationem, sivè adjicitur vitiose, sivè detrahitur, apud nos potest quæri, an in scripto sit vitium, si* H *litera est, non nota. Cujus quidem ratio cum temporibus mutata est sæpius. Parcissimè ea veteres usi etiam in vocalibus, cum* Oedos Ircosque *dicebant. Diu dein servatum ne consonantibus adspiraretur, ut in* Graccis *&* Triumpis. *Erupit brevi tempore nimius usus, ut* Choronæ, Chenturiones, Præchones, *adhuc quibusdam inscriptionibus maneat: qua de re Catulli nobile epigramma est. Inde durat ad nos usque* vehementer *&* comprehendere *&* mihi: *nam* mehe *quoque pro* me, *apud antiquos Tragœdiarum præcipuè scriptores in veteribus libris invenimus. Fortasse sicut scribebant, etiam ita loquebantur. Hic enim usus est literarum, ut custodiant voces, & velut depositum reddant legentibus. Itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus.* In quam sententiam Papyrianus: *Aliter scribere, aliter pronunciare vecordis est* Galli.

Ex istis primum discimus, nomen *H* literæ fuisse *HA*, ut à Germanis pronunciatur, non *ACA* Ita-

lorum,

lorum, neque *ACHE* Hispanorum, quod illi perinde pronunciant, ac si Hetruscè *ACIE*, Germanicè *Atsche*, Gallicè *At-che* scriptum foret. Nimirum ex *Ha* primum factum fuerat *Ah*, quod alii pronunciarunt, ut *Ach*, sicut ex *mihi* fecerunt *michi*. Inde porrò natum est Italicum *Acha* vel *Aca*: undè postea Hispani & Galli plus etiam literæ appellationem corruperunt.

Deinde discimus, *H* esse literam consonantem, nequicquam reclamantibus Varrone & Nigidio Figulo, maximis Romanorum literatoribus, quorum plurimis aliis, quæ ridiculè, atque adeò stolidè censuerunt, hoc addamus licet, quod *H*, non esse literam statuerunt, *eo quod sit adspirationis nota*. At enim non propterea *F*, litera esse definit, quod sit flatus nota, neque *S*, quod sit nota sibili, neque *R*, quod sit nota rictus.

Præterea discimus, Romanos solitos *H* pronunciare, sivè eam in scribendo vocalibus præmitterent, sivè consonantibus subjicerent. Itaque aliter efferebant *Ave*, aliter *Have*, sic aliter *commoda* aliter *chommoda:* nec dubium est aliter *Tebas*, aliter *Thebas* efferri solitum; hoc scilicet cum afflatu, ut Varro vocat, illud sine eo. *Afflatum* verò Varro impropriè vocat *adspirationem* sivè *exhalationem*. Aliud quippe *flare* est, aliud *halare* seu *spirare*, sive *halitum emittere*. *Flat*, qui *F* pronunciat: *Halat*, qui *H*. Arrius Catullianus consonantibus & vocalibus pariter adspirabat, sivè *H* proferebat etiam, ubi minimè opus erat, ut *Chommoda*, *hinsidias*, *mather*, *havus*, *havunculus*. Assentior enim iis, qui partim veteris scripturæ vestigia persecuti, partim conjectura ducti, sic legunt Catulli epigramma:

Chommoda dicebat, si quando Commoda vellet
Dicere, & Hinsidias Arrius Insidias:
Et tum mirificè sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat, diceret Hinsidias.
Credo, sic Mather, sic liber Havunculus eij est,
Sic Mathernus, Havus dixerit, atque Havia.

Hos versus multi Italorum non si capitis res agatur pronunciare sciunt, sed neque quomodo pronuncientur, suspicari possunt, nisi Arbitri Eumolpum illum cum maxime nequam facientem capere magistrum velint, de quo rivalis ejus verba sunt: *Unus, & senex non erit gravis. Etiam cum voluerit aliquid sumere, opus anhelitu prodet*: aut illum, ad quem poetæ versus est: *Quod lateri parcas, nec quantum jussit, anheles*. Hispani non ferè *H* pronunciant, nisi cum pro *F* positum est, ut in *Haba*, pro *Faba*, in *Hacer*, quod est *facere*: in quo Romanos imitantur. *Ave* tamen dicunt, cum Fabius ætate sua molliorem magisque tritam viam fuisse testetur adspirandi, id est *Have* pronunciandi.

K.

Priscianus lib. 1. K & Q, *quamvis figura & nomine videantur, aliquam habere differentiam cum* C, *tamen eandem tam in sono vocum, quam in metro continent potestatem. Et* K *quidem penitus supervacua est: nulla enim ratio videtur, cur* A, *sequente* K, *scribi debeat.*

Scaurus de Orthogr. *Antiqui in connexione syllabarum, ibi tantum* K *utebantur, ubi* A *litera subjungenda erat: quoniam multis vocalibus instantibus quoties*

ties id verbum scribendum erat , in quo retinere hæ literę nomen suum possent , singulæ pro syllaba scribebantur , tamquam satis eam ipso nomine explerent , ut puta Decimus , *D , per se in dicimus* (lego *D , per se in* Dcimus) *item* cera , *C simplex & ra* : & *Bene* , B *&* ne : *ita & quoties* Kanus *&* Karus *scribendum erat , quia singulis litteris primæ syllabę notabantur* , K *prima ponebatur , quę suo nomen* A *continebat : quia si* C *posuissent* , Cenus *&* Cerus *futurum erat , non Canus & Carus*.

Sententia est , veterum morem fuisse , ut *DCEM* vel *DCM* esset *Decem* , quia *E* continetur in *D* & *C*. *BNE* sonaret *Bene* . CRA , *Cera* . KNUS , *Canus* . KRUS , *Carus* . CNUS , *Cenus* , CRUS , *Cerus*.

L.

Priscianus lib. I. L. *triplicem , ut Plinio videtur , sonum habet . Exilem , quando geminatur secundo loco posita , ut* Ille , Metellus : *Plenum , quando finit nomina vel syllabas , & quando habet ante se in eadem syllaba aliquam consonantem, ut* Sol , silva , flavus , clarus . *Medium in aliis , ut* lectus , lecta , lectum .

Hanc sonorum ejusdem literæ varietatem nemo est hodiè qui dijudicare possit , nisi quod suspicari licet, hodiernam literam, quam Itali per *GL*, Hispani per *LL* , exprimunt in *Capegli & Cabellos* , aliquam cum exili sono illo affinitatem habere ; de cujus pronunciatione mox agemus , ubi ad duplices consonantes perventum fuerit.

Quin

M.

Quinctilianus lib. 9. cap. 4. M *litera, quoties ultima est & vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur, ut* malum ille *&* quantum erat: *adeo ut pæne cujusdam novæ literæ sonum reddat, neque enim eximitur, sed obscuratur, & tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsę coeant.*

Priscianus lib. 1. M *obscurum in extremitate dictionum sonat, ut* templum: *Apertum in principio, ut* magnus: *Mediocre in mediis, ut* umbra. *Transit in* N, *& maximè* D *vel* T *vel* C *vel* Q *sequentibus, ut* Tam, tandem: tantum, tantundem: idem, identidem: num, nuncubi: *& ut Plinio placet,* nunquis, nunquam. Anceps *pro* Ambiceps. AM *enim præpositio,* F *vel* C *vel* Q *sequentibus, in* N *mutat* M, *ut* Anfractus, ancisus, anquiro: *vocali verò sequente intercipit* B, *ut* Ambitus, ambesus, ambustus, ambages: *nec non etiam in* comburo, combustus *idem fit*. Immò verò *comburo* formatum fuit ad exemplum verbi *amburo*, quod fuit compositum ex *ambi* sivè *ambe* (sicut *heri* & *here*) & *ur*. *Ambe* porrò factum est *am*, & ex hoc *an*, sicut *a* ex *ab*, & hoc ex *abs*. *Ambi* autem est à Græco ἀμφὶ, & significat *circum*. Festus: AM *prępositio loquelaris significat* circum, *unde servus ambactus, id est circumactus dicitur. AM ex Græca præpositione sumtum, quę est* ἀμφὶ, *significat* circum. *Hinc Ambegni bos & vervex appellabantur, cum ad earum utraque latera agni in sacrificium duce-*

ducebantur. Varro de lingua Lat. lib. 6. *Ambages profectum est à verbo* ambe, *quod est in* ambitu. Ambustum, *quod circum ustum est*, ut Ambiegna *bos apud augures, quam circum aliæ hostiæ constituuntur.* Ancilia *dicta ab* Ambecisu, *quod ea arma ab utraque parte incisa.* Et lib. 4. *Amictus est dictus amjectus, id est, circumjectus. Amnis id flumen est, quod circuit aliquid: nam ab Ambitu amnis.* Sed fieri potest, ut *comburo*, ex *con* & *buro* factum fuerit, cum a *buro* profectum videatur *bustum* seu *bustar*, id est usti cadaveris locus, sicque *buro* esset ex Græco πυρόω. Πῦρ verò *ignem* significat.

Annæus Cornutus de Enunciatione: *Si duo verba conjungantur, quorum prius* M *consonantem novissimam habeat, posterius à vocalibus incipiat,* M *consonans perscribitur quidem, cæterum in enunciando durum & barbarum sonat. At si posterius verbum quamlibet consonantem habuerit, vel vocalem positam loco consonantis, servat* M *literæ sonum. Par enim atque idem est vitium, ita cum vocali, sicut cum consonante* M *literam exprimere.* Tamtus & quamtus, *in medio* M *habere debent:* quam *enim* & tam *est: unde* quamtitas, quamtus, tamtus: *nec quosdam moveat, si* M *non sonat: Jam enim docui, non sonare debere, tametsi in scriptura* M *posita sit.*

Velius Longus: *Ipsa* N *litera in locum* M *cedit, ut cum dicimus,* clandestinum, *cum ab eo trahatur, quod est* clam. *Item* sinciput, *quod est* semicaput: *ex eo scilicet factum,* semcaput, semciput, senciput.

Idem: *Cum dico*, Etiam nunc, *quamvis per* M *scribam, nescio quomodo tamen exprimere non possim. Nonnulli Synalœphas quoque observandas circa talem scri-*

scriptionem existimaverunt, *sicut Verrius Flaccus*, *ut ubicumque prima vox* M *litera finiretur*, *sequens à vocali inciperet*: M *non tota*, *sed pars illius prior tantum scriberetur*, *ut appareat exprimi non debere*.

Cicero in oratore: *Quid? illud non olet unde sit*, *quod dicitur* cum illis, cum *autem* nobis, *non dicitur*, *sed* nobiscum? *quia si ita diceretur*, *obscœnius concurrerent literæ*, *ut etiam modò*, *nisi* autem *interposuissem*, *concurrissent*. *Ex eo est* mecum *&* tecum, *non* cum me *&* cum te, *ut esset simile illis*: vobiscum *atque* nobiscum.

Quinctilianus lib. 8. cap. 3. *Vitanda est junctura deformiter sonans*, *ut si* cum hominibus notis *loqui nos dicimus*, *nisi hoc ipsum* hominibus *medium sit*, *in* κακόφατου *videmur incidere*: *quia ultima prioris syllabæ litera* (M puta in *Cum*) *quæ exprimi nisi labris coeuntibus non potest*, *aut intersistere nos indecentissimè cogit*, *aut continuata cum* (N) *insequente in naturam ejus corrumpitur*.

Sententia horum Tullii & Fabii verborum est, *M* sequente N, pronunciari ut N. Itaque *cum nobis*, sonat *cun nobis*, ubi auditur obscœna vox *cunno*, quam deformitatem seu turpitudinem ut vitarent, dixerunt pro eo *nobiscum*, posteaque ad idem exemplum *vobiscum*, *mecum*, *tecum*. Idem hodie fit ab Italis, qui *onnia* dicunt pro *omnia*.

Victorinus Artis Gram. lib. 1. *Clari in studiis viri*, *qui aliquid de Orthographia scripsere*, *omnes fere ajunt*, *inter* M *&* N *literas mediam vocem*, *quę non abhorreat ab utraque litera*, *sed neutram propriè exprimat*, *tam nobis deesse*, *quam Græcis*: *cum illi* Sambyx *scribant*, *nec* M *exprimere*, *nec* N.

Pri-

N.

Priſcianus lib. 1. N *plenior in primis ſonat*, & *in ultimis partibus ſyllabarum*, *ut* nomen, ſtamen: *exilior in mediis*, *ut* amnis, damnum. *Tranſit in* G, *ut* Ignoſco, ignarus, cognoſco, cognatus. *Et ſequente G, vel C, pro ea* G *ſcribunt Græci*: & *quidam tamen vetuſtiſſimi auctores* [*Romanorum Euphoniæ cauſa bene hoc facientes*, *ut* Agchiſes, agceps, aggulus aggens: *quod oſtendit Varro primo de origine linguę Latinæ his verbis*: Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt. *In ejuſmodi Græci* & *Actius noſter binam*, G, *ſcribunt*, *alii* N & G, *quod in hoc veritatem facile videre non eſt*. *Similiter* agceps & agcora. Hæc Priſcianus.

Nigidius Figulus in Commentariis Grammaticis: *Inter literam* N & G, *eſt alia vis*, *ut in nomine* anguis, & angaria & ancora & increpat & incurrit & ingenuus. *In omnibus enim his non verum* N, *ſed adulterinum ponitur*: *nam* N *non eſſe lingua indicio eſt*: *nam ſi ea litera eſſet*, *lingua palatum tangeret*. *Cum enim* nos *dicimus*, *neque projectis labris pronunciamus*, *neque profuſo*, *intentoque flatu vocis*, *ſed* & *ſpiritum* & *labias quaſi intra noſmet ipſos coercemus*.

Q.

Quinctilianus lib. 12. cap. 10. *Duras facit ſyllabas* Q, *quæ ad conjungendas demum ſubjectas ſibi vocales eſt utilis*, *alias ſupervacua*, *ut* equos *ac* equum *ſcribimus*, *cum ipſæ etiam hæ vocales duę efficiant ſo-*

num,

num, qualis apud Græcos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest.

Idem lib. 6. cap. 3. *Cum is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram Cicerone suffragium ab alio peteret*: Ego quoque, *Cicero inquit*, tibi jure favebo; *pro* ego coque.

Donatus in Adelph. act. 3. sc. 3. *Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius secum causas agebat*: Tu quoque aderas huic causæ: *nam apud veteres coquus non per* C, *literam, sed per* Q, *scribebatur.*

Velius Longus: *Cocum, nonnulli in utraque sylla ba per* Q, *scribunt, nonnulli & inserta* U. *In verbo etiam* coquere, *pro* quoquere: *Nisus censet ubique* C, *literam ponendam tam in nomine, quam in verbo.*

Idem: *De* Q *litera quæsitum est, & multi illam excluserunt, quoniam nihil aliud sit, quam* C *&* U, *& non minus possit scribi* quis *per* C, *&* U, *&* I, *&* S. *Ideoque nonnulli* quis *&* quæ *&* quid, *scripserunt* qis, qæ, qid, *quoniam scilicet in* Q, *esset* C *&* U.

Idem: *Quor est cui rei, quod significat ob quam rem. Ex hoc retinuit consuetudo hodierna, ut diceremus* quare: *Quod una syllaba castigatum sit* cur, *quod nos contenti sumus per* C *scribere.*

Festus: *Quando & Cuando ab Ennio scriptum invenitur. Quaxare, pro, coaxare, ranæ dicuntur, cum vocem mittunt. Querquera à Græco* κάρκαρα *certum est dici, unde & carcer. Querquetum*, pro *quercetum.*

Priscianus lib. 1. *Apud antiquos frequentissimè loco* CU *syllabæ*, QUU *ponebatur, & è contrario, ut Arquus, coquus, oquulus, quum, quur.*

Dona-

Donatus in Andr. act. 1. sc. 1. *Cui, per Q veteres scripsere. Nimirum nihil inter* qui *&* cui *interest, nisi quod diphthongus aliter atque aliter effertur, ut scilicet modo* U, *modò* I *integrum tempus consumat.*

Scaurus de Orthogr. *Quis, quidam per* cuis *scribunt, quoniam supervacuam esse Q literam putant. Sed nos* C *in dativo ponemus, ut sit differentia* cui *&* qui, *quamquam secundum analogiam omnes partes orationis, quæ per casus declinantur, eandem literam in prima parte omnis casus servent, quam in nominativo habuerint.* Cum *quidam, nonnulli* quom *scribunt, quidam etiam esse differentiam putant, quod præpositio quidem per* C, *adverbium autem per* Q *debeat scribi, ut* Cum Claudio, quom legissem: *quoniam antiqui pro hoc adverbio* cume *dicebant, ut Numa in Saliari carmine.*

Annæus Cornutus de Orthograph. *Quotidie, sunt qui per* CO, cotidie *scribunt, quibus peccare licet desinerent, si scirent inde tractum esse à* quot diebus, *hoc est, omnibus diebus.*

Papyrianus: *Reliquiæ & Reliqui per* C, *scribebantur. Cotidie per* C *&* O *dicitur & scribitur per* Q, *quia non à Quoto die, sed à continenti die dictum est.*

Victorinus Artis Grammat. lib. 1. *Licinius Calvus* Q *litera non est usus. Antiqui* cum *adverbium, scribebant quatuor literis* quom, *sed pronunciabant tamen perinde, ac si* cum *scriptum esset.*

R.

R, omnes hodie, nisi quibus blæsa est lingua, rectè

rectè pronunciant, inprimisque Hispani, qui eam geminant, ut in *Honrra*, sicut Romani fecerunt in *narrare*, pro, *narare*, id est, *narum* vel *gnarum* seu *scientem facere*.

Papyrianus: *Narare, per unum* R, *scribitur, ut Varroni placet. Secutus est enim etymologiam nominis ejus, qua* gnarus *dicitur, qui scit & accipit quod loqui debeat. Denique compositio verbi ita scribitur*, ignorare, *quæ non per duo* R, *sed per unum scribitur, ideò &* naratio *unum* R, *habere debet*.

Festus: *Torum, ut significat torridum, aridum, per unum quidem* R, *antiqua consuetudine scribitur, sed quasi per duo* R, *scribatur, pronunciari oportet: quoniam antiqui nec mutas, nec semivocales literas geminabant*, puta in scriptione.

Priscianus lib. 1. *Antiquissimi pro* ad, *frequentissime* ar *ponebant, ut in* arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfari, arcio, *unde* arcesso. Ager *pro* agger, *qui dictus ab* adgerendo.

Festus: *Antiqui dixerunt* malosibus, *ex quo factum*, *majoribus*, meliosibus, lasibus, fesiis: *ex quibus facta, melioribus, laribus, feriis*. Sic *furui* factum ex prisco *fusui*. Dicebant veteres similiter *Labos, colos, odos, arbos:* pro *labor, color, odor, arbor*. *Dasi*, pro *dari*, & *plisima* pro *plurima*.

Servius in Æn. 4. *Veteres* Asas *dicebant, postea immutata litera* S, *in* R, Aras *dixerunt, sicut Valesios, Valerios: Fusios, Furios*. Ita Cicero ad Pætum *Papyrios* prius dictos ait *Papysios*.

S.

S, nota sibili est, sed ex illis, non illius densi aut

aut pinguis, qui *ſtrepitus* rectius dicatur, quem Germani tribus literis exprimunt, *SCHA*, *SCHE*, *SCHI*, Hetruſci verò ſic SCIA, SCIE, SCIO, Galli hoc modo, CHA, CHE, CHI, Hiſpani veteriore pronunciandi ratione per XA, XE, XI, aut per j oblongum, quod illi Jota vocant, *ja*, *je*, *ji*, aut per *g*, ſequentibus dumtaxat *e* aut *i*, *ge*, *gi*. Itaque *Oxeare* (quod Hiſpanis eſt gallinas aliaſque aves vocis ſtrepitu abigere à voce, *Ox*, *Ox*,) Germani ſcibunt *Oſtheare*, Galli *Ocheare*, Hetruſci *Oſcieare*. Sed proprium ei ſono characterem inventum oportuit, qualis eſſe poterat illa Juriſconſultorum Paragraphi nota §. Verùm ego Romanos nullo ſtrepitu in pronunciando uſos puto, contra quam hodiè faciunt non modò Galli *ge* & *je* & *che* pronunciantes, aut Germani, qui *§tatum* ſeu *ſchtatum*, *§ponte* ſeu *ſchponte*, *§camnum* ſeu *ſchamnum*, *§uavis* ſeu *ſchuavis* moleſtiſſimo ſtrepitus genere efferunt, ſed ipſi etiam Hetruſci in *Scipio*, *ſcire*, *diſcere*, & ſimilibus, quæ Romanis erant *Skipio*, *skire*, *diskere*, exili illo ſibilo, quem omnium optimè Hiſpani edere ſolent, adeò ut *caſſus* & *diviſio* dicant, pro *caſus* & *diviſio*, quod & Romanos factitaſſe ſcimus.

Quinctilianus lib. 1. cap. 7. *Cicero*, *&* *Virgilius ſcribebant* cauſſa, caſſus, diviſſiones, *quod manus eorum docent. Sed paulum ſuperiores etiam illud, quod nos gemina* S *dicimus* juſſi, *una dixerunt* juſi.

Feſtus: *Duſmoſo in loco apud Livium ſignificat* dumoſum locum. *Antiqui enim interſerebant S literam*, *&* *dicebant* coſmittere, *pro* committere, *&* caſmœnæ, *pro* camœnæ. *Sic* pœſnas, *pro* pœnis, *&* cœſnas, *pro* cœnis. *Dicebant quoque* ſtlo-

P cum,

cum, *pro* locum, ſtlitem, *pro* litem, ſtlatam, *pro* latam, ſtrenam, *pro* trenam, ſtritavum, *pro* tritavum.

Id. *Serpentes dicimus ex Græco, quod illi* ἑρπετὰ *nos pro adſpiratione eorum* S *litera poſita, ut* ἕξ *ſex,* ἑπτὰ *ſeptem.*

Priſcianus lib. 1. *ſæpe pro adſpiratione ponitur in his dictionibus, quas à Græcis ſumſimus.* Semis, ſex, ſeptem, ſe, ſi, ſal. *Et Bœoti in quibuſdam dictionibus pro* S, *ſolebant* H *ſcribere*, muha, pro muſa *dicentes, propter cognationem literæ* S *cum* H.

Maximus Victorinus: *Antiqui* S *litera quaſi pro liquenti utebantur, inerudita adhuc novitate, quod poſteriores poetæ non ferunt. Lucillius:* Tum lateralis dolor certiſſimus nuncius mortis: *pro, Tum laterali dolor certiſſimu nuntiu mortis.*

Agrætius de Orthogr. *Apud Latium, unde Latinitas orta eſt, major populus & magis egregiis artibus pollentes Tuſci fuerunt, qui quidem natura linguę ſuæ, S, literam raro exprimunt. Hæc res fecit haberi liquidam.*

Cledonius in Arte: *Quia S, ſuperflua invenitur, interdum & ipſa liqueſcit in metro, quia ſibilus magis eſt, quam conſonans.*

Virgil. Æn. 1. *Troas reliquias Danaum atque immitis Achilli.* Ubi Servius: *Propter homœoteleuton detraxit S, literam, quæ plerumque pro ſibilo habetur, non ſolum neceſſitatis, ſed etiam Euphoniæ cauſa, ut Salluſt.* A principio Urbis ad bellum Perſi Macedonicum. *Detrahitur autem S, tertiæ declinationis genitivo.*

Chariſius lib. 1. *Varro genitivo hujus* fami *dixit, cum* famis *ſit rationis.* Herculi, *pro* Herculis, *&*

Uly-

Ulyxi, *pro hujus* Ulyxis *dici cœptum est, inquit Plinius, ut* fortis Achati, acris Oronti.

Prisc. lib. 6. *Sciendum in nominibus tertiæ declinationis frequentissimè veteres dativum protulisse pro genitivo*, Aristoteli, Demostheni, Euripidi, *pro* Aristotelis, Demosthenis, Euripidis *ponentes, ut Virg. Cic. Terent.*

Victorinus libro 1. Artis: Nemo & nullus; *quorum genitivum aliter, quam nos, veteres extulerunt*: Nemini *enim &* nulli *dixerunt*: *item* bonæ frugis *quoque, nos omissa parte ejus solum* frugi *scribimus.*

T.

T, rectè hodie pronunciatur ab omnibus; nisi ubi *I* cum alia vocali eam consequitur. Tum enim addito ei sibilo, perinde eam efferunt, ut *z*: nam *litium* dicunt *lizium* seu *litsium*, quod quidem satis scio, Romanorum nemo intelligeret. Maximè tamen in ea efferenda ridiculi sunt Galli, quos cum *intentio* dicentes audias, *intentio* an *intensio* illa sit, discernere haud quaquam possis; Hispani in linguæ suæ vocabulis, *t* sine ullo sibilo efferunt: adeoque Sacerdotem, ego in Hispania ad altare canentem audivi: *Et ne nos inducas in tentathionem*: quo modo & Itali *Malatia* dicunt, quasi esset *Malathia*. Non potest vocalis post *i* posita eam habere vim, ut sonum illum, qui *t* literæ suus ac proprius est, immutet. Nam, ut ait Fabius, *hic est usus literarum, ut custodiant voces, & velut depositum reddant legentibus*. Itaque si in *justi*, sonus litteræ *t*, est affinis sono *d*,

 ac

ac sine ullo sibilo non potest ille alius atque alius esse in *justitia*.

DE CONSONANTIBUS DUPLICIBUS.

X.

Quinctilianus lib. 1. cap. 4. X *litera carere potuimus, si non quæsissemus*.

Annæus Cornutus de Orthogr. *Varro* X *literam esse negat : in quo quid viderit, nondum deprehendi*.

Victorinus Artis Gram. lib. 1. *Latini voces, quæ in* X *literam incidunt, si in declinatione earum apparebat* G, *scribebant* G *&* S, *ut* conjugs, legs. *Nigidius in libris suis*, X *litera non est usus, antiquitatem sequens*.

Priscianus lib. 1. X *duplicem loco* C *&* S, *vel* G *&* S, *postea à Græcis inventam, assumsimus, ut Dux ducis, Rex regis*.

Charisius lib. 1. Merx, *Sallustius* merces *dixit*. *Sic* faces *antiqui pro* fax, teste Festo : quomodo etiam hodie Italos dicentes audias: *Paces* (seu paches, pakes, paques) *huic domui*, pro *pax*.

Servius in Æn. 1. Adnixus *antiquum est, ut* connixus, *quibus hodie non utimur*. *Dicimus enim* adnisus *&* connisus. Et in Æneid. 8. *Galli Senones dicti sunt, quod Liberum patrem hospitio recepissent,*

quasi

quasi *Xenones* : cum ξένος Græcum significet *hospes*.

Festus : *Senonas Gallos Verrius ait existimari appellatos, quia novi venerint ex Transalpina regione, ac primum appellatos Xenos, postea Senonas.*

Cicero in Oratore : *Verba sæpè contrahuntur non usus causa, sed aurium : quomodo enim vester* Axilla, Ahala *factus est, nisi fuga literæ vastioris? quam literam etiam è maxillis, è taxillis, & vexillo, & paxillo, consuetudo elegans Latini sermonis evellit.* Maluerunt scilicet dicere *Malas, talos, velum* & *palum*. Ita & *sedecim*, pro *sexdecim*, *sedigitus*, pro *sexdigitus*. Sic *Avaulla priscis fuit olla parvula*. Fest.

Z.

Maximus Victorinus de Litera : *Literæ peregrinæ sunt* Z, *&* Y, *quæ propter Græca quædam assumtæ sunt, quæ si non essent, pro* Hylas *&* Zephyrus *diceremus* Hœlas *&* Dsephurus. Z, *apud nos loco duarum consonantium fungitur* DS.

Diomedes lib. 2. Z, *admissa nominum Græcorum causa. Pro hac veteres quidam* I, *vocalem, nonnulli duas* SS, *ponere solebant, unde Jugum dictum est veluti* ζυγὸν, *& Jupiter velut* ζεὺς *pater : Messentius & pitissare, & cetera hujusmodi usum veterem declarabant.*

Prisc. lib. 1. *Pro* Z, *quod pro* SS, *conjunctis accipitur, veteres inveniuntur vel* S, *vel* D, *posuisse, ut Saguntum, pro* Ζακύνθος. *Massa, pro Maza. Setus, pro* ζῆθος. *Odor* ἀπὸ τοῦ ὄζειν. *Mendentius, pro Mezentius dicentes.*

Annæus Cornutus de enunciatione: Z, *in antiquis libris modò scripta est, modò non: sed pro illa duæ* SS, *ponebantur, ut Crotalizo, crotalisso, Malacizo, Malacisso, & his similia.*

Velius Longus: *Sciat Mezentium solitum scribi per duo* SS, *& sic enunciari.*

CH.

Hæc consonans duplex est χ, Græcorum, id est *c* vel *k* cum spiritu, quam soli hodie Germani rectè pronunciant: proximè accedunt Hetrusci cum anserino seu gutturali suo CA, CO, QUA, ut cum dicunt *Duca*, *Quaranta*, pro quibus Germanus scriberet, *Ducha*, *Chuvaranta*: similiterque Hispani cum recentiore pronunciatione à fæminis inducta, dicunt *Muger*, *Baxo*, quod Germanis est *Mucher*, *Bacho*. Galli enunciare non possunt, & in Gallia Cisalpina pauci. Cæterum *che* hodie Itali efferunt, ac si esset Germanicum *ke*, Gallicum & Hispanicum *que*. Pro *che*, Galli dicunt Italicum *scie*, Germanicum *sche*, cum strepitu scilicet, de quo supra cum de *S*, ageretur, dictum satis est. Hispanis autem *che* est Italicum *ce*, Germanicum *tsche*, quod Galli efferunt, si *t*, ante *che* exprimant. Sed Romani sine dubio per *c* gutturale efferebant, velut ex Catulli epigrammate supra patuit.

Quinctilianus lib. 1. cap. 5. *Diu servatum, ne consonantibus adspiraretur, ut in Graccis & Triumpis. Erupit brevi tempore nimius usus, ut Choronæ, Chenturiones, Præchones adhuc quibusdam inscriptionibus maneat, qua de re Catulli nobile epigramma est.*

Ser-

Servius in Geor. 3. *Tria veteres habebant nomina, in quibus C, literam ſequeretur adſpiratio,* Sepulchrum, Orchus, pulcher: *è quibus* pulcher *tantum hodie recipit adſpirationem.*

Idem in Æn. 6. *Thus & Orchus veteres dicebant & Lurcho, id eſt* vorax*: quibus ſequens ætas detraxit adſpirationem.*

Scaurus de Orth. *Negat Varro* Gracchus *adſpirandum, quoniam à* gerendo *ſit cognominatus. Matrem enim ejus, qui primus Gracchus ſit dictus, duodecim menſes uterum geſſiſſe. Et* pulchrum *quamvis in conſuetudine adſpiretur, nihilominus tamen ratio exiliter C, enunciandum & ſcribendum eſſe perſuadet, ne una omnino dictio adverſus Latini ſermonis naturam in medio adſpiretur: quamvis S antea à Græcis putet eſſe translatum, quaſi* πολυχρὸν.

Victorinus Artis Gram. lib. 1. *Legiſtis præceptum antiquorum, qui ajunt ſcribi omnibus literis oportere* chorona, anchora, ſepulchrum, brachium, pulcher: *in enunciando autem* H *elidere.*

PH.

Priſcianus lib. 1. *Eum prope ſonum, quem nunc habet* F, *ſignificabat* P, *cum adſpiratione, ſicut etiam apud veteres Græcos pro* Φ, π *&* H. *Unde nunc quoque in Græcis nominibus antiquam ſcripturam ſervamus, pro* Φ, P *&* H *ponentes, ut* Orpheus, Phaeton: *poſtea verò in Latinis placuit verbis, pro* P *&* H, F *ſcribi, ut* ſama, filius, facio. *Hoc tamen ſcire debemus, quod non tam fixis labris eſt pronuncianda* F, *quomodo* PH. *Atque hoc ſolum intereſt inter* F *&* PH.

TH.

Hujus in Græcis modò vocibus usus est, eamque omnes hodie exiliter, ut *t* pronunciamus, sed sine dubio vitiosè. Hodierni quidem Græci θεὸς longè aliter efferunt, quam nos *Theos*, sed id nisi viva voce declarari non potest. Adspirationem aliquam, sivè ut Varro vocat *afflatum*, in ea audiri oportere certum est.

PS.

Priscianus lib. I. *Literæ* S, *præponitur* P, *&* *loco* ψ *Græcæ fungitur, pro qua Claudius Cæsar antisigma hac figura* ͻC *scribi voluit, sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare: quamvis non sine ratione hæc quoque duplex à Græcis addita videatur: nam multò molliorem & volubiliorem sonitum habet* ψ, *quam* PS, *vel* BS.

CONSONANTES

Duplices Novitiæ.

GL. LL.

Itali & Hispani hanc consonantem duplicem usurpant, quam Latini ignorarunt, & Germani hodie difficillimè pronunciant. Qui Latinis sunt *capilli*, talis dicuntur *capegli*, Hispanis *cabellos*: ubi eodem modo *gl* & *ll* pronunciatur. Hispani etiam in vocum principiis ea consonante utuntur, ut in

in *Llano*, *Lleno*, *Llorar*, *Lluvia*. Sed revera hic ſonus ſuum proprium characterem deſiderat, cum nec *gl*, nec *l* duplex eum exprimat. Germani, ut eum efferre diſcant, ſcriptum putent *capelii*, *cabelios*, ſic tamen, ut prior vocalis *i*, cum ſequenti *i* vel *o*, in unam velut diphthongum coaleſcat, fiatque *i* conſonans, quam vulgo vocant: aut fingant ſcriptum *capejili*, *cabejilos*, ſic ut illud prius *i*, velut conſonans, altero *i*, velut abſorpto efferatur.

GN. NN. ſivè N cum apice.

Ex Latino, *Senior*, quo Gothi pro *Domino* uſi fuerunt, Hiſpani *i* in *n* converſo, fecerunt *Sennor*, ſivè ut ipſi ſcribunt *Señor*, ex eo poſtea Itali *Signor*, Galli *Seigneur*: unde porrò nata ſunt *Seor*, *Ser*, *Miſſer*, *Sire*, *Monſieur*: quod contra Latinos olim *n* & *l*, converſo in *i*, ex Græcis Ἀμείνων, ἀμείνων, *Menius*, *melius*, *melior*, ex ἄλλος *alius*, ex ἅλλομαι *ſalio*, ex Φύλλος *folium* formaſſe Feſti emendator obſervavit, qui tamen fallitur, cùm id *ſemper* eos factitaſſe cenſet. Ex ἑρπύλλου enim eos non *ſerpilium*, ſed *ſerpillum* feciſſe conſtat. Cæterum & huic ſono ſuum ac proprium characterem effictum oportebat, cum eum nec *gn*, nec *n* duplex efficiat. Romani, *g* nondum invento, *pucnare* ſcribebant, à cujus vocis ſono ſivè Italicum *pugnare*, ſivè Hiſpanicum *punnare* diſſidet longiſſimè: quem quidem Germani multum ſudant, ut efferre diſcant, eoque id magis, quod *n*, ante *g* pronunciant. *Mangnus* enim dicunt pro *magnus*. Oportet ergo ut prius *n*, in *Sennor*, vel *g*, in *Signor*, illud ipſum *n* eſſe meminerint, quod

Nigi-

Nigidius supra *adulterinum* esse dixerat, qualè in *Ancus*, *angor*, *incus*, *ingratus* exauditur: posterius autem *n*, velut *i* consonantem exprimant, quæ cum sequente vocali in diphthongum coeat, quasi esset *Sen-ior*.

DE ACCENTU.

Cicero in Oratore: *Quid hoc elegantius*, *quod non fit natura*, *sed quodam instituto?* Inclitus *dicimus brevi prima litera*, insanus *producta*, inhumanus *brevi*, infelix *longa*, *& ne multis*, *quibus in verbis eæ primæ literæ sunt*, *quæ in* sapiente *atque* felice, *productè dicitur*, *in cæteris omnibus breviter*, *itemque*, composuit, consuevit, concrepuit, confecit. *Consule veritatem*, *reprehendet*: *refer ad aures*, *probabunt*, *quære*, *cur? Ita se dicent juvari. Voluptati autem aurium morigerari debet oratio.*

Putant viri docti, qui priores de pronunciatione linguæ Latinæ commentati sunt, Ciceronem non de syllabæ, sed de literæ quantitate loqui. At nos mox dabimus, qui perspicuè idem de syllabis dicant. Sed esto: qui tandem fit, quod nostræ aures non hoc magis sono, quàm illo juvantur?

Maximus Victorinus: In *&* Con, *præpositiones aliquando corripiuntur: sequentibus* S, *vel* F, *literis producuntur*, *ut* instare, infidus: *& cæteris omnibus corripiuntur*, *ut* inconstans, imprudens.

Varro lib. 8. de lingua Latina: *Quidam reprehendunt*, *quod* pluit *&* luit *dicamus in præsenti tempore. Falluntur: nam est*, *ac putant aliter: quod*

in

in præteritis U, *dicimus longum*, *in præsenti breve*. *Ideoque in venditionis lege fundi*, ruta cæsa *ita dicimus*, *ut* U, *producamus*.

At enim in præsenti non minus *Luu- it*, *V*, longa dixit Lucillius; *Tantalus qui pœnas ob facta nefantia luit*, quomodo in veteri libro Gifanius se legisse testatur. Et *ruta*, *u* brevi habemus apud Virgil. *Aut Ida in magna radicibus eruta pinus*.

Asconius Pedianus in Verrin. 3. *Poscunt majoribu poculis*. *Sunt qui producta scilicet* O, *litera*, poscunt *legunt*, *quasi sæpe potant*.

Consentius: *Accentus ostendit diversam significationem unius dictionis*. Pone, *si verbum est*, *gravis est ultima*: *si adverbium*, *circumflexa*.

Maximus Victorinus: *Adverbium* ponè, *posteriore acutum recipit accentum*, *ne sit verbum*.

Velius Longus: *Multa nomina & contracta syllaba aliud significant*, *& producta*: *quomodo aliud sit producas Pila*, *& corripias Pila*. *Et loco rursus transmutatus accentus partes quoque orationis immutat*, *ut aliud est Circum*, *aliud Circum*: *aliud Ergo*, *aliud Ergò*.

Servius in Æneid. 1. *Maria omnia circum*. *In fine accentum ponimus contra morem Latinum*: *sed correptio hoc facit*; *nam præpositio postposita correpta est sine dubio*.

Festus: *Ergo correptum significat idem*, *quod apud Græcos οὖν* (igitur) *producte idem quod χάριν*, *hoc est*, *gratia*, *seu causa*. Hic de productione non vocalis, sed syllabæ loquitur.

Quinctilianus lib. 1. c. 5. *Si Cethegus prima acuta pronuncias*, *media mutatur*. *Vltima numquam acuitur*, *in disyllabis prior*.

Idem

Idem cap. 6. cum irridet, qui ſalutans amicos, *Avete* ſine adſpiratione & producta ſecunda ſyllaba dixerat. *Recta eſt* (addit) *hęc via: quis negat? ſed adjacet & mollior & magis trita.*

Ergo ætate illa *Havete* media ſyllaba (non litera) correpta dicebant, idque mollius pronunciatu, audituque judicabant, quod nobis nihilo ſecius videtur, quam inſomnia.

Agell. Noctium Attic. lib. 7. cap. 7. *Probus Grammaticus & Anianus poeta*, affatim, admodum, *prima acuta pronunciabant. Cauſam eſse huic accentui Anianus dicebat, quod* affatim *non eſsent duę partes orationis, ſed utraque pars in unam coaluiſset, ſicut in* exadverſum, *ſecundam ſyllabam debere acui exiſtimabat, quoniam una, non duę eſsent orationis partes. Addebat, quod* ad, *præverbium, tum fermè acueretur, cum ſignificaret ἐπίτασιν ſivè intentionem, ſicut* affabre & admodum & approbè *dicuntur. Sed id non perpetuum videtur: nam &* appotus *cum dicimus &* apprimus & apprimè, *intentio demonſtratur, neque tamen* ad *particula, ſatis commodè accentu acuto pronunciatur.* Approbus *tamen, quod ſignificat valde probus, non inficias eo quin prima ſyllaba acui debeat. Igitur in iſtis vocibus, quę non acuuntur, ea cauſa eſt, quod ſyllaba ſequitur natura longior, quę non fermè patitur acui priorem in vocabulis ſyllabarum plurium quam duarum. In* præmodum *prima ſyllaba acuitur.*

Ita diſcimus cæteros pleroſque *in* affatim & admodum *mediam ſyllabam acuto accentu proferre ſolitos: nec locum habet doctiſſimi viri commentum de* A *brevi & longo. Similiter enim Agellius* præmodum & admodum *prima ſyllaba acui affirmat.*

Idem

Idem lib. 9. cap. 6. *Ab eo, quod est* ago *&* egi, *sunt verba frequentativa* actito *&* actitavi: *quę quosdam sanè non indoctos viros audio ita pronunciare, ut primam in his literam corripiant, quoniam in verbo principali, quod est* ago, *prima litera breviter pronunciatur. Cur igitur ab* edo *&* ungo, *in quibus verbis prima litera breviter dicitur,* esito *&* unctito, *prima litera longa promimus? & contra* dictito *à* dico, *correptè dicimus? num ergo potius* actito *&* actitavi *producenda sunt? quoniam frequentativa fermè omnia eodem modo in prima syllaba dicuntur, quo participia præteriti temporis ex his verbis, unde ea profecta sunt, in eadem syllaba pronunciantur; sicut* lego, lectus, lectito, *facit, &c. Sic igitur* actito *productè in prima syllaba pronunciandum, quoniam ex eo fit, quod est* ago *&* actus.

Hic perspicuè habemus, in *actus* & *actito*, non primam modò literam, sed & syllabam productè pronunciari debere, etsi alii docti homines eadem corriperent.

Terentianus *au*, in *Aurunci* breve esse ait, adeòque barbarè produci, & *eu* semper esse breve, propterea quod *e* Græcum breve sit. Hoc quale sit, quis hodie vel suspicetur? verba ejus sunt.

Aut age, inquit. ille vates: sæpe dixit aut ubi.
Dixit Aurunci, quod æque barbarum est producere.
Tes ubique lege constat prima cùm correpta sit:
Au, tamen capere videtur sæpe productum sonum.
Auspices cùm dico & Aurum, sivè Græcus aurion.

Mira

Mira nec putanda nobis talis alternatio est.
Dichronon quod alpha notum est, sicut à nostratibus.
Indè communem ministrat sola diphthongus sonum.
Eu, manet correpta, semper est quod E *Græcum breve.*
Literis sed E, *latinis sæpe cum sit dichronos.*
Facta diphthongos nequibit esse producti soni.

Charisius lib. 1. *Calumnia prima syllaba correpta effertur. Venit enim à verbo* calvor, *hoc est*, frustror. *Plinius* Os, oris, *productè efferendum censuit:* Os, ossis, *correptè.*

Donatus in Andr. act. 1. sc. 1. *Filium perduxere ut una esset. Si productè legatur* esset, *significat cibum caperet, sivè ederet.* Et Eunuch. act. 3. sc. 4. *Ut de symbolis essemus. Melius* essemus, *producta* E, *litera.*

Servius in Æn. 5. *Edo habet & rectam, sed antiquam declinationem, ut* Edo, edis, edit *: & anomalam, ut* Edo, es, est: *quarum secundæ & tertiæ personæ longæ sunt propter differentiam*, Sum, es, est.

Idem in Æn. 1. *Ibidem & ubinam, multi dubitant, ubi debeat esse accentus, quia* ubi *&* ibi *naturaliter breves sunt, sed ratione finalitatis plerumque producuntur in versu; nescientes hanc esse rationem, quia pronunciationis causa contra usum Latinum syllabis ultimis, quibus particulę adjunguntur, accentus tribuitur, ut* musaque, illene, hujusce. *Sic ergo & Ibidem.* Et infra: *Ut, cum est quemadmodum, in pronunciatione extenditur; quando temporis non est.*

Ibidem: *Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis. In Sarpedon & in ultima syllaba & in pęnultima possi-*

possimus accentum ponere: nam Homerus & Sarpedonis declinavit & Sarpedontis: unde & varius accentus est: nam si Sarpedonis, in antepenultima erit: si Sarpedontis, penultima habebit circumflexum, qui est in ultima syllaba nominativi. Simois, *hoc nomen integrum ad nos transiit, unde suo accentu profertur: nam si esset Latinum, in antepenultima haberet accentum, quia secunda à fine brevis est.* Vult scilicet *Simois* in hoc versu pronunciari cum accentu in media syllaba, quamvis correpta.

Idem in Æn. 2. *Una ingens Periphas & equorum agitator Achillis. Ultima in* Periphas *accentum non habet, ne fœmininum sit, nec tertia à fine, quia novissima longa est. Ergo* RI, *habebit accentum.* Quid hoc loco dicent, qui inter vocalem longam & syllabam longam distinguunt?

Idem in Æn. 6. *Exinde una pars orationis est, & in tertia à fine accentum habet, licet pænultima longa sit.*

Idem in Æn. 7. *In* Asia *cum paludem significamus,* A, *longa est: cum de provincia dicimus,* A, *brevis est.*

Idem in Æneid. 10. *Dum texit Imaona Halesus, id est, dum spoliat, nam tempus præsens est, non præteritum. Et* texit, te *primam syllabam corripuit, ut tantum positione longa sit.* Et infra: *Trophæum, declinatio Latina est: unde pænultima habebit accentum. In numero vero plurali, quia* tropæa *dicimus, sicut Græci, nec aliquid inde mutilamus, erit Græcus accentus, sicut apud Græcos, scilicet tertia syllaba à fine.*

Donatus in Eunuch. act. 5. sc. 1. *Si quando & prima syllaba acui potest & media. Tamen variat sententiam.*

Fe-

Festus : *Quando, cum gravi voce pronunciatur; significat quoniam, & est conjunctio. Quando, acuto accentu est temporis adverbium.*

Idem : *Inlex, producta sequenti syllaba, significat qui legi non paret, correpta sequenti, inductorem, ab illiciendo*. Plaut. Persa : *Impure, inhoneste, injurie, illex, labes popli*. Idem Asin. *Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves*. Et Pœn. *Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices*.

Idem : *Muscerdas prima syllaba* (non litera) *producta stercus murum appellant*.

Idem ; *Quincentum, & producta prima syllaba, & per* C, *literam usurpabant antiqui*.

Diomedes lib. I. *Comperio, comperii. Compereo, comperii. Sed accentu discernitur sensus. Acuto enim accentu profertur, quoties pro eo accipitur, quod est rescii. Compereo verò circumflexo accentu declinatur, quoties pro eo accipitur, quod est, cum alio perii. Comperieram enim facit*.

Charisius lib. I. *Quoties de neutro loquimur, correpta* O, *litera dicimus*. Duo millia. *In accentu longo*, duo homines, ambo homines.

DE EUPHONIA.

Euphonia seu Sonoritas est, quæ pronunciationem auribus commendare quærit, ut suavi minimèque odioso sono ad eas allabatur. Hujus causa Latini literarum alias omittebant, alias inserebant, alias mutabant.

Cicero in Oratore : *Inclitus dicimus prima brevi, Insanus producta. Consule veritatem, reprehendet : refer ad aures, probabunt, quære, cur ? Ita se di-*

tent juvari . Voluptati autem aurium morigerari debet oratio . Pomeridianas quadrigas , quam postmeridianas , libentius dixerim .

Velius Longus : *Meminerimus artis Orthœpejæ esse, ut sivè exili cum litera Artibus , sivè cum plena Artubus scripseris , enunciationis sonum temperet .*

Idem : *Scio sermonem decori servire & aurium voluptati . Unde fit , ut sæpe aliud scribamus , aliud enunciemus , Cum dicimus ,* hic est ille , *unum* C , *scribimus , & duo audimus . Confitendum quædam aliter scribi , aliter enunciari . Nam quibusdam literis deficimus , quas tamen sonus enunciationis arcessit , ut cum dicimus* virtus , *periisse ferè ad aures primam literam invenies .*

Idem : *In hac præpositione* DE , *quam dixi plenam præponi , animadvertendum illud , quod minuitur , si quando sequens .vox à litera* E *incipit , ut est deerrare , deesse : qua enunciatione sufficit ipsa productio .* Virgil. *Vir gregis ipse caper deerraverat, atque ego Daphnin .* Lucret. *Talibus in rebus communi deesse saluti .*

Idem : *Sequenda est nonnumquam elegantia eruditorum , quod quasdam literas lenitatis causa omiserunt , sicut Cicero , qui* Foresia & Megalesia & Hortesius *sine* N *litera , libenter dicebat .*

Hinc judicari potest , quam parum justi & æqui fuerint , quibus *Lambinum* notare libuit , tamquam *Hortesium* contra receptam scripturam malo novitatis studio approbarit .

Servius in Æn. 1. *Adplicat , secundum præsentem usum per* D , *prima syllaba : secundum antiquam autem orthographiam (quæ præpositionum literam consonam in vicinam mutabat) per* P , *secundum verò eu-*

Phoniam per A, *tantum. Præpositio enim cum ad compositionem transierit, aut vim suam retinet, ut* indico; *aut mutat ultimam literam, ut* sufficio: *aut perdit, ut* Coemo. Hinc discimus veteres *applicat* scribere, sed *aplicat* pronunciare solitos.

Quinctilianus lib. 1. cap. 7. *Quædam scribuntur aliter, quam enunciantur: nam & Gajus*, C, *litera notatur, nec Cneus eam literam in prænominis nota accepit, qua sonat*. Sensus est: scribi *Cajus* & *Cneus*, pronunciari autem *Gajus* & *Gneus*.

Ibidem: *An cujusvis auris est exigere literarum sonos? non hercule magis, quam nervorum.*

Igitur Romani partim pronunciabant literas, quas non scribebant & quarum characteribus deficiebantur; partim eas, quas scribebant, non pronunciabant, vel certè aliter multo, quam vel ipsi in aliis vocibus, vel in iisdem ipsis nos hodie, pronunciabant; partim accentu utebantur, quem nos, qualis fuerit, nec imaginari possumus: partim denique aliter, quam nos, literarum sonos exigebant, ut jucundum eis esset, quod nos hodie offendit, sicut vicissim satis exploratum haberi debet, multa quæ nostras aures hodie minimè offendunt, vel molestissima eis futura fuisse. Itaque & imperiti & ridiculi sunt, qui ex Italis tanto cum supercilio de suavitate compositionis Latinæ sententiam ferre audent, velut is, qui vocem *plerorumque* nimis asperam judicabat, & alter, qui negabat aures suas verbum *recreaverunt* ferre posse. Si enim in legendis optimis linguæ Latinæ auctoribus aliquantum diligentiores fuissent, effæminatam illam suam, mollem ac discinctam pronunciandi rationem longè à mascula altius cinctorum Romanorum consuetudine dissidere intelligerent. Qui

usque

usque eo delicati sunt, ut eos *Ipse*, *Rex*, *pax*, *plenus* & *Cnossius* pronunciare pigeat, atque *Isse*, *Res*, *pakes*, *pienus* & *Conossius* dicere malint, quis eos animum inducturos putet, ut non lapides loqui Romanos conquerantur, si eos *Stlis* pro *lis*, *Stlatus* pro *latus*, *Stritavus* pro *Tritavus* dicentes audiant? Certè nisi omnia me fallunt, Lucretium patria mulctabunt, nec Romanum magis, quàm Transalpinum perhibendum censebunt, cùm hunc ejus versum legent lib. 5. *Religione refrænatus ne fortè rearis*. Fortassis autem neque illud Ciceronis Verrin. 5. propitiis excipient auribus: *Quem agrum si obsitum vidisses, annonæ caritatem minime verere*. Sed de Orthoepeja Latini sermonis hactenus.

FRIDERICI SILBURGII

DE

Vetere Romanorum Scriptura tractatio.


T de vetere Scriptura pauca præmoneam, differt ea ab recentiore, quæ hodie in usu est, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *utroque*. *Quantitas* in *additione* cernitur, vel *detractione*. *Additio* aut *vocalis* est, aut *consonantis*. Vocalis additio est in dihthongis *ei* & *ou*. Sic enim *eidem*, *jous* scripsere, pro *idem*, *jus*. Sic *leitem*, *leimites*, *meiltię*, *opeima*, *inveito*, pro, *litem*, *limites*, *militię*, *opima*, *invito*. Sic *Eito*, *deixi*, *feierit*, pro, *ito*, *dixi*, *fierit*. Item *Quei*, *sei*, *nei*, pro, *qui*, *si*, *ni* (*nei* tamen etiam pro *ne* usurparunt interdum, & quidem non rarò.) Sic *utei*, *ubei*, *ibei*, pro, *uti*, *ubi*, *ibi*. Eandem diphthongum usurparunt in genitivis singularibus, ut *dolei*, *malei*, pro, *doli*, *mali*. Item in nominativis pluralibus: ut *Iei*, *trevirei*, *decumanei*, pro, *ii*, *treviri*, *decumani*. Item in dativis & ablativis pluralibus: ut *Ieis*, *tertieis*, *ricinieis*, pro, *Iis*, *tertiis*, *riciniis*. Præterea

terea in dativis singularibus tertiæ declinationis: ut *Mortei*, *clientei*, pro, *morti*, *clienti*. Item: *Alterei*, *sibei*, pro, *alteri*, *sibi*. Et frequentissimè in nominativis atque accusativis pluralibus: ut *Omneis*, *civeis*, pro, *omnes*, *cives*. O, verò ad *u* adjectæ tùm alia sunt exempla, tùm hæc: *Jous*, *jousta*, *joudicare*, pro, *jus*, *justa*, *judicare*. Item: *Souo*, *louci*, *doucito*, pro, *suo*, *luci*, *ducito*. In quibusdam utramque diphthongum conjunxerunt: ut *Soueis*, *Joudicei*, pro, *suis*, *judici*. In nonnullis *u* geminum usurparunt pro *ou*, seu *u*: ut *Pluus*, *secuus*, pro, *Plus*, *secus*. Sic *Comitatuu*, *arbitratuu*, pro, *comitatu*, *arbitratu*. Interdum *o* post *u*, interseruerunt: ut *Queicuomque*, pro, *quicumque*. Consonantes quoque interseruerunt, ut *Quotiens*, *quotienscumque*, pro, *quoties*, *quotiescumque*. Sic *exsigunto*, *exsercere*, pro, *exigunt*, *exercere*. Item *Quips*, *aliquips*, pro, *quis*, *aliquis*. In *Jouxsta* verò pro *juxta* gemina est insertio vocalis *o* & consonantis *s*. In quibusdam integram syllabam interseruere, ut in *Postidea*, *indotestato*, pro, *postea*, *intestato*. Ejus generis etiam *Ævitas* videri alicui possit: sed habet illud legitimam ab ævo derivationem: in *Ætas* verò, quod post usurpari cœpit, facta est contractio. Quibusdam à fronte consonantes adjecere: ut *Stlis*, pro, *lis*. Nonnullis in fine: ut *Ead*, *tuad*, *plebed*, *frauded*, pro, *ea*, *tua*, *plebe*, *fraude*. Sic in verbis *Datod*, *removetod*, *luitod*, *estod*, pro, *dato*, *removeto*, *luito*, *esto*. In *exsercetod* autem geminata est additio semivocalis *s*, & mutæ *d*. Sic in *Leibertated*, additio est vocalis *e*, & consonantis *d*.

Detractio & ipsa vocalis est, aut consonæ. Voca-

lis detractio est in monophthongis illis, *fenus*, *femina*, pro, *fœnus*, *fœmina*. Sic *heres*, quamquam eàm vocem non ab *hærendo*, sed ab *hero* deductam malunt eruditiores. Detractio etiam quibusdam videtur esse in verbis istis, *Adicito*, *eicito*, *deicitor*, *conicere*, *subicere*, pro, *adjicito*, *ejicito*, *dejicitor*, *conjicere*. Quod si ita est, eadem ratione simplex *icere* contractum erit ex *jacere*. Sic certe *Dis*, contractum ex *Diis*. E consonantibus etiam, quæ nunc geminari solent, omittebant alteram, ut *Osa*, *clase*, pro, *ossa*, *classe*. Item *Aceras*, *conubia*, pro, *Acerras*, *connubia*; *pelex*, *tolito*, *poluceto*, pro, *pellex*, *tollito*, *polluceto*.

Quali as in commutatione potissimum cernitur. Ea quoque vocalis est, aut consonantis. Vocalis, ut *e*, pro *i*. Sic enim *leber*, *addecito* scripsere, pro, *liber*, *addicito*. Item *u*, pro *i*. *Æstumata*, pro, *estimata*. Sic *optumus*, pro, *optimus*. Eadem ratione *postumum* quoque, pro, *postimum*, seu *postremum* à veteribus dictum volunt eruditi, ut significet non tam eum, qui post inhumatum patrem est editus, quam cum qui postremus patri, seu vivo, seu mortuo natus est. Item *u*, pro, *y*, ut *Æguptus*, pro, *Ægyptus* quemadmodum *mus* quoque & *sus* & hujus generis alia, sunt ex Græcis μῦς, σῦς. Frequentius *o*, pro, *u*, ut *Totela*, *porporea*, pro, *tutela*, *purpurea*. Sic *Osocapitor*, pro, *usucapitor*. Item *soper*, *quomque*, pro, *super*, *quumque*. Sic in nominum finibus; *Patronos*, *servos*, pro, *patronus*, *servus*. *Vitiom*, *manom*, pro, *vitium*, *manum*. Nec non in verborum finibus; *Conseront*, *moritor*, pro, *conserunt*: *moritur*. In nonnullis geminatur hæc mutatio, ut *Piacolom*, *fortom*, *foratos*, pro,

pro, *piaculum*, *furtum*, *furatus*. In quibusdam hæc cum superiore conjungitur: ut *Leberom*, pro, *liberum*. Sic *Ædebos*, *compedebos*, *noctebos*, *tibicinebos*, *soperstitebos*, pro, *Ædibus*, *compedibus*, *noctibus*, *tibicinibus*, *superstitibus*. Interdum diphthongo *oe* & *oi*, pro *u* longo usi sunt: ut *Oetier*, *Oesocapio*, *Oesorpatum*, pro, *uti*, *usucapio*, *usurpatum*. Sic *Coeratores*, pro, *curatores*. *Oi*, pro, *u* positum in *Oitier*, *Oitile* & consimilibus. Sic *Moinicipium*, pro, *municipium*. Consonantes quoque non paucas inter se commutarunt: *C*, pro, *g*, frequenti in usu fuit. Sic enim *Cenas* dixerunt pro, *genas*. Sic *Frucem*, *lece*, pro, *frugem*, *lege*. Itidemque *Lecere*, *rocato*, pro, *legere*, *rogato*. *D* pro *l* posuere, cum *Dingua* dixere, pro, *lingua*. Sic *Fedetrio*, pro, *Feretrio*. *F* pro *B*, usurparunt sequente *vau:* ut *Af virod*, pro, *ab viro*. *Q*, pro *c*, ut *Pequnia*, pro *pecunia*. *S* pro *r*, *Asa*, *nesvo*, *casmen*, pro, *ara*, *nervo*, *carmen*. Sic in nominum flexionibus, *Majose*, *minose*, *arboses*, *plusa*, pro, *majore*, *minore*, *arbores*, *plura*. Sic *Fenose*, *unciasio*, pro, *fœnore*, *unciario*. Item in verborum flexionibus. *Arasit*, *vocasit*, *secuesit*, pro, *ararit*, *vocarit*, *secuerit*. T, pro *d*, ut *Quit*, pro, *quid*. In compositis finalem præpositionis consonantem plerumque retinuerunt: ut *Conlegium*, *inprobus*, *adsignare*, *adtribuere*. Interdum tamen etiam mutarunt: ut *Opsepito*, *opturato*, *optinere*. In quibusdam geminata est commutatio, altera consonantis, altera vocalis, ut *Rocom*, *flacitiom*, *prodicos*, pro, *Rogum*, *flagitium*, *prodigus*. Sic *Acrom*, *acnom*, *ticnom*, pro, *agrum*, *agnum*, *tignum*. Item *Fidius*, pro, *filius*. *Osvalogatom*,

pro, *Obvagulatum*. *Poplicom*, pro, *publicum*. *Quoi*, pro, *cui*, *Ausom*, pro, *aurum*. Sic *Capintor*, pro, *capiuntur*. In quibusdam duarum vocalium & unius consonantis facta mutatio, ut *Centileom*, *arvorsom*, seu *asvorsum*, *plusebos*, pro, *gentilium*, *adversum*, *pluribus*. In nonnullis gemina consonantis mutatio est, ut *arcuesit*, pro, *arguerit*.

Interdum *quantitatis* metaplasmos conjunxerunt, *additionem* scilicet & *detractionem*: ut *Jousus*, *jousit*, pro, *jussus*, *jussit*. Sic *Poplei*, *consesei*, *demiseis*, pro, *populi*, *confessi*, *dimissis*. Interdum ad *quantitatis* metaplasmum adjunxerunt metaplasmum *qualitatis*, ut cum unum idemque vocabulum *additione* & *commutatione* transformarunt. Sic enim *Deicundo*, *adjectos* usurpata, pro, *dicendo*, *addictus*: sic *Maxsumo*, *proxsumos*, *fousiosos*, pro, *maximo*, *proximus*, *furiosus*. His adde *Endo*, *entera*, *supera*, *continoeis*, pro, *in*, *intra*, *supra*, *continuis*: in quibus *commutatio* præcedit, *additio* sequitur. *Detractionem* quoque & *commutationem quandoque copularunt*, *idque commutatione* interdum sequente: ut *Adecito*, *poplos*, *præsentebos*, pro, *addicito*, *populus*, *præsentibus*. Interdum præcedente: ut *subicito*, pro, *subiicito*. Sic *Olo*, pro, *illo*. Item *Fasis*, pro, *farris*. In quibusdam triplicatus est metaplasmus: ut *Pupilei*, *præseted*, pro, *pupilli*, *præsente*.

In nominum flexionibus præter superiora notabilem mutationem habent *Folminis*, *ipsos*, *im*, pro, *fulmen*, *ipse*, *eum*. Sic *Oloe*, pro, *illi*.

In verbis quoque varii præter supradictos metaplasmi à veteribus facti sunt: ut in verbo substanti-

vo,

vo, *escit* & *escunt*, pro, *erit* & *erunt*. Itemque *siet*, *sient*, pro, *sit*, *sint*: & in futuro perfecto, *fuat*, pro, *fuerit*. Ejusdem futuri perfecti magna in aliis quoque verbis est varietas, ut *Vindicit*, *verberit*, *prohibesit*, *occisit*, pro, *vindicarit*, *verberarit*, *prohibuerit*, *occiderit*. Item *tagit*, pro, *tetigerit*, *pacit* & *pacont*, pro, *pepigerit* & *pepigerint*: *faxsit*, *rupsit*, pro, *fecerit*, *ruperit*. *Paret*, *cepet*, pro, *pararit*, *ceperit*. *Miseit*, *viveit*, pro *miserit*, *vixerit*. Item *Duit*, *adduit*, *conduit*, *transduit*, pro *dederit*, *addiderit*, *condiderit*, *tradiderit*. In passiva etiam forma *turbassitur*, pro *turbatum fuerit*: *fariator*, *nancitor*, pro *fari velit*, *nactus fuerit*. Item *darier*, *leibarier*, pro *dari*, *libari*. Sic *oetier* & *oitier*, pro *uti*.

In conjunctis vocibus facta interdum separatio: ut *En do*, *in do*, *in du*, pro *endo*, *indo*, *indu*. Sic *indo testato*, pro *intestato*. *Endo ponito*, *endo jacito*, *endo manos jactio*, pro *imponito*, *injicito*, *manus injectio*: Item *queicuomque*, pro *quicumque*, & consimilia. Contra interdum conjunguntur, quæ alioqui separari solent, ut *Stateleberom*, pro *statu liberum*.

Ve-

Vetus scribendi ratio ab hodierna differt, vel

- Quantitate in
  - Additione
    - Vocalis, ut
      - E. *Eidem*, pro *idem*. *Leitem*, pro *litem*.
      - O. *Jous*, pro *jus*. *Souo*, pro *suo*. *Queicuomque*, pro *quicumque*.
      - U. *Juus*, pro *jus*. *Arbitratuu*. *Luuit*.
    - Consonantis, ut
      - N. *Quotiens*.
      - S. *Exsigunt*. *Exsercere*. *Amasso*, pro *amaso*, & hoc pro *amaro*, seu *amavero*.
      - P. *Quips*, pro *quis*.
      - ST. *Stlis*, pro *lis*. *Stritavus*.
      - D. *Tuad. Plebed. Marid. Estod.*
    - Syll. ut *Postidea*. *Indotestato*.
  - Detractione
    - Vocalis, ut
      - O. *Fenus*. *Femina*. *Heres*.
      - U. *Popli*, pro *populi*.
      - I. *Adicito*. *Subice*. *Disice*. *Reice*.
    - Consonantis, ut
      - S. *Osa*, pro *ossa*. *Clase*, pro *classe*. *Jusit*, pro *jussit*.
      - R. *Acera*, pro *acerra*.
      - L. *Pelex*, pro *pellex*.
  - Utraque, ut *Jousit*, pro *jussit*. *Jousus*, pro *jussus*, *Poplei*, pro *populi*.

A

Qualitate in commutatione

- **Vocalis, ut**
  - E, pro I. *Leber*, pro *liber*. *Menerva*. *Præsentebos*, pro *præsentibus*.
  - O, pro E. *Vorsus*, pro *versus*, *Voster*, pro *vester*.
  - O, pro U. *Servos*, pro *servus*. *Volnus*. *Dicont*. *Piacolom*. *Noctebos*.
  - Oe, & Oi, pro U. *Cœrare*, pro *curare*. *Oitier*, pro *utier*. *Oitile*, pro *utile*.
  - U, pro E. *Dicundo*. *Faciundo*. *Ferundo*.
  - U, pro I. *Optumus*. *Maxumus*. *Æstumare*.
  - U, pro O. *Adulescens*. *Epistula*.
  - U, pro Y. *Æguptus*. *Surius*. *Sulla*.
- **Consonantis, ut**
  - C, pro G. *Cenas*, pro *genas*. *Lece*, pro *lege*. *Lecio*, pro *legio*. *Rocom*, pro *rogum*.
  - D, pro L. *Fidius*, pro *filius*. *Dingua*, pro *lingua*.
  - D, pro R. *Fedetrius*, pro *Feretrius*.
  - F, pro B. *Af virod*, pro *ab viro*. *Sifilus*, pro *sibilus*.
  - L, pro D. *Delicat*, pro *dedicat*.
  - Q, pro C. *Pequnia*.
  - R, pro D. *Arlabi*, pro *adlabi*. *Arfinis*, pro *Adfinis*.
  - S, pro R. *Asa*, pro *ara*. *Casmen*, pro *carmen*. *Minose*, pro *minore*. *Amaso*, pro *amaro*.
  - T, pro D. *Alexanter*. *Cassantra*. *Set*. *Quit*.

A
B
{ Præpositionum finales, ut *Inlustris*. *Adfectus*. *Conlega*. *Optineo*. *Exfociont*, pro *effugiunt*.
Utriusque, ut *Arcuesit*, pro *arguerit*. *Exfociont*, pro *effugiunt*.
Utroque, ut *Adecito*, pro *addicito*, *Addeictos*, pro *addictus*. *Continoeis*, pro *continuis*. *Deicundo*, pro *dicendo*. *Endo*, pro *in*. *Fasis*, pro *farris*, *Fousiosos*, pro *furiosus*. *Maxsumo*, pro *maximo*. *Oloi*, pro *illi*. *Poplos*, pro *populus*. *Præseted*, pro *præsente*. *Præsentebos*, pro *præsentibus*. *Proxsumos*, pro *proximus*. *Sopera*, pro *supra*. *Aula*, pro *Olla*.

Corrigenda.

Pag. 4. in not. col. 2. vers. 5. lege, *ex artis instrumentis efficiatur* --- --- --- v. 7. *Opus* posset legi *scopus*; licet aliæ item editiones habeant *opus*.

PASCASII GROSIPPI

PARADOXA LITERARIA


In quibus multa de literis nove contra Ciceronis, Varronis, Quinctiliani, aliorumque literatorum hominum, tam Veterum, quam recentiorum, sententiam disputantur.

A D

D. FERDINANDUM HENRIQUEZ

A RIVERA

Ducem de Alcalaa & Marchionem Tariffæ.



Illustrissimo & Excellentissimo Heroi

D. FERDINANDO HENRIQUEZ A RIBERA

Duci de Alcalaa, Tarissæ Marchioni &c. Regiæ apud Castellanos Stirpis Principi.



ERFECI tandem, Princeps sapientissime, quod in tuæ spem gratiæ abhinc triennium Romæ cœperam. nam simul ac Theologicæ illi controversiæ, quam nosti, post diurnos nocturnosque vertentis anni labores extremam manum imposui, cujus mihi digerendæ & illustrandæ provinciam Regii in Urbe Oratores, Duces Arborquerceus & Pastranius Catholici Regis nomine mandaverant, etsi corporis & ingenii vires tanta studii contentione sic debilitaveram, ut nihil novi laboris impune suscepturus viderer, temperare tamen mihi non potui, quin ad indagandas linguæ latinæ causas toto pectore incumberem, quæque

quæque Sanctius veſter ὁ δαιμόνιος ἀνήρ tam in Minerva ſua, quam in Grammaticæ latinæ inſtitutionibus acutiſſimè invenerat, quoniam obſcurius pleraque nec ſatis probabili methodo tradita non ferè lectores allicere aut retinere poterant, opera mea explanarem, in meliorem ordinem Artiſque formam redigerem, non paucis locis correctiora & certiora redderem, alicubi verò reciderem, paſſim denique iis augerem, quæ me plurimus Latini ſermonis uſus accuratiſſimaque bonorum auctorum lectio docuerat.


Etſi autem huic meo conatui graviſſimus interceſſit adverſarius, Quartanæ morbus, qui me perpetuos XV. menſes exercuit, neque mihi, ut ingenio meo uſus ſemel cœpta uno tenore pertexerem, permiſit: eo tamen loci in medio febris incendio rem jam deduxeram, ut etiamſi quid humanitus me fuiſſet, non tamen defuturum videretur, ex quo meam tibi obſequendi beneque de aliorum ſtudiis merendi voluntatem poſſes agnoſcere. Accidit autem ut cum Roma Ciceronis incunabula cognoſcendi cauſa Arpinum conceſſiſſem, præſtantiſſimi Principis, Soræ & Aquini Ducis, hoſpitalitate, & Inſulæ illius, in qua ſe Cicero ſecundo de legibus natum memorat, jucundiſſima cum eodem Duce obambulatione, Fibrenique omnium Italiæ fluminum limpidiſſimi frigidiſſimique conſpectu recreatus moleſtiſſimæ illius concubi-

næ

næ meæ contubernium excuterem, meque mox sanum salvumque Neapolim afferrem: Ubi non multo amplius bimestri commoratus postquam utcumque vires recuperasse visus sum, ut navigare non dubitarem, maritimo Genuam, & inde porro Mantuam pedestri itinere perveni. Et quamvis eo potissimum animo in hanc Italiæ partem me contuleram, ut ea Principibus subjicerem, quibus pax publica conservari & gravissimorum motuum, quos jam imminere intelligebam, occasio præcidi posse videbatur (qua de re coram ex illustrissimo Comite Franquemburgico, Cæsario apud Regem Catholicum Oratore cognoscere te malo, cum quo consilia mea in hac urbe communicaveram, quæ ille sibi plurimum probari ostendit) non tamen Sanctianorum curam omnino missam feci, sed subinde aliquid iis elimandis perpoliendisque operæ impendi. quo vero successu, ejus tibi Grammatica philosophica specimen præbebit, quam proximis hebdomadis curavi formis æneis describendam. Poteris autem ex his etiam epistolis meis idem intelligere, quas ad amicos, homines doctissimos, Paradoxa nonnulla partim mea, partim Sanctiana constabiliturus diversis cum locis, tum temporibus dederam. Eas, nomine tuo præscriptas propterea emittendas duxi, ut cum ipse me in tuo ære esse pro-


fiteat, quem tantis tuis beneficiis obstrictum tenes, tum omnes, ad quos sive ex his ipsis vigiliis meis, sive ex multo pluribus, quæ consequentur, fructus aliquis redierit, tibi se debere intelligant. Vale, Princeps clarissime & eruditissime, meque amore tuo ac beneficiis complecti perge. Mediolani ex Hieronymi Sagarragæ, viri optimi & præstantissimi Jurisconsulti ædibus prid. Id. Maj. anni M.DC.XXVIII.

PARA-



PARADOXA LITERARIA.

EPIST. I.



Icero & Varro nesciverunt, utro modo rectè Latine diceretur, Pompejus tertium Consul, *an* tertio Consul.

Primum & Primo, *non sunt adverbia, sed nomina, nec significatione differunt.*

Loco, *pro cito, statim, Romani videntur dixisse, sicut Hispani* Luego.

Alias, *non est adverbium, sed nomen.*

Epist. 2.

In lingua Latina nulla sunt Gerundia.

Nec ulla Supina.

Latine non dicitur, Reus damnatum iri videtur, *sed* Reum. *Vide in Grammat. pag.* 84.

Epist. 3.

Cicero Solœcismi ab Attico postulatus perditissima sui defensione usus est, seque solœcismum fecisse agnovit, cum tamen rectè locutus fuisset.

Cicero ridicule putat Oppida *non esse* Loca.

Cicero Piræum *perperam putat non esse oppidum*.

Cicero sibi à Grammaticorum regulis imponi passus est, ut vitiose dici putaret, quod & rationi, & auctoritati, & publicæ ac suæ propriæ consuetudini consentaneum esse scire poterat.

Grammaticè qui loquitur, sæpe minimè Latinè loquitur.

Varro, Sallustius, Cælius impura dictione usi fuere.

Latine dicitur Proficisci ad Romam & in Romam, Discedere à Roma & de Roma, & ex Roma, & scribere de Roma.

Sum Ruri, Carthagini *per Ablativum, non per Dativum dicitur.*

Quintilianus imperite censet Solœcismum esse. Veni de Susis in Alexandriam.

Epist. 4.

Optimi quique linguæ latinè auctores fuerunt pessimi Grammatici.

Varro minime bonus linguæ latinæ auctor est.

Cicero Syntaxeos rationem in Attii verbis prorsus nescivit.

Cicero suæ & aliorum loquendi consuetudinis in ratione dictorum reddenda turpiter oblitus fuit.

Invidere aliquem, *recte Latine dicitur.*

Quintilianus perperam censuit, non satis Latine dici, Adulari alicui.

Cicero Attii poetæ verba non recte intellexit.

Omne verbum (præter Sum & Fio *) aut activum est, aut passivum: nullum Neutrum.*

Epist.

Epist. 5.

Idonei censores linguæ latinæ raro bene latine scribunt.

Magni oratores & poetæ latini raro de literis bene judicant.

Ætate Quintiliani, ac prius Senecæ, latina lingua degeneraverat.

Qui vel versa vel prorsa oratione latina cupiunt excellere, perpaucos auctores, sed multum legere necesse habent.

Italia sola plures quam reliqua Europa tota, produxit latine scribendi facultate præstantes.

Itali cum omnes Europæos judicio superent, plerumque tamen pessimi sunt literarum judices.

Etiam elegantissimi oratores & poetæ interdum vitiosè scribunt.

Politianus fuit Sannazario infinite doctior, etsi in scribendis versibus latinis ad elegantiam & puritatem ejus nequaquam accessit.

De Politiani mortis genere Julius Burdoscaliger improbissime mentitus fuit.

Permingere (*quo verbo Sannazarius utitur*) *minime Latinum est.*

Nuncium, *non est nomen Substantivum.*

Carcer *à Baltasare Castilione non sine auctoritate neutro genere dicitur.*

Exosus *pro Invisus, non satis Latine dicitur.*

Diffitus locus, *pro remotus Latine non dicitur.*

Aquæ Vaticani fontis ad laudem multo plus interest hominem Germanum, quam ipsum Pindarum laudatorem habere.

Adhibere fidem alicui, *pro Credere minime Latine dicitur.*

Corneliùs Nepos Ciceronis judicio fuit omnium Romanorum ſcriptor elegantiſſimus.

Daretis Phrygii hiſtoria eſt hominis indocti & lutulenti opus.

Hiſtoria belli Trojani, quæ Dictyn Cretenſem auctorem præfert, perbono Latinitatis ſæculo ſcripta fuit.

Quantum, tantum, multum, paulum, aliquantum, immenſum. *perperam à Grammaticis habentur pro adverbiis, cum ſint nomina.*

Medicina, Senecta, Sutrina, Piſtrina, Textrina, Salinum, Piſcina, Regina, Lucina, *perperam à Grammaticis habentur pro Subſtantivis.*

Epiſt. 6.

Nemo doctorum vidit, quomodo inſigne mendum in principio Apocolocynthoſis Senecæ tolli deberet, cum ejus rei facillima eſſet ratio.

Epiſt. 7.

In principio Æneidos legendum videtur: Muſa mihi cauſas memora, quo nomine læſa. *non*, quo numine læſo.

Epiſt. 8.

In Plauti Amphitruone repugnantibus omnibus libris præterquam omnium doctorum opinionem legendum: Et clandeſtina ut cæletur conſuetio, *non* Suſpicio.

Epiſt. 9.

In Plauti Milite libris omnibus invitis, pro Non ſum in Umbria, *legi debet*, Non ſum Animula.

Epiſt.

Epist. 10. & 11.

Media syllaba in Ambitus, *cum est participium, pro negotio corripi & produci potest.*

Epist. 12.

In Tibullo de aqua Hetrusca legendum videri, Sacris Cajarum proxima lymphis, *pro* Maxima.

Epist. 13.

In Propertio legendum: Et sacer æstivis intepet Imber aquis, *pro* Et lacus æstivis intepet Umber aquis.

Josephi Burdoscaligeri incredibilis fuit audacia, sed major aliquanto inscitia ac stupor circa Propertii patriam.

Nævius versus Hexametros scripsit etiam in bello Punico.

Livius Andronicus Romanidem *sive Annales Romanos ante Ennium versibus Heroicis scripserat.*

Odyssea Livii etiam versibus Hexametris, non Saturniis modo scripta fuit.

Burdo quid versus Saturnius esset, flagitiosè ignoravit.

Epist. 14.

Multiplex Grammaticorum veterum fuit stultitia in reprehendendis primæ classis auctoribus propter neglectas ipsorum regulas.

Recentiores Grammatici longe antiquis sunt stolidiores, partim dum stolidas illorum regulas approbant, partim dum discipulis, Latinam linguam nondum intelligentibus, artem tradunt.

Varronis omnium Romanorum doctissimi Josephi Bur-

donis judicio ingens fuit ſtultitia, meo triplex ſaltem error vel puero pudendus.

Mille nummorum, *non eſt rectio genitivi à nomine Subſtantivo, ſed concordia ſubſtantivi cum adjectivo.*

Decem nummorum *æque Latine dicitur ac* Mille nummorum.

Burdo Varronem longe anteit ſtultitia.

Epiſt. 15.

Seſtertium *neutri generis non eſt Subſtantivum, ſed Adjectivum, in quo ſubaudiri poteſt* minæ pondus.





HIERONYMO ALEANDRO

JURISCONSULTO

CARDENALI BARBERINO
Ab epiſtolis.



Uas ſat tempori, Illuſtriſſimi Patroni literas humanitatis & officii pleniſſimas nudius demum tertius accepi. Librum tuum ingenii tui cultu, variaque eruditione dignum magna cum voluptate legi, niſi quod non poſſum ſupinæ operarum typographicarum oſcitantiæ non ſuccenſere, cum paginarum ordinem tam turpiter turbatum adſpicio. Sed nec te ipſum culpa abſolvo, qui non ſtatim à principio tantum flagitii animadverteris, & correxeris. De loco illo Johan. 8. *Principium, qui & loquor vobis*, longè à te ſeorſum ſentio. Niſi enim me fallit in Græco eſt τὴν ἀρχὴν, ut ſenſus ſit: *Ego idem ipſe ſum, qui & principium*, ſivè à principio, *vobis locutus ſum, nempe Deus*. Nam Principium in accuſandi caſu, pro *Ad principium* accipi debet: ſicut *Principio* in ſexto caſu pro *A principio*, hoc eſt, quod ad principium atti-

attinet. Afranius apud Charisium eodem modo dixerat: *Principium hoc oro, in animo ut sic statuas tuo, officiis cogi, ut abs te seorsum sentiam*. Nimirum Græcorum more pręposítio κατὰ per ellipsin supprimitur, quod imitantes Latini, *Primum* dicunt, ubi subaudiendum est *Initium*, pro, ad primum initium, sive quod ad primum initium seu principium attinet, quod aliter à *Primo*, & ἐλλειπτικῶς *Primo* effertur, ubi supplendum est *Initio*. In hoc genere Tullium nostrum & Varronem fœde allucinatos video. Ut enim Agellius lib. 10. c. 1. narrat, ille decernere non audebat, utrum esset rectius *Pompejo tertium Consule*, an, *tertio Consule*, adeoque scripturæ compendio, si nempe scriberetur *Tert.* evadere conatus est, ne à peritioribus vapularet. Hic vero cornici oculum configere sibi commento suo visus est; cum *Tertium* à *Tertio* significatione sic discrevit, ut *Tertium* esset temporis, quasi tertia vice (*la terza volta*) *Tertio* autem esset ordinis seu loci, quasi in loco tertio, tanquam si dicatur *primo consul fuisse Pompejus, secundo Cicero, tertio Cæsar*. Sed quantas in eo nugas egerit, exemplis planum fecero. Cato de consulatu suo: *Id ego primo minus animadverti, veniunt iterum atque tertium tumultuosius*. Hic apparet pro *Primo* potuisse *Primum* dici nulla differentia, cum sensus sit à primo initio, ab initio, ad initium, ad principium, τὴν ἀρχὴν, aut etiam primo adspectu, ut in hoc Cicer. 7. ad Attic. 3. *Ex literis tuis hanc primo aspectu voluptatem cepi, quod erant à te ipso scripta: deinde earum diligentia sum mirum in modum delectatus*. Virgil. *Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido*. Ubi τό *Adspectu* omitti poterat. Plaut. Men. *Ubi rex Agathocles regnator fuit, & iterum Pythia, Tertium Liparo*. Hic *Iterum* valet secundo loco, *Tertium*, tertio loco. Livius lib. 23. 9. *Tibi ter prodita patria sustinendum est crimen, semel cum defectionem inisti à Romanis: iterum cùm pacis cum Annibale fuisti auctor: tertio hodie, cum restituenda Romanis Capua impedimentum tu es*. Ubi *Tertio* valet tertia vice, sicut apud Cicer. pro Deiotaro: *Ille Ephesum pecuniam misit, ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit*, etsi apud eundem in 2. de divinat. legimus: *Nemo est quin sæpe talos jactans Venerium aliquando jaciat, nonnum-*

quam

quam etiam iterum ac tertium . Ut planum jam sit Ciceronem *Tertio* & *Tertium* pro tertia vice indifferenter dixisse : qui etiam in 3. de nat. Deorum : *Marius septimo consul* , disertim scribere nihil dubitavit . Terent. Eun. act. 3. sc. 3. *Non hercule veniam tertio* . Ubi quis dubitet , quin significet se jam bis venisse ? Rursum Livius lib. 6. *Cum Carthaginiensibus eodem anno fœdus tertio renovatum* . Similiter lib. 7. 8. *Inferunt pedem , & primum gradu moverunt hostem , deinde perpulerunt , postremo jam haud dubio avertunt* . Ubi *Primum* non significat prima vice , sed ad primum , à primo : & *postremum* est postremo tempore, pro quo dicere poterat *Postremum*, sivè *ad Postremum*, quomodo *Ad extremum*. Similiter l. 9. 34. *Id jus esse quod postremo populus jussisset* . Et mox : *Lex quam postremum jusserat* . Ubi *Postremum* & *Postremo* indifferenter dictum videmus pro eo , quod est in postremo tempore vel loco . Cornelius Nepos , cujus elegantiam judicii Ciceronem reveritum comperio , in Hamilcaris vita : *Quibus malis adeo Pœni sunt perterriti , ut auxilia etiam à Romanis petiverint . Sed extremo cum prope jam ad desperationem venissent , Hamilcarem imperatorem fecerunt* . Hic *Extremo* , esse tempore extremo , ex compluribus aliis locis intelligi potest . In Datame : *Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus est Mithridatis dolo* . In Eumene : *Sed extremo tempore cum consilio capi non posset , multitudine circumventus est* . Hoc loco *extremo tempore* significat *tandem*, pro quo in Phocione dixit , *Extremis temporibus* . Hygin. fab. 136. *Natum esse vitulum , qui ter in die colorem mutaret , primum album , secundo rubrum , deinde nigrum* . Ubi *Primum* significat ad primum tempus , *secundo* est secundo tempore . Rursum Liv. 10. 41. *Arma signaque per turbidam lucem in primo apparebant : post altior pulvis equitum speciem dabat* . Hinc discimus *Primo* non esse Adverbium , sed nomen Adjectivum , cum quo necessario suum substantivum subauditur , quod est vel *adspectu* , vel *tempore* , vel *initio* , sicut & in hoc Tullii : *Utinam à primo ita tibi visum esset* . Et Plauti Mostel. *Multum improbiores sunt postes , quam à primo credidi* . Apud quem quoque Amph. act. 5. sc. 1. indifferenter , *Omnium primo* , *& Primum omnium* , dictum invenimus , ut omninò commentitium sit dis-

crimen

crimen illud Varronis. Subaudiri etiam potest *Loco*, quod tamen pro tempore ponitur, adeoque *Hoc loco* pro Tum, eo tempore, Cicero dicit 15. ad Atticum 11. & Terentius *Loco motum* dicit, qui suam horam non obtinet, in Prolog. Phorm. Ubi Donatum videre est operæ precium. Hyginus quidem fabula 273. perspicue *Nono loco* dicit, pro quo alii dicerent *Nono*. Ait enim: *Nono loco facti sunt ludi in Nemea Archemoro, quos fecerunt septem duces, qui Thebas ibant oppugnatum*. Potest etiam in *Primo* subaudiri *Pretio*. Plaut. Pœn. a. 1. s. 2. *Primum prima salva sis, & secunda tu secundo salve in pretio, tertia salve extra pretium*. Hic per ellipsin dicere poterat *Secundo*, & pro *Primum* poterat *Ad primum pretium*. Sedigitus Volcatius: *Cæcilio palmam Statio do Comico. Plautus secundus facile exsuperat cæteros. Dein Nevius qui servet, pretio in tertio est*, pro, tertio servat. In Asinariæ principio vulgo legitur: *Tu primus sentis, nos tamen prænoscimus*. Ubi optimi codices habent: *nos tamen in pretio sumus*, quod rectum est. Tu in primo pretio sentis, qualis sit uxor tua, nos tamen & ipsi aliquo in pretio, sive nostro loco, & tempore id sentimus. Similiter verò & *Numerum* ac *Numero* subaudiamus licet: nam quod Plautus in Pœnulo dixit, *Salve secundo in pretio & salve extrapretium*, pro eo dici potuisse, *salve secundo numero & extra numerum*, ex his ejus verbis in Menęchmis discimus act. 1. sc. 3. *Anime mi Menæchme salve. PEN. quid ego? ER. extra numerum es mihi*. Nimirum idem valent, *Numero, pretio, loco*, ut: Esse aliquo vel nullo numero, loco aut pretio, Esse extra numerum aut pretium. In hostium numero locoque duci. Esse alicui parentis loco aut numero. Hinc porrò factum, ut prò *Cito*, Latini promiscue dicerent *E numero* vel *In numero*, & postea omissa præpositione *Numero*, & *E loco*, *In loco*, ex quo factum *Inlico* & *Illico*, pro quo Præpositione omissa videntur dixisse *Loco*, quod idiotismus Hispanicus retinuit. *Luego* enim dicunt pro statim, cito, numero, quod postremum Plauto familiare est, apud quem *Loco* pro E loco, Illico semel sine interpolatione legitur Aul. act. 4. sc. 8. *Effodio aulam auri plenam, inde exeo. Loco video recipere se senem, ille me non videt*. Hic *Loco* eo-

dem

dem prorsus modo dixit, quo sæpe alias *Numero*. Etiam *Pedatum*, aut *Pedatu* in similibus exaudiri potest, quod significat congressum, Italice *Voltam*, Hispanice *Vicem* (quod Horatiano illo tuebimur: *plus vice simplici*, id est, *più d'una volta*) Germanice *Mallum*, id est, Convivium, quia publicos congressus conviviis notabant, ex quo sæpe *Malli* in Latinis Germanicorum populorum legibus pro Conventibus publicis leguntur. Plaut. Cist. *Nisi pedatu tertio omnes afflixero*. Cato: *Igitur tertio pedatu bellum nobis fecere*, hoc est, tertium, tertia vice. Idem: *In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multati, alteras oppidum vi captum*. Hæc verba declarans Charisius, ait *Alteras* idem valere, *quod primo, & secundo pedatu*. Sed rationem dicti non expedivit, quæ est ista: *Alter* & *Alius* pro eodem accipiuntur: *Alteras* ergo & *Alias* etiam Festo auctore nihil differunt, in quibus subauditur præpositio *Ad*, & *Res temporis* vel *Loci*, hoc est, ad alium locum, vel ad aliud tempus, sive, alio tempore aut loco, quomodo Græcorum more Plautus *Rem voluptatum* dixit, pro voluptate, Phædrus fabulator *Rem cibi* pro cibo. Plautus Epid. a. 4. sc. 2. *Meus servus eam rem sobrie & frugaliter accuravit, ut alias res ille est impense improbus*. Ita est in omnibus libris, nisi quos Lambinus & Douza depravarunt. Alias res τὰ ἄλλα, cæterum, sive quod ad cæterum attinet, cætera, ad cætera, pro quo simpliciter dici poterat *Alias*, quod vulgo perperam pro Adverbio habetur. Sed illuc redeo, unde abii. Virgilii tui in tertio Æneidos verba sunt, quibus Scyllæ figura describitur: *Prima, hominis facies & pulcro pectore Virgo Pubetenus: postrema, immani corpore Pistrix*. Ubi Servius: *Prima*, inquit, *est Nominativus pluralis à Neutro*, & est figura Græca, τὰ πρῶτα ἄνθρωπος. *Postrema*, τὰ ἔσχατα. De figura recte ille, sed quod Nominativum dicit, in eo fugit eum ratio. Est enim accusativus dependens à præpositione κατὰ, non minus, quam superius illud Christi τὴν ἀρχὴν. Cornelius Nepos in vita Hannibalis: *Quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugaverat*. Ubi *Tertio* est illud ipsum, quod Varro vult dici *Tertium*, id est, vice tertia, tertio pedatu: cujus imitatio-

tatione, vel ſui oblitus, vel ſententia poſterius muta-ta, idem ipſe Varro in 1. rei ruſt. 18. dixit: *Ut fecerunt ii inſariendo iterum & tertio* & 32. *Vineas veteres iterum occare, novellas etiam tertio*, pro eo, quod ipſe dicendum cenſuerat *Tertium*. Plura horum ſimilia afferri poſsent. Sed vereor, ne iſta nimia jam putes, niſi tanti fuiſse videbitur, erroris heroas noſtros Tullium ac Varronem revincere. Vale, meque redamare perge. Neapoli a d. XVI. Januar. anni M. DC. XXVII.

GUILHELMO SETONIO
Scoto Juriſconſulto.

II.

NArro tibi, Verba Gerunda & Supina, tamquam ſupinorum & oſcitantium Grammaticorum commenta ac deliria, ex omni Grammatica exploſi, extruſi, eliminavi, exterminavi, illuc denique unde malum pedem tulerunt, faceſſere juſſi. Quid ego audio? inquies. quas igitur orationis partes poſthac dicemus ea, quæ adhuc Gerundorum & Supinorum appellatione cenſeri ſunt ſolita? An participia dices *Amandi*, *amando*: Nomina vero *Amatum*, *amatu*? quid ego ni dicam? cum perſonis & temporibus careant (ſine quibus verbum nec intelligi poteſt) egoque in illis eandem prorſus, quam in aliis participiis Nominibus rationem Syntaxeos deprehendam. Non longe abiero. Participii Concordiæ regula eſt: *Omne participium cum Subſtantivo nomine ſuo expreſſo, ſive ſuppreſſo numero & caſu concordat*. Subſtantivum verò nomen etiam Verbum Infinitum cenſeo, cum poteſtatem habet Nominis, cujus rei cauſa Veteres Priſciano teſte id *Verbi Nomen* perhibebant. Cum ergo legis, *Nunc eſt bibendum*, ſubaudis *Bibere*, quod eſt nomen Verbi, cum vim habeat Nominis ſubſtantivi in nominandi caſu, cumque hoc Nomine participium *Bibendum* numero & caſu conſentit. In hoc vero, *Tempus eſt bibendi*, ſubauditur Nomen Verbi *Bibere* in patrio ſeu genitivo caſu. Ita cum dicitur, *Aqua utilis bibendo*, idem *Bibere* in dandi caſu ſubauditur, valetque idem quod

Potui.

Potui. *Utilis ad bibendum*, ſupple *Bibere* in accuſandi caſu, quaſi ſit *Potum*. *Bibendo fies ebrius*, ſubaudi *Bibere* ſexti caſus ſeu *Potu*. Eſſe autem *Bibendo* Participium, vel Præpoſitio arguit, quam ſubaudiri ex hoc Plauti loco diſcimus, Mercat. *Sed quid ego hic in lamentando pereo*? Et Stich. *Scio atque in cogitando mœrore augeor*. Et Terent. Andr. *In denegando queis eſt pudor paululum*. Hinc facile eſt intellectu, quæ ſit dicti ratio in iſtis, *Petendum eſt pacem*, *Diſcendum eſt literas*. ſubauditur ſcilicet *Petere* & *Diſcere*, adeoque *Petendum* & *diſcendum* ineptè Gerunda verba dicuntur, cum palam ſint Participia, non aliter quam *Pugnatum* in hoc veteri: *Hanc pugnam pugnatum eſt à mane uſque ad veſperam*: ſubauditur enim *Pugnare*. Jam vel tacente me judicabis, ſuppleſdum eſſe *Diſcere* in iſto; *Ardet deſiderio diſcendi literas*, ut Accuſativus *Literas* regatur à Verbo *Diſcere*, non à Participio *Diſcendi*. Similiter in hoc, *Legendo Virgilium fies poeta*, ſubaudis *Legere*, quod jam Nomen eſt, cumque Participio in numero & caſu concordat. Rem autem ita ſe habere, hinc poteſt effici: Omne participium habet rationem nominis Adjectivi. Adjectivum porrò & Subſtantivum ſunt in eorum cenſu, quæ πρός τι dicuntur, ſeu Relata, quorum uno poſito alterum ſimul poni neceſſe ſit, Cum ergo audis, *Tempus eſt legendi*, quoniam *Legendi* Participium eſt Adjectivi inſtar, non potes quin ejus Subſtantivum requiras, quod eſt *Legere*: quod ipſum ſubaudis in hoc, *Legendo fies doctus*; tamquam dictum foret: In Legendo lectu, ſive in legenda lectione fies doctus. Tempus eſt legendi lectus ſeu legendæ lectionis. Nam *Legere*, cum Nomen Verbi eſt, & nomen Verbale *Lectio* non niſi genere diſcrepant, cum illud Neutrum ſit, hoc Fæmininum. Eodem ergo ſenſu Jucundum eſt Legere, & jucunda eſt lectio. Huic porrò conſequens eſt, ut cum audis, *Tempus eſt legendi libros*, *Legendo libros fies doctus*, Accuſativus *Libros* non à *Legendi* aut *Legendo*, ſed à *Legere*, quod ſubaudis, regatur, adeoque duo illa Participia germana ſint, non Gerunda Verba, quod Grammatici conſomniarunt. Neque tamen Verbi *Legere*, quod pro Nomine ſubſtantivo ponitur, caſum ſibi ex Verbi natura debitum, Accuſativum puta, perpetuo regit.

Eſt

Est enim cum ex toto Nominis substantivi naturam induit, & Genitivum sibi casum adsciscit, quem à solo nomine substantivo regi non semel ex me coram audiisti. Hinc illa: *Quæ fuit causa collocandi siderum? Non est nunc tempus videndi Lunæ.* Nam genitivus *Siderum* non regitur à participio *collocandi*, sed à subaudito nomine Verbi *Collocare*, quod omnem vim & potestatem Nominis Substantivi possidet, ut si dictum foret: Causa collocandi collocaminis, seu collocamenti siderum, sive collocandæ collocationis siderum. Pari modo genitivus *Lunæ* non à Participio *Videndi* regitur, sed ab eo, quod subaudis, verbo *Videre*, quasi esset Tempus videndi visus Lunæ. Non multum dissimiliter Participium activum, cum naturam Nominis induit, casum substantivo nomini debitum adsciscit. Quod enim per Participium audis, *Amans uxorem*, per Nomen participale sic effertur, *Amans uxoris*. Atque hæc de Gerundis.

Supina verba Grammatici duum generum faciunt, ut alia in *um* alia in *u* terminentur. sed hæc posteriora in *u* non Verba, sed Nomina substantiva quartæ declinationis Dativi vel Ablativi casus esse, jam olim Augustinus Saturnius, & Franciscus Sanctius odorati sunt. Cum enim neque tempus, neque personam habeant, neque casum ullum verbi regant, qui Verba esse possunt? Et cum eis Præpositio Nomenque adjectivum adjungi possit, quis Nomina substantiva esse dubitet? Præpositionis exemplum habes apud Varronem 2. rei rustic. 5. *Ad matres mane adigi oportet lactantes, & cum redierunt è pastu.* Et apud Fabium lib. 11. cap. 3. *Spiritus nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis*, id est, ad recipiendum, sicut *Anhelitum recipere* apud Plautum, & *Petitus imo latere spiritus* apud Horatium. Adjectivi apud eundem Fabium lib. 8. cap. 3. *Rebus atrocibus verba etiam ipso auditu aspera magis convenient.* Et apud Statium 9. Theb.——*Longo defessa redibat venatu*——Præterea vero invenio, quod vulgo diceretur, *Acerbus Sensu*, non minus in plurali numero *Acerbus Sensibus* dici posse, quo quidem vel uno planissimum evadit, *Sensu*, non Verbum supinum, sed substantivum nomen esse. Politissimi hominis Cn. Matii versus sunt ab Agellio relati.

Qua-

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare.

Quo exemplo Lucretius lib. 2. prius scripserat.

Omnia postremo bona sensibus & mala tactu,
Dissimili inter se pugnant perfecta figura.

Id est, quæ sensibus jucunda, quæque iisdem molesta sunt & aspera, habent dissimilia principia, ex quibus constant. Ubi perspicuum est *Bonum sensu* vel *sensibus*, & *malum tactu* contrario nomine opponi. Est ergo *Tactu* dandi casus, sicut apud Virgil. *Mala tactu vipera.*

Hæc eadem porrò omnia in illis locum habent, quæ in *um* exeunt, ut & Nomina substantiva sint Accusativi casus, & verba nullo modo esse possint. De verbis res est expeditissima, quando nullum personæ aut temporis genus in eis invenitur. Nomina esse arguit adjecta præpositio, ut in hoc Varronis loco 3. rei rust. 16. *Non omnis tempestas apes ad pastum prodire longius patitur*. Et hoc Fabii lib. 2. cap. 3. *Tamquam mediocritas præceptoris ad intellectum atque imitationem sit facilior*, pro quo alii dicerent: *intellectu & imitatu facilior*, subaudita scilicet *Ab* præpositione: nam *Ab intellectu* & *Ad intellectum* nihil sensu differunt, sicut eandem rem duobus casibus sic effers: *Est illi faciem similis*, & *facie similis*, illic *Ad*, hic *A* præpositiones per Ellipsin reticendo, pro quod ad faciem attinet. Similiter vero in eo, quod dicitur, *Pastum se refert*, non verbum supinum esse *Pastum*, sed nomen, duo sunt, quæ arguant. Unum, quod ei Præpositio præponi possit, ut sit *Ad pastum*, velut in Varronis verbis vidimus. Alterum, quod nullo discrimine in plurali *Pastus* pro eo dici potest, id quod in hoc Ciceronis versu factum patet: *Tum rursus tetros avida se ad pastus refert*. Ubi non minus, *ad tetrum pastum* dicere poterat, sicut, *Meam veni domum*. Nam & paulo prius dixerat: *Jovis satelles pastu dilaniat fero*. Varro 5. de lingua Lat. *Ad locutum mulieres ire ajunt, cum eunt, ad aliquem locutum consolandi causa*. Unde constat, *Locutum ire*, idem esse, quod *ad Locutum ire*, adeoque *Locutum* non verbum supinum est, sed accusativus nominis. Neque vero hoc eis status controversiam facere aut Nominum familia exigere potest, quod non regant casum Genitivum instar Nominum, sed Accusativum modo Verborum. Dicimus enim *Eo spectatum ludos*, non *ludorum*. Nam Verbalia

nomina, sive originem suam verbis debentia, in regendo casu alias Nominis, alias Verbi, unde orta sunt, consuetudinem servant. Verbi gratia: *Tactio*, *Tactus* & *Tactura* sunt nomina Verbalia à *Tango* derivata. Itaque qua sunt Nomina, Genitivum regunt, ut dicatur *Tactio illius*, sed qua sunt verba, Accusativum, ut sit: *Tactio illum*. Hoc nihil est apud Plautum frequentius, ut Curcul. *Quid tibi istum tactio est*? pro, Quid tu istum tangis? Et Asin. *Quid tibi meum virum ad te receptio est*? pro, quare virum ad te recipis? quo exemplo dici potest, *Quid tibi receptus est meum virum*? cum significationis, utro modo dicatur, nihil intersit. Ita quoniam verba *Obtemperare*, *Tradere*, *Reddere* cum Dativo junguntur, neque Nomina ab iis orta eum casum spernunt. Cicero: *Justitia est obtemperatio scriptis legibus*. *Abalienatio est rei traditio alteri*. Asconius: *Pœna damnati est redditio pecuniæ iis, ad quos pertinet*. Similiter cum dicamus *Eo* & *redeo domum*, Nomina *Itus*, *itio*, *reditus*, & *reditio* non aliter collocari solent. Cicer. *Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari*. *Is meus fuit domum è foro reditus*. Cæsar: *Ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia pericula subeunda essent*. Nomen *Itus* pro Itio est apud Lucretium lib. 3. *Nec sentimus itum cujusviscumque animantis*. Et Titin. Setina: *Itum*, *gestum*, *amictum qui videbant ejus*. Eodem modo cum recte dicatur *Interire ferro*, *Scire quid agatur*, *Meminisse quid dictum sit*: Nomina ab illis verbis deducta non dissimiliter Tullius usurpavit. Ait enim: *Exercitus nostri interitus ferro, fame, frigore*. *Scientiam quid agatur*, *memoriamque quid à quoque dictum, sit omnium puto esse oportere*. Sed etiam Adjectiva nomina à Verbis orta, nec nisi terminationem cum participiis passivis communem habentia, cum Verborum suorum casu construi solent: de quo genere sunt, *Populabundus agros*, *Vitabundus castra hostium*. Itaque cum *Spectatio* & *Spectatus* æquè sint Nomina Verbalia, mirum jam videri non debet, si modo Genitivum ut Nomina, modo Accusativum ut Verbalia adsciscant, ut rectè scilicet utrovis modo dicatur: *Quid tibi spectatio est ludorum*, & *Quid tibi spectatio est ludos*. Similiterque *Eo ad spectatum ludorum*, & *eo ad spectatum ludos*, etsi consuetudo fert, ut Præpositio per Ellipsin reticeatur,

sicut

ficut in his Plauti Pœnul. *Malam crucem ibo potius*. Et iterum eadem fabula: *Utinam hinc abierit malam crucem*: Et Catulli: *Cur non exilium malasque in oras itis*. Et Attii in Phœnifs. *Jussit proficisci exilium quovis gentium*. Et Varronis 1. rei rusticæ 55. *Olea dominum & balneas & gymnasia sequitur*; pro, ad vel in balneas & gymnasia. Plaut. Merc. *Jam redii exilio*, pro ab exilio. Virgil. *Devenere locos lætos*. *Ibimus hinc Afros*. *Veniemus Britannos*. *Quascumque me abducite terras*. Neque vero non eadem Syntaxis est, cum audis, *Eo spectare ludos*; Præpositio enim *Ad* subauditur, cum *spectare* sit Nomen verbi, sive vim habeat substantivi nominis in Accusativo casu, quod est *spectatum*, vel *spectationem*. Lucretius quidem Præpositionem sic expressit: *Ad sedare sitim fluvios fontesque vocabant*. Latine ergo secundum artis regulas dicemus: *Veni ad sedare sitim*, *ad sedationem sitis* vel *sitim*, *ad sedatum sitis vel sitim*: sed pro consuetudine plus usitata: *Veni sedare sitim*, & *sedatum sitim*. Itaque quod est apud Julium Obsequentem, *Taurus cum ad immolationem duceretur*, non est dubium, quin aliter efferri potuerit; per regularem quidem Syntaxin, *Ad immolatum*; per Irregularem vero seu Figuratam, *Immolatum duceretur*. Atque hinc dilucet, quæ sit in istis dicti ratio: *Cur te is perditum*; *Venimus te admonitum*; *Cur non imus sessum*. Sunt nimirum ista nomina substantiva accusandi casu, qui à præpositione *Ad* suppressa regitur, quâ quidem Præpositionis ellipsi recte dicetur: *Cur te is perdere*; *Venimus te admonere*. *Cur non imus sedere*. Ita quod est in Plauti Cistell. *Eunt nos depressum*, valet ad depressum, seu depressionem nos, sive nostri. Antiqua enim Syntaxi ad superiorum more recte dicetur: *Quid vobis nos depressio est*, vel *depressus est*: pariterque *Eunt ad deprimere nos* vel *nostri*. Neque tamen dictorum rationem sic investigo, quin consuetudini eorum, quos optima ætate vixisse optimeque loqui & scribere solitos constat, priores deberi agnoscam, tamquam ei, *Quam penes arbitrium est*, & *jus* & *norma loquendi*: quo nomine Fabius aliud esse judicat Grammatice scribere, aliud Latine, quoniam scilicet illud non nisi ratione ac regulis artis, hoc autem more sive usu dirigitur. Is tamen, quem fugit dicti ratio, non parum sæpe ea, quæ in usu

S 2 sunt,

damnatum iri videbatur, *Reum* reponi debere ex prædictis apparet. Nimirum Via videtur iri ad damnatum reum, seu damnationem rei. Si enim dicam, *Judices reum damnatum eunt*, certum est Nomen *Reum* non esse appositum verbi *Eunt*, sed regi à nomine *Damnatum*, ex eoque perspicuum fit, idem nomen *Reum* in Fabii oratione à nomine *Damnatum* regi. Hinc porro de lectione deque sententia versuum illorum judicari potest, qui Plauti Rudente act. 4. sc. 7. leguntur:

Mihi istac videtur præda prædatum irier,
Ut cum majore dote abeat, quam advenerit.

Nimirum *Istac* legi verum est, ut sit Ablativi casus, hoc sensu: Cum ista præda videtur major præda quæri; quia, si quis rem hanc furtivam penes servum meum repererit, pariter & rem sibi furto sublatam, & furem sive servum illum vindicaret, eoque modo præda prædam duceret. Dicti ratio talis est: Videtur via iri (vel viam iri, quod est regulæ artis consentaneum, cum in illo altero sit Ellipsis, pro, Via videtur eam iri) cum ista præda, sive videtur via affectari ad prædatum seu prædationem.

Habes, Vir clarissime, meam de Gerundis & Supinis sententiam, cui si literarum istic columina, te, inquam, Ciampolum, Quærengum, Aleandrum, Malacridam, Conæum, Leonidam, Laurum, Moricutium, Dohnium & Belmisserium accedere intellexero, non Grammaticos modo, quantum est, *omnes unius æstimabo flocci*, sed neque magnum illum Protomantin vel Anispicem vestrum mihi adstipulatorem quicquam morabor, qui si, quod se dignum est, facere volet, de se non Comici poetæ versum, sed redditam ex oraculo sortem credet,

Vilis est restis, velet gulam sibi.

Vale, ac doctissimos illos viros salvere plurimum jube, Mantua a. d. 28. April. 1627.

HIERONYMO BOSSIO Jurisconsulto & Philologo,

III.

NOn me fugit, quam non modo novum & inopinatum, sed & falsum temeritatisque plenissimum plerisque omnibus accidat, cum Tullium ipsum, linguæ Latinæ parentem, causarum ejus linguæ imperitissimum perhiberi audiunt, qui eorum, quæ rectè scripsisset, rationes forte rogatus, non ferè nisi falsa ac flagitiosa ac vix in puero aut linguæ tirone ferenda respondere sciverit. Tu tamen pro eruditione tua minime vulgari id ex me auditum neutiquam aspernandum duxisti: eaque re faciendum mihi visum est, ut aliquid speciminis ad te mitterem, quo minore negotio aliis probares, neque mihi meam judicii illius libertatem invidiæ esse oportere, neque te, ut mihi assentires, obsequio potius & amicitia, quam veritate inductum fuisse. Epistolarum ad Atticum lib. 6. epist. 9. scripserat Cicero: *In Piraea cum exissem pridie Idus Octob. accepi ab Acasto tuas literas.* Horum verborum causa visum fuit Attico violatæ Latinitatis dicam Ciceroni suo scribere, quod neque *Piraea* rectè dictum censeret, qui *Piraeus* ex vero nomine vocaretur, & urbium oppidorumque propriis nominibus Præpositionem minimè adjungendam statueret. Audire est operæ pretium, quemadmodum Tullius caussam pro se dixerit lib. 7. epist. 3. *Venio ad Piraea* (inquit) *in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus* Piræea *scripserim*, *non* Piræeum (*sic enim omnes nostri locuti sunt*) *quam quod IN addiderim, non enim hoc ut oppido præposui, sed ut loco. Et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, & Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraea. Sed de re videro. nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco: secutusque sum, non dico Cæcilium*: Mane ut ex portu in Piræum (*malus enim auctor latinitatis est*) *sed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur à C. Lælio scribi*: Heri aliquod adolescentuli coimus

mus in Piræeum . *Et idem* : Mercator hoc addebat , captam è Sunio , *quod si δῆμοι oppida volumus esse , tam est oppidum Sunium , quam Piraeus . Sed quoniam Grammaticus es , si hoc mihi ζήτημα persolveris , magna me molestia liberaris* &c. Hic enimvero mirari ac tantum non inter monstra numerare possis , quod optimus omnium patronus , quo defendente plerique vincere solerent , in causa pro se ipso dicenda tam turpiter se dederit . Primum peccasse se agnoscit , quod quartam urbis Athenarum partem , quæ *Piraus* ab omnibus Romanis dici soleret , ipse nullo auctore *Piraea* dixerit . Deinde flagitiosè Oppidum à Loco distinguit , perinde acsi quis se non de Homine , sed de Animali locutum defenderet . Si enim quærenti *Quo vadis* ? respondeatur *Romam aut Ithacam*, similiter *Ubi est* ? *Roma aut Ithaca* , quis usque eo hebes est , ut de Loco quæri ac responderi non intelligat? *Quo* enim est priscus accusativus pro *Qua* vel *Qua* , qui in *Quo circa* permansit , & subauditur præpositio *Ad* vel *In*, ut *Quo* sit , *Ad qua loca* : & *Ubi*, non est aliud , quam *in quo loco* ? cui respondetur *In loco Roma aut Ithaca*, quomodo apud Virgilium legimus : *Hic locus urbis erit* . Et Horatium : *Non est aptus equis Ithaca locus* . Adhæc nonnullius ἀπαιδευσίας vituperationem suscipit cum ipse , tum adstipulatores ejus Nicias Grammaticus , & Ciceronum puerorum magister Dionysius , cum Piræeum urbem aut opidum non esse putant . Quid enim ? non illi Attium poetam legerant , ab eoque , quod Festus testatur , *Athenas Quadriurbem* dictam invenerant ? Quarta igitur Athenarum urbs Piræeus erat , ipso Astu ad dignitatem & speciem nullo genere inferior , si Ciceronis amico , simulque censori & laudatori Cornelio Nepoti credimus , cujus de Themistocle verba sunt : *Cum Phalerao portu neque magno neque bono Athenienses uterentur , hujus consilio triplex Piraei portus constitutus est , isque mœnibus circumdatus , ut ipsam Urbem dignitate aquipararet , utilitate superaret* . Præterea cum ipse se Terentius Plautum habere auctorem glorietur , neque Cicero in gravissimis rebus Plautinos orationi versus inserere dubitet , in tertio verò de Oratore fateatur , eos , qui Plauti & æqualium sermone assuefacti sint , ne cupientes quidem posse , nisi Latine , præclare & eleganter loqui : nulla fuit ra-

tio, cur ex unius Terentii auctoritate præsidium sibi peteret, Plautum verò sic penitus missum faceret, in cujus Bacchidibus legimus: *Ibo in Piraeum, visam ecqua advenerit in portum ex Epheso navis mercatoria*. Et Mostel. *Ego ire in Piraum volo, in vesperum parare piscatum mihi*. Ad extremum nimis ἀναπολόγητον est, nec excusationem habet, quod Grammaticorum auctoritate imponi sibi passus est, ut stolidæ eorum Regulæ subscriberet, quam Rhæmnius Palæmon apud Charisium lib. 2. priores scilicet artis doctores secutus, his verbis complexus est: *Nomina civitatum sine Præpositione sunt cum verbis eundi, manendi, redeundi: sed &* Rus *sine Præpositione*, ut Rus eo, ruri sum, rure venio, *&* Domus *sine præpositione, ut* Domum eo, domi sum, domo venio, *sed &* De domo *dumtaxat: in tertia persona invenimus sæpius*, In domum. His verbis subiicit Sosipater: *Generaliter autem & Canonice (ut C. Julius Romanus disertissimus artis scriptor refert) Præpositiones gentibus seu nationibus adduntur, civitatibus adimuntur & detrahuntur, licet contrà dixisse nonnullos veteres reperiamus*. In eandem sententiam Servius ad illud Æneid. 1. *Italiam fato profugus Lavinaque venit Litora*, hoc modo commentatur: *Ars quidem hoc exigit, ut nominibus Provinciarum Præpositionem addamus, Civitatum numquam: tamen hoc plerumque perverso ordine legitur. Sciendum enim usurpatum ab auctoribus, ut vel addant, vel detrahant præpositiones*. Cum ergo nescire Cicero non posset, quod ipsi Grammatici ultro confitentur, inertis eorum artis Canonas ab auctorum linguæ latinæ consuetudine dissidere, non debuit certè ipse sui accusatorem agere, nec in eo, quod Præpositionem opido addisset, ullum suum peccatum agnoscere. Ut enim ipse tertio de Oratore docuerat, omnis latine loquendi ratio quatuor fundamentis nititur. Quorum primum est literæ doctrinaque puerilis, id est, artis Grammaticæ præcepta, queis pueri imbuuntur: alterum subtilior cognitio ac ratio literarum, id est, investigatio causarum linguæ latinæ, qua præcepta artis ad Logicæ normam & veritatem limantur: tertium usus, beneq. loquentium & scribentium consuetudo: postremum auctoritas oratorum ac poetarum veterum. Ipsa ejus verba sunt hæc: *Prætereamus præcepta Latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & sub-*

& subtilior cognitio ac ratio literarum aliis, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant, & lectio veterum oratorum & poetarum. Et Artis quidem præcepta hoc discentibus præstant, ut ne quid vel in singulis vocibus, vel in earum compositione peccent, sive ut Barbarismi & Solœcismi crimen effugiant, quod cum consecuti erunt, Grammatice loqui censebuntur: meminisse tamen debent, non temere Quintilianum monuisse, *aliud esse Grammatice, aliud Latine loqui*. Fieri enim potest, ut verba sint Latina, ipsa nihilominus oratio minus pura sit, quod eam aures eorum, qui optima, hoc est, Ciceronis ætate vixerunt, vel repudient, vel non agnoscant. Quæ repudiant, sunt *prisca* & *obsoleta*: quæ non agnoscunt, aut *Nova* sunt, nondum scilicet illis temporibus usitata, aut *Peregrina* & ad aliarum linguarum consuetudinem conformata. Quibus tribus orationis impuræ generibus aurea illa latini sermonis ætate præter cæteros M. Cœlium, Crispum Sallustium & M. Varronem orationem infuscare solitos videmus, & de Sallustio veterum non pauci apertissime tulerunt. Etiam in M. Antonio novandi licentiam Tullius agitat, qui *Piissimus* dixerit; & *Dignus* pro eo, qui in dignitate sit constitutus, & *Contumeliam facere* pro pati sive accipere, sicut *Facere jacturam* aut *detrimentum*. Rationis literarum ac subtilioris cognitionis partim in Arte perficienda, partim in dirigenda consuetudinis regula usus est. Et ad Artis quidem præcepta quod attinet, satis illa fidem Athenæi sententiæ firmaverint, *exceptis medicis nihil Grammaticis stultius* existimantis. Pueros scilicet dicto audientes habent, quibus quicquid dixerint, ex tripode responsum aut ab Ammonis fonte relatum videri sciunt. Eo illi feroces sunt, adeoque illud minui, in quo sibi cæterisque maximi videntur, ferunt indignissime. Docti proinde hominis est adversus ista Arcadiæ pecuaria Ratione obarmari, eorumque Regulas partim investiganda causa, quam linguæ conditores spectarunt, partim observandis locupletium auctorum exemplis, sive corrigere cum falsa præcipiunt, sive recidere & compescere cum redundant, sive numero augere, cum quæ desiderantur. Quarum quidem rerum omnium quam multiplex relicta sit occasio, satis jam tibi multisque doctissi-

doctissimis viris nova Syntaxis nostra fidem fecisse debet. In ea enim, ut scis, duodecim Latinæ orationis fundamenta jecimus, majorem partem ex Academiæ sylvis & Lycæi spatiis petita, quæ qui memoriæ mandarit, omnes postea Syntaxeos regulas quam veras nostras, tam Grammaticorum falsas cum veritatis falsitatisque caussis nullo negotio percepturus, nec temere in earum oblivionem venturus videtur. Quis deinde Rationis in consuetudine corrigenda & expurganda usus sit, totidem verbis Cicero in Bruto declarat: *Solum & quasi fundamentum Oratoris vides locutionem emendatam & Latinam: cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit Rationis aut scientia, sed quasi bona consuetudinis. Mitto C, Lalium, P. Scipionem. Ætatis illius ista fuit laus tanquam innocentia, sic latine loquendi, nec omnium tamen: nam illorum aquales Cacilium & Pacuvium male locutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc rem deteriorem vetustas fecit & Roma & in Grecia. Confluxerunt enim & Athenas & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. Quo magis expurgandus est sermo, & adhibenda tamquam obrussa Ratio, qua mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula.* Ex quibus verbis hoc amplius discimus, duo hominum fuisse genera, qui bonam latine loquendi consuetudinem inquinarent. Unum eorum, qui extra urbem Romam vixerant, in alia scilicet Italiæ parte nati altique: alterum, qui Romæ quidem nati & educati, nec alioqui rationis literarum aut scientiæ expertes, sibi tamen ab exteris, qui in Urbem plurimi confluxerant, nova & peregrina cum vocabula, tum loquendi genera affricari passi fuerant. Recte proinde Cicero Rationem etiam consuetudinis *obrussam*, sive lapidem Lydium facit, ad quam non illa minus, quam præcepta Artis, exigi probarique debeat: quod quidem Cæsarem Dictatorem feliciter præstitisse hoc modo prædicat: *Cæsar Rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendat*. Cottam rursum & Sisennam, pravam novandi & Grœcissandi, sive exoticis utendi consuetudinem non Ratione, sed

judi-

judicio non minus pravo corrigere voluisse narrat. De priore in eodem Bruto verba sunt: L. *Cotta de industria cum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico persequebatur atque imitabatur antiquitatem*. Et iterum: *Cotta quia se valde dilatandis literis à similitudine Græcæ locutionis abstraxerat, sonabatque subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quadam quasi inculta & sylvestri via ad eamdem laudem pervenerat*, ut nimirum bene Latine loqui, nec invecta ab exteris verborum aut pronunciationis barbarie orationem infuscasse diceretur. Quorum verborum sententiam alius locus in tertio de Oratore pluribus exprimit ac declarat: *Ut Latine loquamur* (inquit) *non solum videndum est, ut & verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat, & ea sic & casibus, & temporibus, & genere, & numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut præposterum sit: sed etiam lingua & spiritus & vocis sonus est ipse moderandus. Rustica vox & agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur, ut L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguæ sonoque vocis agresti, & illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanun*. Et paulo infra: *Cotta noster, cujus tu illa lata nonnumquam imitaris, ut Iota literam tollas, & E, plenissimum dicas: non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari*. Rustici nimirum, ut ex Festo discimus, diphthongos vitantes, earum loco vocales latius efferebant, ut pro *Aurum*, dicerent *Oorum*, pro *Auriculas*, *Ooriculas* (unde natum *Oricilla* Catulli) pro *Captivei*, *Capteevee*. Eosdem Varro 1. rei rust. 2. *Vellam* pronunciare solitos testatur pro *Villam* seu *Veillam*, quasi *Vehillam*, ab eo dictam, *quod in eam convehuntur fructus*, *& evehuntur cum veneunt*. Hos Cotta imitabatur, ut à Græcæ locutionis tamquam peregrinæ similitudine se abstraheret. Græci autem diphthongum EI, sic pronunciabant, ut posterior vecalis, velut longa, duo tempora consumeret, prior non nisi tertiam temporis partem, ita ut sonus ejus ad aures quodammodo periret, quæ causa est, cur Sextus Empiricus τὸ EI, simplicem sonum esse, Cicero etiam Græcum BINEI, & Latinum BINI, eodem sono efferi scripserint, qua de re in disputatione de *Orthoepeja* sive

five recta latinæ linguæ pronunciatione uberius à me actum nosti. De Sisenna porrò hæc in eodem Bruto legimus: *L. Sisenna doctus vir & studiis optimis deditus, bene Latine loquens, quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne à C. Rufio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. Recte loqui, putabat esse inusitate loqui*. Ita discimus ætate Ciceronis hunc Rationis usum fuisse in emendanda vitiosa & corrupta loquendi consuetudine, ut neque abolita & obsoleta referri pateretur (quod quidem Fabius *frivola in parvis jactantia esse* rectè judicat) neque aut appellationem literarum seu pronunciationem peregrinam, aut verba loquendique genera à peregrinis hominibus ad vernaculi seu patrii sermonis usum conformata in Urbem admitteret. Atque hoc est, quod Cicero latinitatem non modo *quotidiani*, sed etiam *domestici* sermonis consuetudine ali confirmarique dixerat, ut omnem scilicet *Novitatem* & *Peregrinitatem* excluderet. Addit idem *librorum lectionem*, quod scilicet, qui ætate illa libros scribebant, majorem in scribendo, quam in loquendo cautionem ad effugienda pravæ consuetudinis vitia adhiberent. Atque hinc judicare possumus, quæ nobis hodie Latine scribentibus sequenda sit ratio, ut nimirum multo maxima utamur cautione in vitandis primum obsoletis, tum peregrinis & linguarum hodie vigentium idiotismis, tandem novis & circa Ciceronis ætatem nondum usitatis, nisi cum iis meliórum penuria locum dederit, aut hominis eruditi multumque in Ciceronis & æqualium lectione versati judicium suffragabitur, ut illorum consuetudine haud quaquam aliena aut indigna videri possint. Postremo loco *poetarum & oratorum veterum*, id est, ætate sua antiquiorum *lectione Latinitatem confirmari* censet Cicero, propterea quod ut ipse tertio de Oratore disputat, *omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus & poetis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes prope præclarè locuti: quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latinè. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa parce, quod ostendam: sed usitatis ita poterit uti lectissimis, ut utatur*

is,

is , qui in veteribus erit scriptis studiosè & multum volutatus . Nimirum orationem verè Latinam, puram minimeque inquinatam præstabat , tum verborum lectorum minimeque plebeiorum aut humilium copiam illa veterum lectio suppeditabat . Quanto igitur magis hodie nobis in legendis veteribus illis sumenda est opera , si diligenter latine loquendi , vel potius scribendi laudem expetimus ?

His ita præmunitis age videamus , quam vincibilem Cicero causam habuerit , quamque parum se dignum fecerit , cum hoc Attico & Grammaticis concessit, Solœcismum ab eo fieri, qui opido præpositionem addat: nam & Ratio , & Consuetudo sermonis quotidiani ac domestici , & veterum denique Auctoritas ab omni eum culpa vindicare poterat . Et *Ratio* quidem hæc est , quoniam orationis partes aliæ princepes sunt , ut *Nomen* & *Verbum* , sine quibus affirmatio & negatio ne cogitari quidem potest ; aliæ secundariæ , nimirum *Particulæ* , ut Præpositiones , Adverbia & Conjunctiones: quarum ultimæ sunt velut Nervi , quibus nomen & verbum aliæque minores orationis partes colligatæ tenentur. Adverbia modum verbi præcipuè significant. Præpositiones verò nominum casus certis significationibus distinguunt, ut videlicet nomina Locum à quo, in quo, & ad quem, similiter & Tempus ante quod, circa quod, in quo & post quod ; tum causam efficientem, impellentem, administram, inficientem seu permittentem, materiam & finem, adhæc Adjunctum, Subjectum, Objectum, Partem certam, Prætium, Mensuram aut aliud quid significantia, Præpositionibus certis tamquam notis impositis inter se discernantur. Sic *Ad*, & *In*, placuit nominibus quarti casus præponi, cum locus ad quem iretur, significandus esset, nullo prorsus nec domus, nec ruris, nec urbis, nec provinciæ aut regionis discrimine, similiterque *Ab*, *de* & *ex*, nominibus sexti casus , ad significandum Locum, unde iretur. *In*, verò ad Locum ubi maneretur. Qui quidem Præpositionum usus cum à primo stabilitus fuisset, factum est postea, quoniam compendio studebatur verborum, omnesque inter se quam paucissimis commutatis vocibus animi sensa exprimere cupiebant, ut sæpe cujuscumque usus Præpositiones reticere ac subaudiri mallent: quod quidem sermo-

ſermonis compendium pro quodam ornamento habuerunt; idque Grammaticorum lingua *Ellipſis* dici cœpit. Utrovis ergo modo poſtea loqui fuit liberum: nam qui Præpoſitionem cuicumque nomini in Loco ſignificando addebat, primigenia ſermonis regula ſe tuebatur: qui verò eam lucrifaciebat, ultro etiam ornatus commendationem vindicabat. Si ergo *Solœciſmus* orationis vitium appellari debet, quo compoſitionis ſeu Syntaxeos leges migrantur, ille demum σολοικίζεσθαι cenſendus fuerit, qui Præpoſitionem nominibus locum ſignificantibus addere ſuperſedit. Et hujuſmodi quidem Ratione ſe Tullius tutari poterat. De *Conſuetudine* verò *quotidiani ac domeſtici ſermonis*, quantum in ea Ciceroni ad defendendum Solœciſmi crimen præſidii fuerit, vel hinc judicari poteſt; quòd & ipſum, & Cæſarem, Virgilium, Livium aliosque ejuſdem aureæ ætatis ſcriptores quibuſcumque Locorum nominibus Præpoſitiones, alias ex vero Artis præſcripto addidiſſe; alias compendii & elegantiæ cauſa per Ellipſin detrahere ſolitos videmus. Cæſaris verba ſunt: *Prius Caſſius ad Meſſanam navibus advolavit, quàm Pomponius de ejus adventu cognoſceret.* Livii vero: *Ductus Vejos exercitus. Inde ad Vejos exercitus ductus; Valerium à Veiis abducere exercitum jubet. Abducere infecta re à Veiis exercitum noluerunt: Cùm exercitibus ad Vejos acceſſere. Qui à Veiis fugerant: Cùm exercetu novo ab Roma advenit. Placuit ab Ardea Camillum acciri: Profectus ab Ardea. Æſculapium ab Epidauro Romam accerſendum. Samnitibus ab Aquilonia clam egreſſis. Abeſſe ab domo non poſſum. Dum ſenes ab domo accerſunt. Ubi vos dilapſi domos & in rura veſtra eritis. Cyprum claſſem miſit. Ægyptum induxit exercitum.* Virgilius ſimiliter: *At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros; Pars Scythiam & rapidum Cretæ venimus Oaxem. Unde iter Italiam. Tollite me Teucri; quaſcumque abducite terras. Æoliam venit; loca fæta furentibus Auſtris. Devenere locos lætos & amæna vireta. Hac limina tendere adegit.* Varronis etiam: *Olea dominum & balnea & gymnaſium ſequitur*, pro, ad balnea. Catulli autem: *Quàm talia Cretam funera portarentur. Cur non exſilium malaſque in oras itis?* Ipſius denique Ciceronis: *Cùm in Piræeum Socrates veniſſet ad Cephalum. A Piræeo ad Zoſtera vento moleſto venimus. Miles profectus ſum*

ad

ad Capuam , quintoque anno post ad Tarentum quæstor . Quinquaginta naves delatas in Uticam . Ut ab Alexandria discederet . Nec me in Arpinum abdam . Is ad Messanam venturus dicebatur . Ne citius ad Brundisium , quam opus sit , accesserit . Tertio die abs te ad Ariciam accesseramus . Ab Dianio , quod in Hispania est , ad Sinopen , quæ in Ponto est , navigaverunt . Ipse iter ad Mutinam dirigerem . Fugisse à Mutina viderentur . Ab Ephesio profectum . A Bibone discessimus . De illius ab Alexandria discessu . Exclusus ab Antiochia . Quatridui iter à Laodicea abest . Sardiniam cum classe venit . Bosphorum confugit . Italiâ cedit . Cum in sua rura venerint . In domo Cæsaris . Ad pretoris domum . In ipsius patris domum detulimus . Quasi in domum suam venerit . De Gyaro ad te dedi de Messala literas . De Pomptino scripsi.

Tandem veterum quoque auctoritate perfacile Ciceroni fuit illam Grammaticorum regulam convellere , seque Attico suo ἀμμάρτον probare. Plauti enim sunt ista : *Is ex Anactorio huc commigravit in Calydonem . Quando iturus est hinc in Seleuciam . A patre ex Seleucia venit . Ubi ipse erat ? In Seleucia . In Ephesum abii , Ex Ephesô literas huc misi . Discrucior animi , quia ab domo abeundum est mihi . Jam per hortum amicam transibo meam . Malam crucem ibo potius . Utinam hinc abierit malam crucem . Jam redii exsilio .* Similiter Attii est in Phœnissis : *Jussit proficisci exsilium quovis gentium .* Fannii vero laudante Charisio : *villam venit* , pro in villam : quo exemplo *Rus ire* & *Ruri esse* dixerunt , Præpositione per Ellipsin suppressa : nam *Ruri* sextus est casus , pro *Rure* , sicut *Carthagini* pro *Carthagine* . Plautus Most. *Veniunt ruri rustici* , pro à ruri , sicut Terentius , *à villa* . Idem Plautus Casin. *Uxorem ubi rus abduxero , rure incubabo usque in præfectura mea* , pro in rure . Horatius : *Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum .* Cornelius Nepos: *Ut Romæ consules , sic Carthagine quotannis bini reges creabantur .* Virgil. *Tyria Carthagine qui nunc exspectat .* Hinc planum fit apud Livium lib. 29. legendum . *Præcipue Carthagini prope ut capta tumultus fuit .* Ubi male vulgo , *Capta :* nec enim *ruri Carthagini* Dativi sunt , velut oscitantes Grammatici tradiderunt . Asconius politissimus linguæ auctor in Miloniana Præpositionem sine dubio veterum exemplo sic expressit :

Qui

Qui forte ex rure in urbem revehebatur. Quid nunc? Utrum satis tibi Ciceroni Auctori adversus Ciceronem Grammaticum bene advocatus fuisse videor? Si bene te novi, promisso meo ac recepto egregie me satisfecisse agnosces, nec verbum amplius addendum putabis. Ego nihilominus hoc addam, minus esse mirum usque eo haustum ex puerili Grammaticorum doctrina errorem Tullio insedisse, ut eum neque ratio, neque veterum auctoritates, neque consuetudo loquendi & scribendi cum publica omnium, tum ipsius propria evellere ei potuerit: quando idem ipsum Fabio quoque Quinctiliano, acerrimo literarum judici, videmus usuvenisse, ut eum nihil omnia, quæ jam attulimus, deterrerent, quin Solœcismum esse statueret, si quis dicat, *Veni de Susis in Alexandriam*. Mecum igitur, opinor, ita decernes, neutrum Grammatica satis calluisse, ac propterea, si nunc in terris exsisterent, sicut ipsi nos, quomodo loquendum, docerent, item eos à nobis, cur ita loquendum, discere debere. VALE. Mediolani a. d. XIII. Augusti anni M. DC. XXVII.

PAULO JOSEPHO MERONO
Theologo & Philologo.

IV.

LEgendis Scriptoribus Latinis, quorum ad nos libri pervenerunt, hoc mihi comperisse me videor, neque eos, qui boni auctores linguæ fuerunt, fuisse bonos Grammaticos, neque rursum, qui in Grammaticis præstare visi sunt, fuisse bonos linguæ auctores. Nam quod ad posteriores attinet, ut missos faciam Priscianos, Diomedes, Charisios, Nonios, Donatos, Servios, eorumque similes, ipse certe Varro, togatorum cæteroqui doctissimus, Ciceronis, Cęsaris, Nepotis & Livii dissimillimus exstitit, eaque re deterioris notæ auctoribus annumerari meretur. Ut enim quo quidque propius ab eo abest, quod in quoque genere primas tenet, eo præstabilius judicandum est: sic è diverso tanto deterius videri oportet, quanto longius ab optimi similitudine

litudine se removerit. Neque vero id dubium cuiquam esse potest, qui vel eos ipsos libros, quos de lingua latina ad Ciceronem Varro misit, vel rei rusticæ commentarios, vel denique multa ejus fragmenta librorum cognoverit. Præterquam enim quod tota ejus compositio verborum aspera & salebrosa est, plerisque etiam locis perobscura, eorum iniri vix potest numerus, quæ vel ex priscorum ruderetis jam olim desita & abolita retulit, vel audacia minime ferenda ac plerumque ridicule novavit, vel ad Græcanici sermonis consuetudinem licenter effinxit. Quæ quidem orationis vitia quod cavere neglexissent Cæcilius, Pacuvius & Aquilius, eos malos linguæ auctores Cicero perhibet, quamvis ea ætate vixissent, qua omnes prope præclare loquebantur. Priorum vero, id est, eorum, quos optimos linguæ latinæ auctores fateri oportet, vel unus ille, qui familiam inter eos ducit, Cicero satis exemplo suo fidem fecerit, notæ eos non optime Grammaticos fuisse. Jam alias coram in sermone tibi demonstravi, quam aqua Ciceroni hæserit, cum à Pompejo consultus fuisset, utro tandem modo, *Pompejus tertium Consul*, an *Tertio Consul*, rectius scriberetur, etsi ipse in libris suis nullo discrimine *Tertium* & *Tertio* scribere nihil dubitarat: quoniam videlicet utriusque dicti causam ignoraret, ac perinde ut quivis unus è medio, literarum nihil admodum peritus, consuetudinis impetu auferretur. Meministi etiam quam idem perdita sui defensione usus fuerit, cum ab Attico Solœcismi postulatus esset, eo quod scripserat, *Cum in Piræa exissem*. Nunc aliud ejusdem rei tibi affero specimen, ex quo perspicere licebit, quanta erroris vis fuerit, quo Tullium in primis pueritiæ annis puerilis doctrinæ magister imbuerat, ut postea neque illum ratio neque propria etiam loquendi scribendique consuetudo eo errore liberare potuerit. Verba ejus sunt Tusculanarum tertio: *Invidia verbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Menalippo*: Florem quisnam liberum invidit meum? *Male Latine videtur, sed præclare Attius. Ut enim* Videre, *sic* Invidere florem, *rectius quam* Flori *dicitur. Nos consuetudine prohibemur. Poeta jus suum tenuit & dixit audacius.* Hoc loco quid erraverit Cicero, & quæ erroris illi fuerit cau-

sa, operæ videtur pretium distinctius exponi. Erratum ejus duplex est, unum ad Syntaxin, alterum ad poetæ sensum pertinens. Primum *Invidere* cum accusativo casu poni rationi quidem & juri consentaneum, mori tamen seu consuetudini contrarium sive insolens esse statuit: sed utrobique non parum allucinatur, non quo non ratio postulet, accusativum æque cum verbo *Invidere*, ac cum *Videre* jungi, sed quoniam in hac Syntaxi *Invidere flori*, accusativum deesse putat, quod tamen est aliter: necessario enim Accusativus quispiam subauditur, isque vel proprius seu cognatus, qui actionis formam significet, *Invidiam* puta, vel communis cum multis aliis verbis activis, ut *Honorem*, *Speciem*, *Fortunam*, quæ sunt Objectum actionis, sive materia circa quam invidentia seu malignus intuitus occupatur. Horatianum illud nosti: *Non semper idem floribus est honos*, cui simile hoc Virgilianum: *Frigidus aut sylvis Aquilo decussit honorem*. Apud Plautum Rudent. naufragio ejecti uvidique verba sunt: *O scirpe, scirpe laudo fortunas tuas, qui semper servas gloriam aritudinis*. Hunc scirpo fortunam & aritudinem invidere recte dixeris, cum laudationi non addat verbum *Præfiscini*, quod quidem veteres consuetudine fecisse nosti, ut sine invidia laudem se impertitos probarent. Apud Titinium in Setina, cum Paula mulier novam nuptam ut omnium, quæ Setiæ essent, puellarum pulcherrimam ita collaudasset: *Accede ad sponsum audaciter: virgo nulla est talis Setia*, ab alio nescio quo sic monetur: *Paula mea amabo pol tu ad laudem addito Præfiscini*, nempe, ut Charisius notat, *ne puella fascinetur*. Sed simplicius certiusque est cognatum accusativum subaudiri, ut dictum putetur *Invidere alicui invidiam*, sicut Vovere alicui votum, Pugnare pugnam, Ludere ludum, Quærere quæstum, Furere furorem, Vomere vomitum, Basiare basia, Turbare turbas, Jurare jusjurandum, Currere cursum, Gaudere gaudium, Ridere risum, Somniare somnium, Vivere vitam, Nocere noxam, Servire servitutem, Sicut ergo, cum dicit Lucretius: *Tibi rident æquora ponti*, subaudimus *Risum*, & in hoc Tullii, *Gaudeo tibi*, *Gaudium*, in ista ejusdem Lucretii: *Sibi quisque valere & vivere doctus*, *Valetudinem & Vitam*, in pervulgato *Nocere alicui*, *Noxam*,

tam, in *Servire alicui*, *servitutem* : similiter in *Invidere alicui* suppressum audimus *Invidiam*, etsi *Invidere aliquem* non minus recte dicitur, quam *Nocere & Servire aliquem*, quæ Plautus frequentat. Eodem certe modo *Adulari aliquem* Ciceroni & æqualibus in usu fuit, non tamen ut *Adulari alicui* aspernarentur, quod perperam Quintilianus sibi persuaserat: nam apud Nepotem, cujus dictionem tamquam divinam ipse prædicabat Cicero, in Attici vita legimus: *Neque eo magis potenti adulatus est Antonio*. Sic apud Livium lib. 3. 69. *Consules per proditionem dignitatis patrum plebi adulatos*, sed in eo *Adulationem* subauditur. Est ergo circa verborum Attianorum Syntaxin primus Ciceronis error, quod quomodo ea Rationi sit consentanea minime percepit, id est, Figuram, Accusativi puta ellipsin, non animadvertit. Non minus tamen Ratio eum fugit, cum *Invidere*, cum accusativo bene loquentium & scribentium Consuetudini repugnare censet: nam & ipse hoc ipso Tusculanarum loco duobus ante versibus ita scripserat: *Invidia tum est, cum invidetur*, quo exemplo idem alibi: *Invidetur commodis hominum ipsorum*, ubi supplendum est *Invidia* sive *Invidere* vim nominis habens. Cum enim ista sit affirmatio, nomen pariter & verbum in ea sit necesse est, cum scilicet oratio sit, in qua de altero alterum, id est, de nomine verbum affirmatur. Jam ratio dictat, ut Nomen, quod in recto casu est passivi suppositum, idem in accusandi casu sit verbi activi appositum. Itaque si *Invidia invidetur*, à loquendi consuetudine non abhorret, non minus *Invidere invidiam*, consuetudini consentaneum fateri oportet. Sed nihil multa argumentatione opus est, cum rursum eodem libro Ciceronem *Invidere* cum accusativo ex consuetudine posuisse videamus. Sic enim loquitur: *Ut nobis optimam naturam invidisse videantur, qui nihil melius populari gloria judicarunt*. Cui simile hoc Virgilii: *Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar, Invidet*. Horatius: *ego cur acquirere pauca, si possum, invideor*, ubi *Ob* seu *Propter* subaudiendum est, ut *Vituperor hoc fecisse*, pro, *ob fecisse hoc*, seu *ob hoc factum* : aut hoc modo interpungemus locum: *Ego cur, acquirere pauca si possum, invideor*. Sed vero tandem modo dixerit, sive *Invideor ob*

acquirere, sive *Invideor*, *si possum acquirere*, necesse est, ut recte dicatur, eisequi eum invideant, quomodo Ovidius in Laodamiæ epistola: *Troadas invideo*, *quæ sic lacrimosa suorum Funera conspicient*, *nec procul hostis erit*. Atque hinc satis planum jam factum arbitror, quam Cicero cum aliorum, tum propriæ consuetudinis oblitus fuerit, cum se, ne verbo *Invidere* accusativum jungeret, *consuetudine prohiberi* dixit, nec poetam Attium, quod Rationi serviens a consuetudine discesserit, insolentiæ & audaciæ insimulare dubitavit. Jam quod ad versiculi Attiani sententiam attinet, fallitur non parum Cicero, cum sensus nihil interesse arbitratur, sive *Flori*, sive *Florem invidit*, in eo legas. Ut enim ipse agnoscit, *Invidere aliquid* est nimis videre in aliquid, obtutu uno defixum intueri aliquid; & velut idem Attius in Tereo loquitur; *conspicere in aliquid*. Postea per Metonymian causæ duplex verbi orta est notio, cum duplex invidentiæ; id est; intuitus; adspectus; &, ut ita dicam; *inspicientiæ* effectus sit; unus internus subjecti, nempe dolor, alieni boni intuitu excitatus, ex quo *Dolere oculi*, sive dolori esse; aut dolorem afferre iis dicuntur, qui animo minus æquo alienum, quod intuentur, bonum ferunt: & isti *Invidere alicui* dicuntur: alter externus objecti, nempe fascinatio ejus, cujus quis bonum maligno oculo intuetur, & tunc *Invidere aliquem* dici res postulat: quo pertinet illud Virgilii: *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos*, ubi pro *Fascinat*, per Metonymiam eodem sensu dicere poterat; *Invidet*, quo ipso sensu Attius videri potest dixisse: *Quisnam oculus florem liberorum meorum mihi invidet seu fascinat*? Catullus quidem utroque verbo indiscriminatim utitur. Prius quidem hoc modo: *Conturbabimus basia*, *ne sciamus*, *Aut ne quis malus invidere possit*. Postea autem sic: *Quæ basia nec pernumerare curiosi possint*, *nec mala fascinare lingua*. De hujusmodi maligno invidentis oculo etiam in sacris habemus, Proverb. 23. *Ne comedas cum homine invido*. Ubi Græce est: *μὴ συνδείπνει ἀνδρὶ βασκάνῳ*, id est, *ne convescaris homini fascinatori*, nempe *πονηροφθάλμῳ*, mali oculi viro. In Hebræo fuerat: *Ne comedas panem mali oculi*, id est, invidentis seu maligne intuentis, qualis est operarii illius Matth. 20. ad quem Dominus: *An oculus*

oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? id est, an tu aliis bonitatem seu liberalitatem meam invides? sive an oculi tibi dolent, dum meam in alios bonitatem intueris? Eodem pertinet Horatii versus: *Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat.* nam id est, nemo ruri mihi invidet, nemo maligno oculi obtutu mea commoda corrumpit seu fascinat. Fascinationem enim sive *βάσκανον* dicebant, *τὸν ὀφθαλμοῖς κτείνοντα καὶ φθείροντα τὸ ὑπ' αὐτοῦ ὁραθὲν*, *qui oculis interimit & corrumpit, quod ab ipso cernitur*, ut laudatus Lambini Theocriti Scholiastes interpretatur. Atque hoc ipsum sibi volunt Attii verba, fuisse scilicet, qui obliquo & maligno oculo liberorum florem limaverit seu corruperit aut interemerit: quod contra Cicero interpretatur, fuisse, quem conspectus liberorum flos invidiæ dolore affecerit, sive, cui ex felicitatis liberorum intuitu oculi doluerint.

Reliquum nunc est, ut quæ Ciceroni erroris causa fuerit, consideremus. Grammatices videlicet doctor ei primis pueritiæ annis persuaserat, verba quædam *Absoluta* sive *Neutra*, hoc est, nec activa, nec passiva esse, adeoque nec Accusativum ab illis regi. Eo factum est, ut *Invidere* neutrum esse crederet, eique accusativum adjungere dubitaret: nisi si quando consuetudo & quotidiani sermonis usus regulæ illius memoriam ei excussit, etsi non minus consuetudinis cum aliorum, tum suæ, oblivisci fuit solitus, cum usus illi venit, ut de dicti scriptive ratione cogitationem aliquam susciperet, quod in examinando Attii versu jam vidimus contigisse. Ab ejusmodi errore nullum cuiquam posthac erit periculum, qui *Minervam* nostram *Sanctianam*, sive *de causis linguæ Latinæ comentarium*, ex eaque formatas nostras *Grammaticæ latinæ institutiones* cognoverit. Sciet enim, omne Verbum, quod *ὑπαρκτικὸν* seu Substantivum non sit, hoc est, præter *Sum* & *Fio*, aut activum, aut passivum, nihil neutrum esse, cum omnem motum aut actionem, aut passionem esse necesse sit. Sciet etiam omne verbum activum aut unum modò proprium, seu cognatum & domesticum, aut alios etiam exteros, sive alienos pluribusque verbis communes Accusativos sibi adsciscere, idque hoc discrimine, ut accusativo proprio significetur *Forma* actionis, quæ, ut in Scholis

 loquun-

loquuntur, *dat Esse actioni*, sive, per quam actio est, quod est ut in illis, quæ recensuimus, *Ridere risum*, *gaudere gaudium*, *furere furorem*, *vivere vitam*, *nocere noxam*, *servire servitutem*; similiterque in *Sedere sessionem*, *ambulare ambulationem*, *stare statum*, *saltare saltationem*: communi vero & externo *Objectum* denotetur, seu *Materia circa quam* actio occupatur, sive etiam *Effectus* quispiam, ut *Amare virtutem*, *Discere literas*, *audire vocem*, *videre lucem*, *scribere epistolam*. Non etiam causam ignorabit, cur Accusativum proprium Latini plerumque supprimere maluerint, quippe quod eum ab omnibus sua sponte subauditum iri minime dubitarent. Quis enim non intelligat Gauderi gaudium, etsi quis non nisi *Gaudere se* dixerit? Ubi tamen actionis modus & formæ ejus quoddam velut genus significaretur, cognatus ille accusativus necessario exprimebatur, ut *Gaudeo gaudium tuum*, *videt risum absurdum*, *servit servitutem publicam & durissimam*, *currit cursum percelerem*, *ambulat ambulationem solitam*; quoniam scilicet *Gaudii* species quædam sunt tuum & alterius: *Risus*, absurdus & decens, *servitutis*, publica eademque dura, & privata justa ac clemens; *Cursus*, celer & remissior: *Ambulationis*, consueta & insolita: quæ ipsa in aliis omnibus est ratio. Neque tamen propterea quod sine accusativo plerumque posita inveniantur, ea ex Activorum censu exigere decet, cum etiam ex illis Activis, quæ diversos accusativos adsciscunt, plurima recitari possint, quæ absolute poni solent, eo scilicet, quoniam quis accusativorum à brevitatis & compendii studio per Figuram reticeretur, quotidiani sermonis usus neminem paulo humaniorem dubitare patiebatur. Ex quo genere sunt, *Imponere alicui*, nempe sarcinam velut asino, *Prælucere alicui*, nempe facem vel cereum, *Tendere* vel *Pergere aliquo*, nempe iter, *Detrahere alicui*, nempe laudem, *Cedere*, *Decedere*, vel *Succedere alicui*, nempe locum, *Cavere sibi*, *Timere alicui*, *Metuere ab aliquo*, *de aliquo*, *pro aliquo*, nempe malum, *Obire*, *Occumbere*, *Oppetere*, nempe mortem, *Solvit*, *conscendit*, *in portum appulit*, nempe navem, *Ignoscere alicui*, nempe peccatum, *Ire*, *inire*, *ingredi*, nempe viam, *Consulere* vel *Prospicere alicui*, nempe utile vel commodum, *Incipere*, nempe principium. Pleraque

que denique verba agentia, quorum ſuppoſitum in ſe ipſum agit, ſupprimere accuſativum conſueverunt. Cum enim legimus, *Terra movit*, *nox cælo præcipitat*, *bene vertat*, *res bene habet*, *ira leniunt*, *venti tenent*, *venti poſuere*, *anno vertente*, *volventibus annis*, *veſtibulum pulverat*, *pallium maculat*: in his omnibus accuſativus *Se* ſubauditur, quod quidem alia idoneorum auctorum nos loca docent, in quibus ex Artis præſcripto Accuſativum expreſſerunt, id quod in *Minerva* non minus, quam ſuperiora compluribus exemplis comprobatum vidiſti. Et quoniam te non minus limato in literis judicio præditum, quam caſtiſſimæ dictionis Latinæ potentem eſſe comperi, neminemque eorum, qui hodie latinè ſcribunt, temere tibi antepono, minore me negotio, quod tibi jam viſum eſt, cæteris probaturum confido, cum videlicet ipſi Tullio multis modis fraudi fuerit, erroreſque tam deformes objecerit, puerilis doctrinæ præceptis perperam imbutum fuiſſe, multo idem magis noſtræ ætatis hominibus uſuvenire oportere, ut ſcilicet, quandiu errores, quos in Grammaticorum ſcholis conbiberunt, miſſos non fecerint, noſtræque *Minerva* monita in aures animoſque admiſerint, veram Latinitatem non niſi per caliginem videant, inque ſcriptis auctorum interpretandis turpiter ſubinde allucinentur. Vale. Mediolan. a. d. 15. Auguſti anni 1627.

JULIO CÆSARI CAPACCIO Neapolitano.

V.

EOrum hominum, qui Latinis literis cenſentur, alios meliores ſcriptores, quam judices ac cenſores, alios rurſum meliores judices, quam ſcriptores eſſe comperio: quod quo minus incredibile videatur, conſimile quiddam in re architectonica uſuvenire in tertio Politicorum Ariſtoteles monet, ut ſcilicet longe melius de domo jam facta judicet, qui eam colit & poſſidet, quam artifex, qui eam architectatus eſt. Minime autem obſcura eſt ratio, cur, qui explorato de Latinita-

te judicant, non fere eleganter Latinè scribant. Deest enim illis scribendi exercitatio, sine qua ut bene scribatur, fieri prorsus non potest. Omnem quippe operam in iis occupant, quæ ad eruditionis copiam faciunt, Grammaticos veteres omnes diligenter excutiunt, cum eos, qui vel artem totam, vel de certa ejus parte commentati sunt, quos duobus voluminibus comprehensos Putschius postremum edidit; tum illos, qui de verborum Latinorum origine, significatione aut usu literis aliquid consignarunt, quorum sunt Varro, Festus, Agellius, Macrobius, Nonius, Philoxenus, Placidus, Isidorus aliique Glossarum scriptores; tum eos denique, qui veteres auctores explanandos susceperunt, tanquam Asconius Pedianus Ciceronem, Cornutus Persium, Donatus & Eugraphius Terentium, Servius & Junius Phylargyrius Virgilium, Acro Horatium, Luctatius Statium, quibus auctorem glossarum in Juvenalem & Persium à Petro Pithæo editum addamus licebit. Deinde autem ipsos linguæ auctores, eorumque ætates diligentissimè inter se contendunt, ut non modo, quæ cuique auctorum sua ac propria sint, sed etiam quid quaque latini sermonis ætate sit dignius, discernere queant, cum jam tum ætate sua Fabius, aliquanto etiam ante Seneca linguam ab ævi Augustæi puritate degenerasse fateantur. Adhæc in meliorum temporum auctoribus non verborum modo loquendique generum elegantiam animadvertunt, sed hoc amplius origines ac nativas, & (velut Varro loquitur) primigenias vocabulorum significationes indagare curæ habent, cum certum habeant, unam tantum uniuscujusque vocis significationem esse, reliquas eis per Tropum aliquem accessisse. Præterea delectu utuntur in auctorum editionibus, nec una illa, quam eis casus obtulit, contenti sunt, sed operam dant, ut quam emendatissima accuratissimeque cum veteribus libris collata & typis expressa potiantur: nam his annis sexaginta proximis omnes bibliothecas publicas ac privatas summo studio excussas fuisse constat, eoque contigit, ut omnes fere scriptores veteres ab hominibus ingenio, doctrina & judicio præstantibus recensiti, notisque & animadversionibus, nonnulli etiam justis explanationum commentariis

tariis auctiores prodirent, quorum operam refutare & aspernari beneficium non nisi ejus videtur, quem frugibus divino beneficio inventis adhuc glandibus victitare delectet. Qui vero auctores hodie ex Coloniensium præcipuè & Venetorum typographorum officinis exeunt, tot mendis ac prodigiosis erroribus obsiti deprehenduntur, ut neque ipsi cuiquam usui esse possint, & id genus furtum, vel dicam sacrilegium nefariis illis hominibus impune esse, nec ab iis, qui rerum potiuntur, *gladio ad vindictam malorum* ipsius commisso recidi ad perpetuam eorum ignominiam pertineat. Porro autem ne illa quidem cognoscere eos piget, quæ recentiores Critici & politiores literas professi velut symbolæ conferendæ causa multo studio elucubrarunt, qualia sunt, quæ compluribus Thesauri Critici Tomis Gruterus fuit complexus, tum varia Petri Victorii, Guilhelmi Budæi, Hadriani Turnebi, Barnabæ Brissonii, Jacobi Cujacii, Petri & Nicolai Fabrorum, Andrææ Alciati, Caroli Sigonii, Antonii Augustini, Petri Ciacconii, Fulvii Ursini, Oberti Gifanii, Scipionis Gentilis, in primisque Justi Lipsi opera. In illis enim etiam qui veteres omnes translegerit, longe plurima inveniet, quæ ignoret, quæque ab eo, qui hospes in literis videri nolit, sciri debere judicet. Ad extremum hoc etiam ad rem pertinere judicant, ut usum habeant veterum monumentorum tamquam numismatum, inscriptionum & codicum multis abhinc sæculis scriptorum, ut ne in antiquitate penitus hospites sint, semperque aliis de ea referentibus credere necesse habeant. Atque ista ferè sunt, in quæ curas suas ii distrahunt, qui Critici perhiberi ac de literis literatisque judices sedere postulant: quæ quidem tam multa tamque varia sunt, ut eos orationis cultui vacare pœne sit inconcessum. Nam nec illa res non totum sibi hominem videtur vindicare, cum etsi perpauci, quos quis scribendo imitetur, multum tamen ei ac sæpe lectitandi sint, ne in vitium illud incidat, quod *κοινισμὸν* Fabius vocat, quod est mista quædam & confusa ex variis inter se dissimillimis verborum generibus dicendi ratio: quo ferè vitio Transalpini homines laborant, id quod minus, quam Itali, judicio valeant. Hi enim quod exactissimi judicii esse

Fa-

Fabius rectè censet, qui sit in uno quoque genere optimus, sumunt imitandum, tum ut quisque est optimo simillimus. Ita poetæ Virgilium, Horatium, Lucretium, Catullum, Tibullum & Propertium, tamquam ætate conjunctiores & inter se similiores dignos demum censent, ad quorum exemplum in scribendo conformentur. Qui verò solutæ orationis laudem animo affectant, Ciceronem, Cæsarem, Cornelium Nepotem & Livium, quosque Cicero deterso antiquitatis squalore imitandos ipse censuit, Plautum & Terentium exprimere conantur. Reliquos tamquam istorum dissimiliores, ex eoque deteriores (quod non ferè ne ipsi quidem inficiantur) aut prorsus missos faciunt, aut hactenus tantum cognoscunt, ut ex iis ea excerpant, quæ ex multo superiorum usu ejus esse notæ judicant, ut ea ne Cicero quidem dedignaturus fuisse videatur. Hinc porro evenit, ut longe plures una Italia, quam cætera Europa, produxerit seu solutæ, seu pedibus illigatæ orationis laude insignes, quorum non paucos ne Ciceronis quidem & Virgilii ætas aspernetur. Rursum tamen contingere Italis fatendum est, ut fere quo quisque est scribendo cultior, si in congressu hominum doctorum (eorum dico, qui docti sunt, non qui tales se existimari satis habent) de re literaria mentio sit illata, aut turpiter obmutescat, aut ea in medium afferat, quæ nihil eum quovis fossore aut caprimulgo interesse arguant, adeoque ludum intelligentibus jocumque faciant. Neque tamen hoc eo fit, quod non longe judicio Itali cæteros Europæos præstent, sed quod nemo de illo, quod cognitum non habet, explorate liquidoque judicare potest. Sed nec hoc non eis in loco usuvenit, ut parum caveant, ne orationem cæterum purissimam & elegantissimam iis vel verbis, vel loquendi generibus inquinent quæ ipsis, seu malorum librorum lectio, sive hominum non satis doctorum usus, seu denique vernaculi sermonis idioma nec opinantibus affricuit: quod fortassis effugerent, si aut ipsi plura legissent & observassent, aut se suaque minus amarent, nec eos, quos plus eruditioni, quam eloquentiæ & ornatui operæ tribuisse norunt, consulere fastidirent. Exemplo sit vel civis tuus nobilissimus Sannazarius,

qui

qui quidem omnium nationum concessu Latine scribendi palmam ita sibi vindicavit, ut nullo genere vel Tibullo, vel Propertio inferior censeatur, unoque omnes ore hoc Bembi Cardinalis elogium, quod cum apud vos essem Mausolæo ejus inscriptum mihi monstrabas, in eum consentiant.

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Sincerus Musa proximus, ut tumulo.

Hic tamen præ se *Angelum Bassum*, à patria *Politiani* nomine notiorem, non aliter quam si vix ultimæ notæ Grammatista foret, contemnere & versibus insectari ausus est, quod eum sermonis puritate minimè sibi parem esse recte judicaret. Etsi enim ille quoque versus scripsit Latinos, qui vetustati se possint inserere, nihil tamen ad Sannazarium. Habuit tamen alia, quorum causa non Sannazarius modo, sed quotquot ætas illa, doctorum hominum minime sterilis, habuit, quotque exinde ad hanc usque diem Europa tulit, eum & colere & admirari merito poterant. Mitto Jurisprudentiam, mitto Philosophiam, in qua Marsilio Ficino Platonico & Johanne Argyropilo Peripatetico doctoribus, Pico verò Mirandulano studiorum socio tantum profecerat, ut eam magno cum applausu publicè doceret: Græcos versus ea elegantia scripsit, ut Græcorum nemini priores relinquere judicaretur. Latina verò ejus oratio etsi *κοινισμὸν*, de quo dixi, effugere curæ non habuit, tantum tamen habet Veneris tantumque argutiæ, ut nemini, quamvis decies relecta, satietatem afferat, aut, ut Plinius loquitur, tædio veniat. Quem denique censes eum fuisse, cui se homo Italicis ingeniis palam iniquus Josephus Burdoscaliger continere non potuit, quin hoc in castigationibus Catullianis præconium impertiretur? *Omnium maxime ridiculus Marullus, qui cum nullum, aut admodum exiguum sensum harum literarum haberet, ridet Politianum, virum non solum se majorem, sed & cum nullo nostræ ætatis comparandum.* Putares hoc eum pacto injuriam redimere conatum, quam Julius pater ejus Politiani manibus fecerat, cum non solum immaniter, sed & mendaciter in poematis hoc ei versu insultavit: *Obsceno moreris sed Politiane furore*, quod quidem à Medicææ domus æmulis confictum fuisse

fuisse Johannes Pierius Valerianus de literatorum infelicitate lib. 2. hoc modo testatum facit:

Angelus Politianus nullius ignarus: eruditionis & disciplinæ cum in adversa Medicaorum procerum tempora incidisset, inclinantibus jam Petri, quem ipse literis instituerat, rebus, in eam incidit ægritudinem, ut in multis & variis molestiis cogitationibusque consolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore mæstitiaque confectus exspirarit; quodque illi longe fuit infelicius, conficta in eum turpitudinis fabula, maledicentissimis obtrectationibus proscissus calumniatusque est, utque ea gens (Florentina *) promptissima est ad insimulandum, in invidiam Petri ipsius ignominiosam aliam mortis voluntariæ causam universo terrarum orbi magna cum ejus infamia propalarunt.*

Nimirum hoc Politiani peccatum fuit maximum, quod disciplinæ ejus alumnus Petrus Laurentii literarum parentis filius ea corporis specie fuit, ut multi non sibi potius, quam Politiano, familiarem ejus usum contigisse, æquis animis concoquere vix possent. Hinc illud natum Bartholomæi Scalæ insulsi ac malevolentissimo genio nati hominis epigramma, quod Politianus innocentiæ suæ sibi conscius ultro in epistolis suis evulgavit, cui etiam quid pro se reposuerit, operæ pretium est cognoscere:

Sunt (inquit *) quidam familiares tui, qui latere cavillum nescio quod in calce dicant istius epigrammatis, quod equidem nec agnosco, nec credo. nam & tu homo prudens non temere jeceris in alterum, quod in te facile rejiciatur: & me adeo morum non pœnitet, ut si turpiculè aut nequiter quippiam dixeris, pertinere id ad me ideo credam.*

Sed ad Sannazarium ex diverticulo revertor: qui si Politianum velut multis millibus se doctiorem consulere, quam propter invidiam & esurientis illius Græculi, Marulli amicitiam (quem idem Pierius inter horrendas diras *dictaque in æternos aspera verba Deos* in aquæ modicæ rivo suffocatum interisse auctor est) laudes ejus obtrectare & infestis eum versibus discerpere maluisset, cum alia non pauca ab eo discere, tum hoc etiam moneri poterat, ne poemata sua verbo non modo sordido,

sed

ſed & barbaro contaminaret, quod eſt *Permingere*, nec enim quiſquam Latinorum *Mingo*, umquam, ſed *Mejo* dixiſſe reperitur. Eadem ipſa porro fiducia ſui nimia hominumque literatorum minus ornate ſcribere ſolitorum contemtus aliis quoque magni nominis hominibus fraudi fuit, ut eorum hodie opera cedro minime indigna fœdis quibuſdam mendis deformata habeamus. Hujus rei illuſtria exempla complura in eo libro, quem de ſtili Hiſtorici virtutibus decem ab hinc annis conſcripſimus, lector inveniet. Hoc loco libet pauca ex *illuſtrium poetarum Italorum tomo primo* Lutetiæ an. 1576. edito (quoniam ejus libri copiam ſuperioribus hebdomadis amici comitate nactus ſum) in medium afferre, ut non id modo, quod dicere cœperam, lectori probem, ſed alii etiam magnis ingeniis præditi modeſtè de ſe ſentire diſcant, nec alienam cenſuram prorſus velut ſupervacuam aſpernentur. Pagina ergo tertia in Johannis Cargæ terſiſſimis magnæque pietatis carminibus hunc invenio Senarium, *Ut te ſecutus clara ſuper ſidera*: ubi priorem ſyllabam in *Super* produci videmus, quam brevem eſſe nec puer ſine flagitio ignoret. Pagina poſtea 37. averſa in politiſſimi prorſuſque ad unguem facti hominis F. Marii Molſæ elegia pentametrum hunc lego: *Imperio dignus qui videretur erat*: ubi; ſecunda in *Videretur* vitioſe corripitur. Idem pagina 39. averſa: *Arctius at miſerum vincierant oculi*, pro *Vinxerant*, quod rectum erat. Et pag. 47. *Me duce læta tua mittantur nuncia genti*. Mendoſo ſcilicet aut adulterino Catulli verſu inductus, *Nuncium* nomen ſubſtantivum eſſe credidit, cum auctorum uſus & veterum Grammaticorum conteſtatio planum faciat, adjectivum eſſe, cum quo ſemper ſubſtantivum ſubaudiatur, ut Nuncius homo, vel rumor vel ſermo, Nuncia fama vel res, Nuncium verbum. Et pag. 48. averſa: *In tibi vicino me velis eſſe loco*, poſteriorem in *Velis* ex longa facit brevem. In Baltaſaris Caſtilionis ſummi poetæ eleg. pag. 68. *Carcer* neutro genere dictum invenio. *Et validum nimis hæc lumina carcer habent*. Sed ille *Carcerem* fortaſſe ſcripſerat, nec enim uſque eo antiquarium fuiſſe credo, ut Claudium Quadrigarium imitari voluerit, cujus ex quarto Annali Priſcianus recitat: *Ne ad carcer pervenerit*.

Jam

Jam pag. 69. plorantibus, opinor, Musis *Rideo* prima correpta protulit hoc versu: *Huic ego delicias facio, arrideoque jocorque*. Pag. 165. aversa in Petri Bembi elegia: *Et me si videat quis vestrum accedere ad illam, Avertat se, aliam dissimuletque viam*: Dissimulare pro Assimulare nulla prorsus ratione dicitur, cum res contrario nomine oppositas significent. Sed ei fortasse mendosus Plauti versus imposuit Epid. act. 2. sc. 2. *Atque dissimulato quasi per totam urbem hominem quasiveris*. Ubi scriptorum codicum fide jam annis abhinc amplius triginta reponendum monui: *Itaque assimulato*. Ejusdem Bembi est pag. 174. aversa: *Ten' decuit toties ultima damna pati*? quomodo & Paulum Manutium, aliosque claros viros *Damnum* vel *Detrimentum pati* dicere scio. Sed id haud dubie barbarum est, cum idioma Latini sermonis postulet, *Facere*, *capere*, *accipere damnum*, aut *damno affici*, sive ut Terentius ait, *augeri*. Unus Seneca philosophica licentia sic sibi loqui permittit lib. 1. de Ira cap. 2. *Totos populos capitis damna passos*. Cato apud Agellium lib. 11. cap. 2. videri queat nove dixisse *Detrimentum facere* pro efficere, afferre, sive ut rure loquuntur caussare: *Si nihil exerceas vitam, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio*. Sed etiam, qui afficitur damno, aliquid rei suæ demit seu deterit, similiterque jacit aut projicit, unde *Jacturam facere* dicimus. Pag. 209. aversa in Andreæ Naugerii hymno est: *Tu dum fers nova nuncia*, quod jam in Molsa notavi. Pag. 235. in Antonii Marii versu *Cupiditas* secundam habet productam in hoc Jambico dimetro: *Non me impii cupiditas*. Pag. 273. aversa Jani Etrusci versus est: *Quod liquidi irrigant fontes per opaca viarum*. Ubi *Irrigo* media longa poni quis non stomachetur? Pag. 285. aversa in Annibalis Cruceii epigrammate: *Exosusque mihi alterius constringor amore*. Exosus pro Invisus ponitur, vel Offensus, quod Suetonius usurpat in Galba cap. 16. *Per hac prope universis ordinibus offensus vel pracipua invidia flagravit apud milites*. Sed multo locupletiorem ea vocis significatio auctorem habet, Ciceronem puta Verrin. 3. *O miserum atque invidiosum offensumque paucorum culpa ordinem senatorium*. qui etiam pro eodem *Infensum* dicit Catil. 1. *Si me meis civibus suspectum tam graviter atque infen-*

Infensum viderem. Plautus eodem sensu *Infestum* Trucul. act. 1. sc. 1. *Quem infestum ac odiosum sibi esse memorabat*. Et Livius lib. 26. 39. *Nico Tarentinus non publico modo, sed privato etiam odio invisus atque infestus Romanis*. Exosus non nisi ἐνεργητικῶς dicitur. Virgil. *Pugnas exosa relinquo*. Ubi Servius: *Exosus & Perosus de eo tantum, qui odit, dicitur*. Plauti Amph. a. 3. s. 2. verba Alcumenæ sunt: *Inimicos semper osa sum obtuerier*. Agellius nequaquam idoneus Latinitatis auctor primus eo παθητικῶς usus est. Jam in Joh. Matthæi Toscani venustissimis poematis pag. 6. lego: *Hellespontiacam cedat, qui ratibus oram*. Ubi prima in *Ratibus* male producitur. Ejusdem pag. 11. aversa *Vibicem* media correpta habemus: *Vibicibus texit lævia membra flagrum*, ubi etiam corpus vibicibus tegere, pro notare, implere, minime Latine dici videtur. Idem pag. 14. *Petiturus* secunda brevi extulit: *Vel solidi petiturus auri*, quomodo & pag. 23. *Mentis eat petiturus arces*. Pag. 17. *Stagiram* Aristotelis patriam media brevi dixit, cum sit στάγειρα Pag. 32. aversa: *Difficili spatio dissita terra vetat*, pro Terra remota. *Dissitus* sic Latine non dicitur, etsi recentiorum doctissimi quique eo uti non dubitant. Significat enim dispersus, disseminatus, diditus, à *Dissero* quod est sparsim sero sive semino. Ita Lucretius *vim animæ per totum corpus dissitam* dicit. *Longe dissitus* pro remotus Apuleii asino, quem Tullio aut Livio dignius est. Pag. 36. aversa *Vitare* prima brevi ab eodem Toscano positum miror: *Hanc ergo ut maculam vitemus ipsa*. Idem pag. 58. *Mellitam* media brevi profert in hoc phaleuco: *Ista mellitula ora suaviari*. Non ita Urbanus noster Pontifex Maximus in extemporali disticho suo de aqua Mellita Vaticani fontis, cum eam Scioppio probatam comperisset:

Parcite Romani Mellitam dicere. laus est
Maxima Germano me placuisse viro.

Ut autem aliud præterea specimen exhibeam, ex quo cerni possit, quam necessaria sit vel eloquentissimis hominibus amici non Humaniores modo, sed etiam Interiores literas docti admonitio, quotusquisque est eorum, qui elegantiæ Latinæ laude florent, cui religio sit dicere, *Ego fabulis nullam fidem adhibeo*, pro nihil credo. quos si quis eo nomine reprehendat, trium primæ clas-

ſis ſcriptorum auctoritate ſe tutari volent. Primum enim Plaut. Rud. act. 4. ſc. 2. ita loquitur:

Quamquam ad ignotum arbitrum me appellis, ſi adhibebit fidem,

Etſi eſt ignotus, notus eſt: ſi non notus ignotiſſimus eſt.

At enim hoc loco *Adhibere fidem* non eſt Credere, ſed afferre fidem, uti fide ad cauſam dijudicandam, ſicut adhibere diligentiam, adhibere officium erga aliquem, adhibere alicui conſolationem, adhibere fidem in amicorum periculis, oratio lumen rebus adhibere debet. Deinde ex Ciceronis 2. de div. afferunt: *Quod ſi inſanorum viſis fides non eſt adhibenda, quia falſa ſunt, cur credatur ſomniantium viſis, quæ multo etiam perturbatiora ſunt?* Ubi perſpicuè contendunt, Adhibere fidem pro Credere uſurpari. At enim ſi feciſſent, quod eis, qui verè de literis judicare volunt, faciendum demonſtravi, ut veteres ſcilicet codices, aut editos, veterum fide diligenter emendatos, conſulerent, non *Adhibenda*, ſed *Habenda* Ciceronem ſcripſiſſe ſcirent. Legant Petri Victorii notas, conſulant Manutii & Gruteri editiones, invenient, ſcio, cur ipſos erroris tædeat. Tandem apud Cornelium Nepotem in Themiſtoclis vita ſic legi defendunt: *Æquum eſſe illos viros bonos nobileſque mittere, quibus fides adhiberetur, qui rem explorarent.* Sed Lambinus edidit: *quibus fides haberetur*, monetque in notis: *Sic legendum, non ut habent vitioſi codices, Adhiberetur.* Verum mihi dubium non eſt, quin totum hoc, *Quibus fides haberetur*, ex gloſſa vel interpretatione ad oram libri poſita, in contextum orationis irrepſerit, eoque expungi debeat. Eſt enim palam otioſum. Si enim Lacedemonii ex civibus ſuis viros bonos nobileſque Athenas mitterent, qui rem explorarent, fieri aliter non poterat, quin maximam eis rerum omnium fidem haberent. Minus autem difficulter ei hoc probavero, qui aſſidua hujus ſcriptoris lectione non ſemel idem ei uſuveniſſe deprehenderit, ut ſcilicet quæ quis verba interpretandi cauſa adſcripſiſſet, ea poſterius ſimul cum auctoris verbis librarii perſcriberent, cujus rei unum alterumque ſpecimen placet ſubjicere. In vita Miltiadis ita legimus.

Cum multi ejus demigrationis peterent ſocietatem, ex

his

his delecti Delphos deliberatum missi sunt (qui consulerent Apollinem) quo potissimum duce uterentur. His consulentibus nominatim Pythia praecipit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent.

Ubi verba his signis ( ) à me inclusa sine dubio sunt adventitia, nec enim delecti illi hoc deliberarunt, quinam consulere Apollinem deberent, sed ipsi potius eam rem consuluerunt. Aliud quippe est, Missi sunt ut deliberarent, à quibus consuleretur Apollo; aliud, Missi sunt, ut deliberarent, quem sibi imperatorem sumerent. Sed nimirum verba inclusa adscripta fuerant ab eo, qui declarare volebat vim vocis *Deliberatum* Eam porro idem valere, quod *Consulere*, hic ejusdem Nepotis in Themistocle locus ostendit:

Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent.

Alter locus est in vita Timothei:

Huic in consilium dantur duo, usu & sapientia praestantes (quorum consilio uteretur) pater & socer.

Hic similiter verba inclusa sunt interpretatio ejus, quod dictum fuerat, *Dantur in consilium*, ut mirer Lambinum glossematam putidum ejicere non ausum. Magis tamen est, quod mirer, & Lambinum, & eos, qui post illum Nepoti manus admoverunt, cum omnia auctorum loca, in quibus Nepotis fit mentio, studiosè in unum congessissent, Ciceronis locum omisisse, qui unus trium millium instar esse poterat. Is est lib. 16. ad Attic. epist. 5.

Nepotis epistolam expecto. Cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ (glorior) *legenda non putet. Et ais, μετ' ἀμύμονα* (post irreprehensibilem) *tu verò ἀμύμων* (inculpabilis) *ille quidem ἄμβροτος* (immortalis seu divinus) *Mearum epistolarum nulla est συναγωγὴ* (Collectio) *sed habet Tiro instar septuaginta, & quidem sunt à te quadam sumenda. Eas ego oportet perspiciam, corrigam, tum denique edentur.*

Nimirum Attico scripserat Nepos, maximi se Ciceronis epistolas facere, vehementerque adeo cupere, ut earum epistolarum volumen edatur. Hujus rei Ciceronem Atticus certiorem faciens, ei gratulandum duxit,

cum tanti à Nepote fieret, qui præſertim unus omnium elegantiſſime ſcriberet, & ab ipſo Cicerone alter eſſet, velut ab Achille Ajax, qui Homero deſcribi ſolet fortiſſimus.

Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα πηλεΐωνα

Ex Græcorum aliis poſt inculpabilem Achillem.

Reſpondet ergo Cicero, permirum ſibi videri ſuas epiſtolas à Nepote expeti, quem tam elegantis ac faſtidioſi judicii eſſe comperiſſet, ut etiam illa, de quibus ipſe maxime ſibi placeret, aſpernaretur. Cæterum non ſe, ſed Atticum eſſe illum, qui cum Achille comparari debeat, omnique reprehenſione vacet. Nepotem verò prorſus in Latinè ſcribendo divinum eſſe, eoque incomparabilem. Quo vero nomine Ciceronis epiſtolas Nepos tanti faceret, ipſe in vita Attici totidem verbis promptum habere voluit.

Qui legat volumina epiſtolarum Ciceronis ad Atticum miſſarum, non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipub. perſcripta ſunt, ut nihil in iis non appareat, & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem. Non enim Cicero ea ſolum, quæ vivo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam quæ nunc uſu veniunt, cecinit ut vates.

Hinc porro judicari poteſt, cujus notæ Critici ſint, qui hiſtoriam belli Trojani, quæ *Daretis Phrygii* nomen præfert, à Cornelio Nepote Latine converſam cenſuere. *Elegantia ſtili ductos* id feciſſe Johannes Savaro, homo Gallus judicat. Haud vidi magis: cum qui vel primoribus labris bonos Latinitatis auctores attigit, hiſtoriam tam luculentam non niſi ab homine indoctiſſimo, qui nec minimum Latini ſermonis guſtum umquam hauſerit, ſcribi potuiſſe ſtatim agnoſcat. Ita in omnibus pagellis ea ſe offerunt, quæ τῶν κακοβίων clauſtra reſipiant, aut Actuariorum cancellos nuper admodum refregiſſe videantur. Facilius multo intelligentibus fidem feciſſent, ſi alteram hiſtoriam, cujus *Dictys Cretenſis* auctor inſcribitur, ad Nepotem retuliſſent, quippe ad cujus ſtili ſimilitudinem illa proxime accedit, ut omnino Velleii, Valerii Maximi & Curtii ætate ab aliquo ele-

gantis

gantis ingenii & judicii homine animi gratia & exercitationis ſcripta videatur, etſi nonnullis locis aliquid mali à mala ei objectum eſt manu; quod & belli Alexandrini ſcriptori; & aliis præterea contigit. Joſias Mercerus, vir ſane magnæ eruditionis acrique judicio; perfrivolis ducitur argumentis, ut eam poſt Conſtantini demum Magni ætatem ſcriptam putet. Scilicet in præfatione *Conſularis Cretæ* fit mentio; quæ imperii appellatio eſt recentior. At enim Præfationem non ejuſdem eſſe; cujus eſt hiſtoria; quivis non indoctiſſimus facile intelligat: quam haud dubie indoctus quiſpiam nugator ſubjecit. Tum in aliis ſcriptis codicibus; quos editi ſunt ſecuti, non *Conſularis*, ſed *Præſes* legitur, nihil autem Mercerus affert, cur ſuo tantum codici credere alios poſtulet. qui quod quædam loquendi genera Latinæ linguæ puritate non ſatis digna in eadem hiſtoria legi cenſet; profectò ſe jam depontanum factum probat, quem jam domi ſe continere, nec ſuffragii ferendi in literarum Comitium ire par fuerit. Lib. 2. in prius editis legebatur:

Namque noſtros multorum dierum navigatione aliquantum exhauſtos maxime præſentia Telephi exanimavero. Et infrà: *Cohortati ſuos quiſque acie conflixerat. Tum verò aliquantulum tracto certamine plurimi utriuſque partis cadunt.*

Mercerus utrobique *In aliquantum* edidit, annotatque: *Ita libri; & ſic ſæpe noſter; à cujus ſæculo non eſt exigenda Latini ſermonis puritas.* Sed primum falſum eſt; ſæpe ſic apud hunc ſcriptorem legi. nec enim prætereà eſt locus in omni ea hiſtoria; ubi vocis *Aliquantum* idem uſus ſit. Deinde negare Mercerus nequit, nec ſuos libros nuſquam corruptæ lectionis eſſe. Quid ergo eſt; cur auctorem id potius; quod in Merceri, quam quod in aliorum libris eſt, ſcripſiſſe accredamus? Tandem parum Mercerus doctrina ſua & bonorum auctorum uſu dignum facit, cum id damnare animum inducit; quod & regulis artis congruit; & locupletiſſimis ſe auctoribus tutari poteſt. Ut enim in Grammaticis docui, Quantum, Tantum, Multum, Paulum, Aliquantum, Immenſum, regulariter cum præpoſitione *Ad* vel *In*, figuratè verò ſine præpoſitione dicuntur, ut: *Quantum pater filio, tantum poeta ingenii ſui partu gaudet. Avarus multum eſt*

 ambi-

ambitioso deterior . *Senex est paulum ad rem attentior* . *Adolescens aliquantum animo omissior* . *Mons immensum editus* . In his omnibus præpositionem desiderari, plurima optimorum auctorum exempla vincunt . Livius 22. 27. *In tantum suam virtutem enituisse* . Virgil. *Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos* . Juvenal. *In quantum sitis atque fames & frigora poscunt* . Plinius 10. cap. 36. *Solutus columbarum volatus est in multum velocior* . Livius 29. 25. *Ad immensum augere aliquid* . Et 42. 15. *Dextera pars terræ labe in aliquantum altitudinis diruta erat* . Ubi genitivus *Altitudinis* non regitur ab *Aliquantum* , sed a suppresso nomine substantivo, quod est *Negotium* , quod similiter in omnibus reliquis adjectivis jam enumeratis subauditur . Minus autem Syntaxin istam Mercerus mirabitur , si rationem ineat , eadem ista nomina in sexto casu nullo sententiæ discrimine usurpari solere : ut Terent. Heaut. *Paulo qui est homo tolerabilis* . *Pater aliquanto iniquior* . Et Phorm. *Ego isti nihilo aliter sum ac fui* . Sallust. Jugurt. *Cum vineæ paulo processerant* , *igne aut lapidibus corrumpebantur* . Cicero : *Quanto superiores sumus* , *tanto nos submissius geramus* . Idem : *Arrogantia ingenii multo est molestissima* . Senec. epist. 94. *Adspice quanto aliter unusquisque populo vivat* , *aliter sibi* . Livius extremo lib. 9. *Flavium aliquanto antea desiisse scriptum facere* . Justin. lib. 39. *Sed quanto Grypus abnuit* , *tanto soror accenditur*. In quibus omnibus præpositio A ; & nomen *Negotio* subauditur , ut eodem sensu dicatur *Quanto magis* , & *Quantum magis* , *Quanto melior & Quantum melior* : quo posteriore Livius utitur lib. 3. 15. *Quantum magis juniores patrum plebi se insinuabant* , *eo acrius contra Tribuni tendebant* . Et lib. 44. 7. *Quantum longius procederet* , *eo majorem rerum omnium inopiam sentiens* . Atque hinc opinor , Mercerus intelliget , quam imperite ista Grammatici Adverbiis annumerent , quæ Præpositio eis præmissa Nomina esse clamet.

Aliud ejus argumentum est , quia libro 5. in suis exemplaribus legerit:

Priamus re cognita ad aram Jovis ante ædificiale confugit. annotatque: *Ædificiale pro ædificio sive regia Priami* . *Elegantia hujus sæculi*. Atqui nihil necesse est ita nos lege-

legere, ut libri ejus exhibent, sed potius ut alii recte habebant: *Ad aram Jovis ædificialis confugit*. Id enim est ad aram *Jovis Hercæi*, quomodo alii Græcè dicere maluerunt, ut Ovid. in Ibin. *Cui nihil Hercæi profuit ara Jovis*. Hygin. fab. 91. *Paris in aram Jovis Hercæi insiluit*. Festus: *Hercæus Jupiter intra conseptum domus cujusque colebatur, quem & Deum penetralem appellabant*. Servius in Æn. 2. *Singula domus sacrata sunt Diis, ut Culina diis penatibus, Maceries, qua ambit domum, Hercæo Jovi*. Itaque nihil Mercerus egit, cum probatæ Latinitatis laudem huic historiæ sententia sua abrogavit, ultroque gratiam ejus emendatione meritam effudit. qui non minus in eo alucinatur, quod cum libro primò membranarum suarum fide sic edidisset:

Podalirius & Machaon, Æsculapio geniti, acciti ad id bellum ob solertiam medicinæ artis,

Annotavit, *Medicinam artem* dictam esse, ut *Terram Italiam*, *mulierem meretricem*, *Senectam ætatem*. Perperam scilicet Medicinam, Senectam & Meretricem, perinde ut Italiam, nomina substantiva esse credidit. nam *Senectus* participium esse, idemque significare, quod ὀγηράσας, Priscianus veterum auctoritate satis probavit. Dicebant nimirum *Senectus vir*, *Senecta fœmina*, *Senectum corpus*: adeoque quoties *Senectam* pro Senectute legimus, *Ætatem* subaudimus, quod quidem Mercerus Servio credere poterat in Æn. 11. sic monenti: *Si dicamus* Senecta, *aut addendum* Ætas, *aut intelligendum*. *Meretrix* non aliam rationem habet, quam Genetrix, Victrix, Altrix, quæ adjectivorum instar esse nemini potest dubium. *Medicinam* porrò merum adjectivum esse, ut *Ars*, vel *Taberna* subaudiatur, quomodo tandem Mercerus tantus literator ignorare potuit? Legerat enim in Varrone lib. 4. de lingua latina: *Artificibus maxima causa ab arte, id est, ab arte medicina ut sit Medicus dictus, à Sutrina Sutor, non à medendo ac suendo*. Et lib. 7. *Taberna, ubi venit caro, Lanina, ubi pelles, pella suena, ubi calcei, Sutrina dicitur*. Donatus in Adel. act. 4. sc. 2. *Veteres absolute dicebant Pistrinam, ut Sutrinam & Medicinam, ad Tabernam referentes*. Charisius lib. 1. *Pistrinum neutro dicitur, sed Lucillius fœminino extulit*: Media à pistrina, *ad Tabernam referens*. Ubi

ridiculè Josephus Burdoscaliger postrema tria verba Lucilli esse credidit, quæ Charisii esse ex Donati verbis discere poterat. Hyginus fabula 274. *Ne quis servus artem medicinam disceret*. Plinius: *Hippocrates clarissimus medicinæ scientia*. Cæterum Varro in eo nil præter solitum nugatur, cum Medicum à medicina, & Sutorem à Sutrina derivatum affirmat, cum nec pueri jam ignorent, nomina in *Inus* exeuntia ab eo primigenii nominis casu, qui cadat in I, formata esse. Itaque cum à participio passivo *Sutus* factum fuisset *Sutor*, ab hujus postea tertio casu *Sutori* profectum est *Sutorinus*, & per syncopen *Sutrinus*, similiterque a verbo *Pinso* (priscis *Piso*, teste Diomede à Græco πτίσσω) participio *Pistus* factum fuit *Pistor*, & à *pistori pistorinus* & *pistrinus*, à *Textori textorinus* & *textrinus*, à *Medicus*, *medici*, *medicinus*, à *Piscis*, *pisci*, *piscinus*, à *Rex*, *regi*, *reginus*, à *Sal*, *sali*, *salinus*. In *Salinum* ergo subaudimus *Vas*, In *Salina* vel *Taberna*, vel *Fodina*, in *Piscina* aqua. nam & *Petimen piscinum* Nævius teste Festo dixit. In *Regina* subauditur *Fœmina*, *filia*, *uxor*. Charisius: *Regina nullo modo recipiendum*, *nisi reciperemus* & *Reginum*. Itaque Virgilius Iliam vocat Reginam, nec secus Ariadnam, quod filiæ essent regiæ. Et Servius in illo Æn. 1. *Quod regia Juno monstrarat*, Regia interpretatur regina. nempe ut à *Lux* est *Lucius*, & *Lucinus*, unde *Juno Lucina*, sic à *Rex regius* & *reginus*. Etiam à *Taurus* exiit *Taureus* & *Taurinus*. nam ut ait Plinius, referente Servio in Æn. 9. *derivationes non habent firmas regulas*, *sed exeunt prout auctoribus placet*. Sed quid ago? vereor ne liber exeat, quæ fieri epistola cœperat, nisi manum de tabula. Vale ergo, virorum optime & doctissime, mihique merito tuo carissime, & præstantem spectatæque fidei Jurisconsultum Ludovicum, filium tuum, verbis meis salvere plurimum jube.

JOHANNI CIAMPOLO, Summo Pontifici à Brevibus epiſtolis.

VI.

SCio te, vir Illuſtriſſime, ſi quod tibi à munere tuo negotioſiſſimo tribuitur otium, non id philoſophicis modò, & Mathematicis ſtudiis conſumere, ſed & auctorum Græcorum ac Latinorum lectione oblectare conſueviſſe. Itaque minime ingratum tibi facturus videor, ſi te ad Senecæ lectionem vocavero, quem tibi in amoribus eſſe ſatis perſpectum habeo. In ejus ludo de Claudii obitu ipſum veſtibulum turpiſſimo mendo deformatum eſt, quod tot homines doctiſſimos, qui ei emendando operam dicarunt, non ſuſtuliſſe, cum id nullo negotio videatur potuiſſe fieri, merito mireris. Totum locum hic ſubjiciam, ut facilius ſit rei judicium.

Jam Phœbus breviore via contraxerat ortum
Lucis, & obſcuri creſcebant tempora ſomni,
Jamque ſuum victrix augebat Cynthia regnum,
Et deformis hyems gratos carpebat honores
Divitis auctumni, viſoque ſeneſcere Baccho,
Carpebat raras ſerus vindemitor uvas.

Puto magis intelligi, ſi dixero, Menſis erat October, dies tertius Idus Octobris. Horam non poſſum tibi certam dicere. Facilius inter Philoſophos, quam inter Horologia conveniet. Tamen inter ſextam & ſeptimam erat. Nimis ruſticè acquieſcunt omnes poetæ non contenti ortus & occaſus deſcribere, ut etiam medium diem inquietent. Tu ſic tranſibis horam tam bonam?

Jam medium curſu Phœbus diviſerat orbem,
Et propior nocti feſſas quatiebat habenas,
Obliquo flexam deducens tramite lucem.

Claudius animam agere cœpit, nec invenire exitum poterat.

Non dubito, quin verba illa aliquid moſtelli alere judices, *Nimis ruſtice acquieſcunt omnes poetæ.* Sic enim eſt in omnibus ſcriptis libris, non ut editur: *Acquieſcunt oneri poetæ.* Neque verò non ſubolere tibi arbitror, Senecam

cam per occupationem id, quod sibi Lectorem ingerere posse intelligebat, verbis illis complecti voluisse. Vide ergo, num ductum literarum studiose persecutus ex *Acquies* rectè faciendum censuerim *Inquies*, ut totus locus ita legatur:

Inter sextam & septimam erat. Nimis rusticè, inquies: cum omnes poetæ non contenti ortus & occasus describere, etiam medium diem inquietent, tu sic transibis horam tam bonam?

Sensus est, nimis rustice de obitu Claudii dictum esse, cum inter horam sextam & septimam contigisse. Horam tam lætam & auspicatam mereri ut versibus describatur. Si enim poetæ omnes ita negotiosi sint in ortu atque occasu solis, atque etiam in meridie describendo, nullam certè excusationem Senecæ debere contingere, qui horam tam bonam versibus indictam abire sinat. Quid nunc? an etiam dubium habes, cum aut Princeps Cæsius, aut Palavicinus Marchio, aut Abbas de Comitibus more suo visum ad te veniunt, tecumque de literis, quarum scientiam cum pari generis nobilitate conjunctam habent, sermones cædere incipiunt, quin vel ludibundus nec ulla Euclidis tui demonstratione subnixus hoc eis παράδοξον persuadeas, me quamvis ingenio tardiorem aliquid tamen in literis perspexisse, quod tantorum virorum, qui priores Senecæ manus admoverunt, acumen præterierit? neque tamen plus mihi cordi est, ut ea de re, quam de meo erga eosdem studio atque observantia fidem eis facias: quos etiam ut verbis meis salute plurima impertiaris rogo, ac te quoque ipsum cum Achate tuo, amoribus nostris, Georgio Conæo ex sua sententia valere beneque rem gerere cupio. Mediolano postrid. Kal. Maii M. DC. XXVIII.

OCTA-

OCTAVIO VALENTI Mantuano.

VII.

NOn heri demum aut nudius tertius Virgilii versus corrumpi cœptos esse, auctoribus satis, opinór, luculentis didicimus. Ut enim alios mittam, Agellii noctium Atticarum scriptoris lib. 1. cap. 21. verba sunt:

> *Versus istos ex Georgicis Virgilii plerique omnes sic legunt:*
>
> At sapor indicium faciet manifestus, & ora
> Tristia tentatum sensu torquebit amaro.
>
> *Hyginus autem non hercle ignobilis Grammaticus in Commentariis, quæ in Virgilium fecit, confirmat & perseverat, non hoc à Virgilio relictum; sed quod ipse invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilii,* torquabit amaror.

Servius etiam de hoc versu Æn. 12. *Filia prima manu flavos Lavinia crines*, ita commentatur:

> *Antiqua lectio* Floros *habuit, id est, florulentos, pulchros, & est Ennianus sermo. Probus vetus Grammaticus sic annotavit:* Neotericum erat, Flavos. Ergo bene Floros. nam sequitur: Et roseas laniata genas.

Ejusdem Servii non multo post verba hæc legimus:

> *Vera & antiqua lectio hæc est:* Inter se coiisse viros, & cernere ferro. *nam Ennium secutus est, qui ait:* Olli cernebant magnis de rebus agentes. *Posteritas capit legere* —— & decernere ferro. *Secundum quam lectionem Synalœpha opus est, ut sit,* Inter se coiisse vir' & decernere ferro.

Sed & prius eodem libro ad hunc poetæ versum, *Velati lino & verbena tempora vincti*; sic idem Servius annotarat:

> *Caper & Hyginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam, & Virgilium ita reliquisse confirmant:* Velati limo. *Limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes propa* (lego, Popæ) *tegebantur. Hæc autem*

tem vestis habet in extremo sui purpuram Limam , id est , flexuosam . unde & nomen accepit . nam Limum obliquum dicimus.

Et Æn. 4. ad hæc verba , — *si te Carthaginis arces Phœnissam , Lybicaque adspectus detinet urbis* , de lectionis varietate sic monet:

Sane quidam in novis & emendatis libris pro Detinet , Demeret , *inventum asserunt . nam & Ciceronem Philip.* 1. *ita ajunt dixisse* : Putasne eum immortalitatem mereri voluisse.

Similiter in hoc versu Æn. 2. *Præcipitare jubent , subjectisque urere flammis*, non eamdem omnium codicum scripturam esse sic testatur Servius:

Antiqua exemplaria non QUE , sed VE , habere inveniuntur . VE , enim proprium significatum habet , ut interdum pro VEL accipiatur ,

Possem multo plura eandem in rem veterum testimonia afferre , sed etiam istis me facile tibi , homini ingenioso & erudito , id quod habeo propositum , probaturum confido , minime scilicet temerariam videri debere conjecturam meam de hoc Virgilii loco , qui principio divinæ Æneidos legitur:

Musa mihi causas memora , quo numine læso,
Quidve dolens regina Deum tot volvere casus
Insignem pietate virum , tot adire labores
Impulerit . tantæne animis cælestibus iræ?

Hoc loco verè satagens est Servius, mirificèque se torquet in expedienda sententia verborum, *Quo numine læso*. Primò arbitratur, *Quo* significare In quo, In qua causa, aitque septimum esse casum, & communem elocutionem, cum dicimus, *Quo te læsi*, in quo Grammaticorum solemnia delirat. Semper enim Ablativus à præpositione vel expressa, vel suppressa regatur necesse est, velut coram non semel tibi demonstravi. Deinde autem *Quo numine*, ut adjectiva & substantiva conjungenda putat, ut sensus sit, Quodnam numen Junonis ab Ænea læsum fuit, cum varia sint ejus numina? Est enim Juno Lucina, est Curitis, est Regina. Tandem ex aliorum sententia separandum Junonis numen à cæterorum numinibus censet; ut quærat poeta, quodnam aliud numen, præter Junonem, læsum fuerit,

tan-

tanquam ſcilicet Juno injurias non ſuas, ſed alii alicui deorum factas perſecuta ſit, quod quam ſit abhorrens ac ridiculum, qua es judicii acrimonia, ſponte tua te intelligere certum habeo. Vide autem, quam plana & expedita res omnis futura ſit, ſi poetæ verba, ut ſæpe alias, item hoc loco depravata fuiſſe, ac nulla pæne mutatione ſic legenda eſſe concedamus: — *quo nomine læſa*. Nam *quo nomine* eſt qua cauſa, qua re, ſeu qua de re. Suetonius Galba cap. 16. *Subinde jactavit, legere ſe militem, non emere conſueviſſe. Atque eo quidem nomine omnes qui ubique erant milites exacerbavit*. Illo ſcilicet nomine læſi, ea cauſa exacerbati fuere milites, quod ita Claudius jactaſſet. Servius Sulpicius apud Ciceronem 4. famil. epiſt. 5. *Quid eſt, quod tu aut filia tua cum fortuna hoc nomine queri poſſitis*? Ipſe quoque Cicero 2. de Finibus cap. 7. *Qui cum luxurioſe viverent, à ſummo philoſopho non reprehenderentur eo nomine*. Quærit ergo poeta, quo nomine exacerbata, quo Æneæ facto læſa, quidve graviter ferens Juno Æneæ tam addita infeſtaque fuerit, in quo periculum non eſt, ne per tautologian aliter atque aliter rem eamdem extuliſſe verbis judicetur: quod tamen ſi feciſſet, non eſſet, cur eum copiæ ſuæ pœniteret. Sed profecto aliud lædi eſt, aliud dolere: nam & uſuvenire poteſt, ut doleat, qui læſus non ſit, & rurſum, quem quis læſerit, æquo ſit animo, nec quicquam ea in re commoveatur. De hoc Paradoxo noſtro quid tui ſit judicii certior fieri à te ſtudeo. Interea vale, Vir nobiliſſime officiique pleniſſime, meque tui ac tuorum omnium merito veſtro amantiſſimum mutue amare perge. Mediolano poſtrid. Cal. Maj. anni M. DC. XXVIII.

BALDUINO DE MONTE Simoncello.

VIII.

ETſi ſcis, ferre non ſoleo eorum audaciam, qui præ corrigendi pruritu quicquid ipſis recte habere in bonis auctoribus viſum eſt, in medicinam abripere audent,

dent, ac vel invitis libris omnibus immutant. In Plauto tamen scripturam quamdam, quam omnes antiqui & novi codices præferunt, contra omnium doctorum hominum opinionem tam soluto liberoque animo mutare ausim, ut prorsus nihil verear, ne quis in eo mihi intercedere, aut judicium meum reprehendere animum inducat. Amphitruonis act. 1. scena 2. legitur:

Sed Alcumena hujus honoris gratia
Pater curavit uno ut fœtu fieret,
Uno ut labore absolvat ærumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur suspicio.

Hujus loci postrema vox *Suspicio* non immerito multis mendæ suspicionem movit: nec enim expedire queas, quid sit clandestinam cælare suspicionem, cum suspicio semper sit clandestina, *in pectore quippe alieno sita*, ut idem in Trinum. habet Plautus. Sine dubio aliquid clam factum cælari debere Mercurius significare voluit: quid autem clam in Amphitruonis domo gestum fuerit, Plautus infra act. 5. sc. 1. ancillam sic eloquentem facit: *Jupiter se dixit clam cum Alcumena consuetum cubilibus*. Hoc ipsum ergo est, quod Jupiter cælatum voluit. Itaque Donatus in Terentii Adelph. act. 4. sc. 5. hunc Plauti versum laudans pro *Suspicio*, legit *Consuetudo*. Interpretans enim illa Comici sui verba: *Qui cum illa consuevit prius*, quo loco Consuescere ἰυχημόνως sive honestè ponitur pro *Rem habere*, addit pro exemplo: *Ut Plautus, Et clandestina ut celetur consuetudo*. Atqui versus non petit vocem *Consuetudo*, cum sit Jambicus Senarius. Itaque pro *Consuetudo*, repono *Consueto*, ne fraus fiat legi pedariæ. Rectè id porrò à me fieri Festus, vel potius Verrius Flaccus præstiterit, cujus hæc verba sunt: *Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit*. Ecque jam alium lectionis meæ fundum & auctorem à me requiras, aut quem codicem quis Verrii testimonio opponere audeat? nam quod ad Donatum attinet, etiam ille sine dubio *Consuetio* scripserat, sed quod vox insolens videretur, ab aliis postea fuit interpolata. Facessere ergo jam alii cum suo *Susceptio*, alii cum *Suscipio*, alii cum *Huc itio*, possunt, quæ nihil sunt nisi ægrorum somnia, quod te quoque, Vir illustrissime judica-

dicaturum, persuasum habeo: qui cum cæteros locupletes linguæ Latinæ auctores multum lectitasti feliciterque stilo imitaris, tum vero Plautum habes familiarissimum. Cæterum quoniam de *Consuescendi* verbo mentio incidit, considerare te hunc Cornelii Nepotis locum velim in Alcibiade:

> *Quem barbari missis telis interfecerunt. At mulier, quæ cum eo vivere consueverat, muliebri sua veste contectum ædificii incendio mortuo cremavit.*

Mihi quidem dubium non est, quin verbum *Vivere* hinc circumscribi tollique debeat, tamquam glossema ab aliquo sciolo invectum atque inculcatum, qui non satis magnum bonorum auctorum usum haberet. Illi enim *Consuescere cum aliquo* per Ellipsin honestè dicebant, subticentes *Rem habere*. Hoc ex allatis Plauti & Terentii locis jam partit, quibus addere libet Cæcil. Plotio: *Uxor ait, me cum ancilla mea consuetum*. Et Ciceron. Verrin. 5. *Huc omnes mulieres, quibuscum iste consueverat, conveniebant*. Et iterum Terent. Hecyr. act. 4. sc. 1. *Si is posset ab ea sese derepente avellere, cum qua tot consuesset annos, non eum hominem ducerem*. Ubi Donatus: *Consuesset proprie dicitur in stupro*, qui etiam in hoc loco Phorm. act. 1. sc. 3. *Expecto quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem*. *Nota*, inquit, *proprietatem*: *nam* Consuetudo *specialiter de coitu dicitur*. Plautus iterum Cistel. act. 1. sc. 1. *Sed tune umquam cum quiquam viro consuevisti*? In qua ipsa scena consimiliter a meretrice de matribusfamilias dictum videmus: *Viris cum suis prædicant nos solere, suas pellices esse ajunt*. quo exemplo de meritoriis pueris Pseud. act. 3. sc. 1. *Neque ego illud possum, quod illi possunt, qui solent*. qui scilicet ex eo *Soliti* vocabantur. Eadem Pseud. act. 4. sc. 7. *Etiamne facere solitus es puer. S I. scilicet solitum esse*. Sed vereor, ne tibi merito περίεργος videar, qui hæc apud te prædicem, quæ tu alios non minus, quam illa, quæ magno cum supercilio de superiore loco Philosophi præcipiunt, docere possis. Itaque verbum non addo. Vale.

JOHANNI BAPTISTÆ DONIO Florentino.

IX.

NOn dubito, quin legendis veteribus Grammaticis sæpe eos longe aliter auctorum verba recitare deprehenderis, quam in ipsis eorum libris leguntur. Ego quidem ex facili non unum ejus rei specimen edere queam, si necesse sit. Sed ea re apud te virum Græcè & Latinè doctissimum omnisque antiquitatis cum primis peritum merito supersedeo, justam περιεργίας ac supervacuæ operositatis notam veritus. De causa tantum, qua id contigerit, quid mihi videatur, aperire libet. Sæpe ergo usuvenisse comperi, ut in illis auctorum exemplaribus, quæ compluribus post sæculis fuere descripta, sive sciolorum audacia, sive librariorum imperitia aut oscitantia, ea, quæ Grammatici ex emendatæ scripturæ codicibus recitarant, depravarentur. Alias ipsorum quoque Grammaticorum libros vitiose descriptos fuisse comperi, ut eorum verba ultro ex auctoribus emendari debeant. Sed non parum sæpe memoriola vacillarunt & alucinati sunt Grammatici, ut non inspectis auctorum libris verba eorum referrent, non quomodo ea ibi legerant, sed quomodo sibi legisse videbantur. Hoc innumeris Donati, Servii, Nonii, aliorumque exemplis planum facere possem, sed duobus hoc tempore contentus ero. Priscianus cæterum minimè oscitator lib. 9. ut doceat veteres à *Seneo* participium præteritum *Senectus* formasse, quod significaret ὁ γηράσας, id est, is qui jam consenuit, hæc Catulli verba laudat: *Sed hæc fuere non recondita senecta quiete*, φεῦ τοῦ παροράματος En umquam quemquam plus luscitiosum aut stultividum vidisti! In Catullo enim legitur; *Sed hæc prius fuere, nunc recondita Senet quiete*. nec verò aliter legi res finit, cum puri sint Jambi; quo majus Prisciani flagitium est, quod versus retentu tam faciles effluere sibi passus fuerit.

Nullo genere excusabilior est Junii Phylargirii, perve-

veteris & eruditi Virgiliani interpretis alucinatio in laudando Plauti versu. Hæc enim poetæ verba Georg. 2. explanans, quæ malorum Medicorum usum docent: — *animas & olentia Medi Ora fovent illo & senibus medicantur anhelis*, ita commentatur.

Olentia, ad animas est referendum, & subaudiendum Male olentia. Sic Plautus in Milite: Tum in Apulis non sum natus, non sum animata.

Vult docere *Animatus* à Plauto dictum pro malè animatus, sive, qui malam aut fœtidam habet animam, *plenior puta alii ulpicique quam sint Romani remiges*, ut Plautus Pænulo loquitur, qualesque veteres Romanos omnes fuisse Varro Bimargo sic dixerat:

Avi & atavi nostri, cum allium ac cape eorum verba olerent, tamen optime animati erant.

Primum verò permira res videtur, non animadvertisse Grammaticum, se Solœcismum in Plauti versu admittere. Si enim prius rectè legit, *In Apulis non sum natus*, posterius certè non *Animata*, sed *Animatus* legere debuit. Deinde autem multo aliter in Plauto hodie legimus, hoc puta modo:

Post Ephesi sum natus, non in Apulis, non sum in Umbria. qui ergo factum putabimus, ut Grammaticus pro *Non sum in Umbria*, nobis repræsentaverit *Non sum animata*? Hoc est nimirum, quod docere à primo institeram, Grammaticum vel oculis minus sincerè usum, vel memoria falsum fuisse. Plautus enim ita scripserat: *Non sum Animula*, aut certè *Animula*, id est, non sum natus Animulæ, aut non sum ab Animula, sive Animulas, quomodo apud eundem Plautum est, *Hospes Zacyntho*, pro à Zacyntho, apud Terentium *Anus Corintho* pro à Corintho, apud Lucillium *Sargus Ægypto* pro ab Ægypto. Jam Philargyrius aut oculis alucinatus pro *Animula Animata* legerat, aut saltem cum diu locum non inspexisset, ita sibi legisse visus fuerat, quando occasione verbi *Olentia* Plautini versus ei in mentem venit. Sed hoc locó, nisi me fallit, scire avebis, quo tandem divinationis genere usus, Plautum ita, ut dixi, scriptum reliquisse compererim, cum in omnibus ejus editionibus nec minimum ejuscemodi lectionis exstet vestigium. Accipe ergo quæ me vestigia ad indagandam eruen-

eruendamque veram lectionem tulerint. In membranis nonnullis, *Non sum in imula*, scriptum compereram, quemadmodum & alii sibi in quibusdam libris inventum fatentur, quam lectionem cum illo Philargyriano *Animata* contendenti venit in mentem, quod apud Festum legere memineram: *Animula*, *urbs parvarum opum in Apulia*. His argumentis fretus adeo nihil de lectionis, quam posui, veritate dubito, ut nihil umquam Apollinem ex tripode verius certiusque respondisse persuasum habeam, idemque ipsum tibi quoque visum iri magnopere mihi pollicear. Vale

Viris Clarissimis & Præstantissimis D. Antonio Quærengo, Hieronymo Aleandro, Augustino Mascardo, Fabio Leonidæ, Hieronymo Moricuccio, Julio Rospiglioso, Ascanio Belmisserio, Paganino Gaudentio cæterisque Academicorum Romanorum.

X.

PRiscianus extremo libro decimo de Hadriano Imp. commemorat, eum per literas consuluisse Vellejum Celerem, quomodo *Ambitus* cum est participium passivum à nomine distinguatur, eique responsum à Grammatico fuisse, alterum ab altero cum declinatione, tum tenore, id est, mediæ syllabæ quantitate discerni, quia scilicet *Ambitus* participium sit secundæ declinationis, mediamque habeat productam, nomen vero sit quartæ declinationis & media correpta. Atque hoc Priscianus probat, & usu confirmari putat. Sed unus Ovidii versus, *Jussit & ambita circumdare litora terra*, non

non satis probat, ut id usu receptum credamus, cum præsertim ratio ei palam repugnet. Omnia enim reliqua participia verborum ex *Eo* & præpositione compositorum I habent breve, ut ipse Priscianus de *Aditus*, *Abitus*, *Exitus*, *Initus*, *Obitus*, & *Prateritus* recitatis poetarum verbis demonstrat. Itaque frivola est ratio illa Prisciani differentiæ causa factum dicentis, ut *Ambitus* nomen esset media brevi, *Ambitus* verò participium eadem producta. Cur enim magis in hoc, quam in cæteris nomen à participio discerni oportuerit, nulla profecto reddi causa potest. Itaque Scaurus vetustissimus Grammaticus non minus in participio *Ambitus*, quam in nomine mediam brevem esse statuit. Aut igitur omnia me fallunt, aut Hadrianus etiam ob istam Velleii sententiam satis habere causæ sibi visus est, cur *Grammaticos* more suo *velut doctior rideret*, *contemneret*, & *obtereret*. Verum quicquid de illo sit, de Ovidio nobis minime negligendum videtur, quemadmodum crimine eum liberemus, cujus quidem rei in libro de causis linguæ latinæ mihi eveniet occasio. Sed cum artis poeticæ non sim æque peritus, vestrum velut augurum Collegium capiundum mihi visum est, quos honori summi & ingeniosissimi poetæ hoc daturos confido, ut hac de re capita conferatis, mihique quid vobis visum sit pro illo dici à me debere, significare ne gravemini. Valete sæculi lumina, mihique favete nominis vestri studiosissimo. Mediolano, a. d. 22. Martii 1628.

IISDEM.

XI.

De voce *Ambitus*, viri clarissimi, superiori mense ad vos retuli, quidque Hadriani Imperatoris quæsito respondendum censeretis, fieri certior à vobis studui. Sed inter moram istam aliquid ipse commentus mihi videor, quod nisi me animi fallit, nullo negotio etiam ei, qui multis partibus sit Hadriano captiosior, probare possim. *Ambitus* videlicet mediam habet ancipitem: nam I per se & ex natura sua brevis est, velut ex cæteris parti-

ticipiis *Aditus* , *Abitus* , *Exitus* , *Initus* , *Obitus* & *Praeteritus* , itemque ex nomine *Itus* discimus , quo Lucretium usum videmus : *Nec sentimus itum cujusvis cumque animantis* . Hoc autem fortuitum est , & ab eventu , quod eadem I , in *Ambitus* produci potest , quoniam ei accidit , ut ex præpositione loquelari *Ambe* , postrema vocalis E , non elidatur per Synalœpham (id quod tum fit , quando Ambitus I correpta effertur) sed cum consequente vocali I , in unam diphthongum coalescat . Est enim *Ambe eo* , *Ambeo* , & inde natum *Ambio* , idem quod *Circumeo* . Festus *AM* , *præpositio loquelaris significat Circum* , *unde Servus ambactus* , *id est* , *circumactus dicitur* . *Sumtum ex Græca præpositione*, *quæ est* ἀμφὶ & *significat Circum* . Varro de lingua lat. lib. 6. *Ambages profectum est à Verbo Ambe* , *quod est in Ambitu* , *Ambustum* , *quod circumustum est* . *Ancilia dicta ab Ambecisu*, *quod ea arma ab utraque parte incisa* . Sicut ergo ex *Circumitus* factum est *Circuitus* I brevi , ut apud Senecam Medea : *Orbem circuitis cornibus alligat* . Similiter *Ambitus* I correpta dicere oportet , si quatuor syllabis proferatur . Sin quis tribus efferat , aut E per Synalœpham elidit , ut fit in *Ambadedere* & *Ambustus* , & tum I , corripi necesse est , velut natura breve : aut E , non exteritur , sed cum I sequente coit in diphthongum , quæ jam dichtonos est , ac velut longa duo aufert tempora , quod ipsum in *Circuitus* usuvenire potest . Recte enim dixero , *Alcida immenso tellus circuita labore* , ubi I longum est ex eventu seu per accidens , quoniam cum V antecedente in diphthongum concrescit . Sed si quis V elidat , I brevis manet , velut in *Circitor* videre est , qui est *Circuitor* , qua voce non Jurisconsultos modò & Vegetium usos videmus , sed & poetam in libero carmine : *Quid mecum tibi circitor moleste* ? Ad idem porrò exemplum *Ambitor* dicebatur I brevi , quod postrema præpositionis litera esset elisa . Servius in Æn. 4. *Ambitores dicuntur*, *qui* , *ut honores consequantur* , *discurrendo* & *rogando suffragia anquirunt* . Nihil autem refert , quod in *Ambitus*, cum media producitur , E scribi non solet , siquidem veteres in I longo semper diphthongum pronunciasse scimus , sic tamen ut I tempus integrum , E non nisi dimidium , vel potius tertiam temporis unius partem absolve-

solveret, ita ut Velio Longo teste, *sonus ejus ad aures fere periret*. Quo pacto quod prius *Leiber*, postea *Liber* scribi fuit solitum, nullo quamvis enunciationis discrimine, quoniam scilicet I longa semper diphthongi sono efferebatur, Ita planum fit in *Ambitus*, cum media longa est, E inesse, idque propterea contingere, quod præpositio, ex qua vox conflata est, nullam postremæ suæ literæ elisionem passa sit. Ac de hac quidem re sic ego censeo. Vos tamen, viri clarissimi, si meliorem tuleritis sententiam, vestra rata esto, mea nulla esto. Vale. Mediolano a.d. 26. April. anni 1628.

PETRO VICTORIO Florentino.

XII.

PLures in Hetruria vestra aquas calidas earumque alias ad alium usum idoneas jam tum sua ætate fuisse Varro lib. 8. de lingua lat. literis prodidit. Eorum tamen celeberrimas fuisse Clusinas, opidulo Sancti Cassiani subjectas, Horatianus ille versiculus fidem facit. *Qui caput & stomachum supponere fontibus audent Clusinis* —

Harum Tibullus lib. 3. eleg. 5. hoc modo commeminit:

Vos tenet, Hetruscis manat quæ fontibus, unda.
Unda per æstivum non adeunda canem.
Nunc autem Sacris Bajarum Maxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit hiems.

Et infra.

At vobis Tusca celebrantur numina Nymphæ,
Et facilis lenta pellitur unda manu.

Significat nonnullos thermis innatare, quod ipse quoque abhinc circiter triennium facientes vidi. Sed tertio versu tenebræ sunt, quas vir ingenio & eruditione præstans Achilles Statius hac explanatione dissipare conatus est: *Hetrusca quidem aqua nullo modo per æstatem adeunda;*

ut nunt , id est , vere ineunte , etiam ipsis Bajarum aquis maxima atque optima videntur . Dandi enim casu , Sacris lymphis *: positum accipio . Quo sane modo difficultas omnis tollitur , qua multos exercuit , eoque adegit adeo , ut veterem lectionem commoverent , multaque inepta & commentitia inculcarent .* Sed mihi quadam die cum bene mane potum ad fontes illos equo veherer, meque loci hujus Tibulliani sententia exersitum haberet , in mentem venit minima literarum mutatione pro *Maxima Proxima* legendum videri , Ita sententia erit perspicua , proximam Puteolanis thermis laudem Clusinas vindicare . Non dissimiliter Virgil. — *Proxima Phœbi Versibus ille facit .* — Et Propert. lib. 1. eleg. 13: *Nec mirum , cum sit Jove digna , & proxima Leda .* Et eleg. 20. *Est tibi non infra speciem , non nomine dispar , Thiodamanteo proximus ardor Hyle .* Ipse quoque Tibullus lib. 4. *Valgius aterno propior non alter Homero .* Hanc tamen conjecturam meam tui , vir optime , facio judicii , cujus ego & eruditionem suspicio & exosculor humanitatem , teque à magno illo proavo tuo , literarum quondam principe , minime degenerare gratulor . Vale , meque ut cœpisti , porro etiam redama . Mediolano proprid. Non. Maj.

GUILELMO MOONSIO I.C.
Sereniss. Principum Electorum Coloniensis & Bavari Consiliario.

XIII.

ITa est , vir clarissime , non semel tibi coram probavi. Valde propitias & quarumvis fabularum capaces auriculas in Batavis tuis Josephus Burdoscaliger invenerat . Ut enim alia multo plurima prætermittam , quorum familiam duxerit , quod eis se Scaligerum & ab illis Veronæ principibus oriundum persuasit , quem nos ex infima Veronensis plebis fæce , velut ex sterquilinio & Burdonio fimeto Scarabæum exstitisse , luculentissime demonstratum novimus :.de Propertii quidem patria tam absurda , nec solum manifeste falsa , sed & indocta, ac.

neque

neque in eo, qui sit in literis infimarum unus, ullo pactu toleranda popularibus illis tuis obtrusit, ut aurem Batavam eis non immerito opprobari te ipsum judicaturum certus sim. Propertii versus sunt lib. 4. eleg. 1.

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.


Hic satis significat patriam suam in planitie esse positam, cujus arces sive turres de valle consurgentes longe sint conspicuæ, neque tamen æquè turres ejus, lateritio quamvis muro insignes, ac suum ingenium in ea eminere. De muro illo Plinius quoque sic meminit lib. 35. cap. 14. *In Italia quoque lateritius murus Arretii & Mevaniæ est*. In eadem Elegia hæc Genethliaci ad ipsum Propertium verba sunt, ut quidem in melioris notæ codicibus Joh. Metellus Sequanus prescripta invenit:

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et sacer æstivis intepet Imber aquis,
Scandentique altus consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Quis jam relictus est dubitandi locus, quin Mevania sit Propertii patria, illa, inquam, cujus celsa turris lateritio muro imposita etiam ex longinquo in magna campi planitie cerni possit? *Imber sacer* fuit fons aquæ calidæ muro inclusus, cujus etiamnum præclaræ visuntur reliquiæ, quas sibi visas affirmat politissimi ingenii Theologus Josephus Paulus Meronus, ac thermarum illarum nomen nonnihil, ut fit, depravatum hodie quoque usurpari. *Inversato* enim vel *Imbersato* appellant. Fieri potest, ut aquæ illæ fistula imbris modo desuper expressæ nomen ei *Imbris sacri* pepererint. In vulgatis libris est: *Et lacus æstivis intepet Umber aquis*. Sed certissimum est nullum in universo illo campo latissime patente lacum inveniri, & aquas Clitumni fontis in eodem campo *lato gremio* (ut Plinius minor ait) *patescentis* esse gelidissimas, ita ut eodem Plinio teste *rigor*

carum nivibus certet, cujus quidem ipse priori anno magna cum voluptate experimentum cepi. Cum enim à meridie in maximis caloribus æstivis ac simul quartanæ ignibus inflammatus ad fontis ejus gurgitem pervenissem equos & rhedam, in qua æger cubabam, bene diu consistere in eo jussi, haustamque ex ipsis ejus venis aquam puram & vitream avidissime obduxi. Burdo tamen summa vi contendit, vitreum hunc & pellucidissimum Clitumni fontis gurgitem esse tætrum & sulphureum illum Vadimonis Lacum, nihil nisi fœdos serpentes ac testudines continentem & carbones subinde ex inferorum, credo, fornacibus subvectos ejectantem, Hoc amplius vero postulat, ut aquæ Clitumni non ex terra *pluribus venis exprimantur*, quod Plinius idem scribit, & omnes quotquot Spoletio Fulginium versus iter faciunt oculorum manuumque testimonio verum esse comperiunt, sed *ex Vadimone emittantur*. Tantumne est, inquies, an alia etiam monstra ac portenta loquitur? Ille verò loquitur, & nullo quidem genere jam expositis tolerabiliora. Dum enim Vadimonem à Propertio *Umbrum lacum* vocari contendit, ingenti prodigio agrum Stellatinum cum lacu illo Vadimonis ex Hetruria trans Tiberim in Umbriam transportat, & in loco quadraginta quasi passuum millibus remoto collocat. Adhæc Ameriam à campis Mevanatibus contingi, ex eaque Clitumnum despectari confidentissime pronunciat, cum eam à Clitumni fonte non minus viginti passuum millia dissidere, multosque altissimos montes interjectos esse constet. Nec enim hæc de campis Gurgustidoniis est controversia, aut de Thomæ Mori Utopia; sed de iis, quæ pæne in conspectu urbis Romæ cujusvis oculis, nisi qui sit iis captus, subjecta sunt. Qui Geographorum principis Clyverii Italiam antiquam consulere volent, de re tota exploratissimo judicium facient, & ad confutandos tam portentosos errores verbum amplius addendum non putabunt. Sed quibus ejus libri copia non est, ex subjecta figura nihilo deterius judicare poterunt.

Tiberis



aa Tiberis fluvius.
b Perusia in Hetruria.
c Mevania urbs in Umbria.
d Fons Clitumni.
e e e Montes inter Mevaniæ campos & Ameriam.
f Ameria in Umbria.
g Castellum Amerinum in Hetruria.
h Lacus Vadimonis in Hetruria.

Perusiæ mentionem non alia de re mihi facere hic visum est, nisi ut minore negotio intelligantur versus extremo libro primo, quibus patriam suam Propertius Perusiæ finitimam esse hoc modo significat:

Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

Sensus est: Ego in ea Umbriæ parte natus sum, quæ contingit loca proxima campo illi, qui Perusiæ est suppositus, quoniam inter campum illum & loca patriæ meæ contigua non nisi Tiberis interest. Passeratius veniam meretur, cum velut cæcus nihil inter Perusiam & Ameriam facit discriminis. Nec enim est hominis capti oculis alba signare linea, nihil se erraturum credidit, si ducem sequeretur Burdonem, tam *oculatum* vel deliciolo illius teste hominem: cujus etiam opera contigisse suspicio est, ut ex Clyverii libro circumscriberentur & inducerentur ea, quæ ab illo detegendæ multiplici Burdonis inscitiæ scripta fuisse veri est simillimum. Nec enim perinde ut exoleti illi & in Burdonio lectulo intercutiti, stupro doctus evaserat, ut suam in eo existimationem verti crederet, Hammonis fonte relatum aut Pithiæ redditam ex oraculo vocem credi, quidquid impurata illa & furiosa bellua temere evomuisset. Cedo si vel ego, vel Italus quispiam tam flagitiosos errores literis consignassemus, quas non cinæ-

dorum istorum historias porrecto jugulo audire necesse haberemus? Jam verò talia Scaliger designavit. Itaque vocem mittere nefas fuerit, quæ ad minuendam Herois hujus opinionem vel minimum momenti factura videatur. Nimirum hoc illud est, cur nihil in Cluverio pro patria Propertii adversus Burdonis furias disputatum legamus. Sed non ego hac causa minuero, quæ facio, ut ne quid scilicet auctoritas hominis ad generum Cereris jam olim amandati causæ Ecclesiæ Catholicæ fraudi esse, aut aliis errorem probare possit. Age ergo animum parumper attende, & ipsa Burdonis verba accipe, quibus de Propertii patria à se uno demum inventa gloriatur. *Procul dubio* (inquit) *hactenus ignorata fuit patria Propertii: nam quod Mevaniam, quæ hodie* Bevagna *dicitur, putant, falluntur*. Et infra: *Quare & cujas esset Propertius, & quis sit lacus Umber, & quæ hic accipienda sit Mevania, primi indicavimus. Denique meo periculo Amerinum fuisse Propertium, omnes mihi concedant necesse est*. Quid pote confidentius? Necesse est, inquit, omnes mihi concedant, Propertium non Mevaniensem, sed Amerinum fuisse. Nunc quæ argumenta eam in rem dicat, porro percipe.

Propertii patria, ait, *est in monte sita.*

Mevania non est in monte sita.

Mevania igitur non est Propertii patria.

Assumtio nullius probationis indiget. Propositionem jam satis scio ex iis, quæ supra recitavi, falsitatis condemnas. Dixerat quippe Propertius, arces patriæ suæ non in clivo esse, sed *de vallibus scandere*, sive in editum extolli. At Burdo ad ravim usque oggannit, eam in colle aut edito clivo sitam à poeta prædicari. *Cum poeta* (inquit) *manifeste dicat, patriam suam in colle sitam, quomodo Mevania, quod opidum in planitie situm est, erit ejus patria*? Et iterum: *Patria Propertii in clivo fuit*. Et tertium: *In montanis patriam suam ipsemet constituit*. Et quartum: *Suam patriam in colle ponit*. Jam si quæras, ubinam hoc Propertius dixerit, cum ejus rei in versibus supra recitatis ne minimum quidem vestigium, sed contrarium potius appareat: duo tibi poetæ loca afferet, quibus sibi, quod ipse consomniavit, planissime expressum persuasit. Primum enim scribit poeta: *Scandentes*

dentes si quis cernat de collibus arces, quis ergo jam dubitet, quin ipse patriam suam in colle ponat? Ain verò Burdo, in colle poeta patriam ponit? non tu ipse in editione tua posuisti, *de vallibus*, quomodo in omnibus manu formaque descriptis libris legitur, non *de collibus*? Jamne igitur te stultividum, vel potius amentem fuisse sentis, qui cum tibi novum quid & à nemine umquam dictum invenisse videreris, voluptatis vi præceps auctus ne oculis quidem dehinc sincere uti potueris, & in poeta *Collibus* pro *Vallibus* legeris? Adeo verum est, quod Tertullianus ait, *cæcitatis duas species facilè concurrere, ut qui non vident, quæ sunt, videre videantur ea, quæ non sunt*. Hoc tuum παρέραμα & væsani hominis alucinationem qui non riserit, eum non nisi sinapi victitare & flebile cæpe comedere consentaneum fuerit. Alter poetæ locus est, *Scandentisque axis consurgit vertice murus*. Sic enim ipse Burdo edidit, & *Axis* voce editum collem significari Juvenalis, Statii & Silii locis docere conatur. Sed omnem in istis quoque ludit operam, velut ipse ejus subscriptor & astipulator Passeratius fatetur. Primum enim non ea vocabuli *Axis* est significatio apud tres illos poetas. Deinde si omnino id significaret, aliter catuli longe olent, aliter sues: id est, longe ab aurea Propertii ætate trium illorum Latinitas degeneravit, quod non uno loco aperte fert æqualis eorum Quintilianus. Tertio, non est in veteribus Propertii libris *Axis*: nam in suo Passeratius legi ait *Arcis*, idque probat. Sed in aliis Metellus invenerat, ut nos supra posuimus. Sed sive *Arcis* sive *Altus* legas, non aliud dicere poeta voluit, nisi quod ipsum prius dixerat, Turrim scilicet sive arcem lateritio muro impositam valde editam & eminus conspicuam fuisse. *De vallibus*, inquam, non *de Collibus* arces illæ consurgebant, adeoque tota ista Burdonis disputatio huc denique evadit, ut Hircum mulgere videatur, cui exoletus sus, si libeat, cribrum subjicere poterit. Nunc porrò audi, quo pacto idem Ameriam Propertii patriam fuisse vincat:

> *Propertii patria* (ait) *est in clivo posita, est antiqua, est contigua Mevaniæ campo, & adspectat lacum Vadimonis.*

Ame-

Ameria est in clivo posita, est antiqua, est contigua Mevania campo, & despectat lacum Vadimonis.

Ergo Ameria est Propertii patria.

Propositio est quadrimembris. Primum membrum jam falsimoniæ revicimus, patriamque Propertii in planitie positam demonstravimus. Secundum ex poetæ verbis cogi non potest: non enim ille opidum, in quo natus erat, sed *Umbriam antiquam* vocat. Tertium ita esse assentio, cum opidum Mevania non sit in medio illius campi, sed propius ad oram sive extremitatem sita. Quartum esse falsissimum ex supra dictis patuit. Vadimon enim est in Hetruria plus quam triginta passuum millia à Mevaniæ campo remotus interjectis altissimis montibus. Assertionis pars consequens itidem quadrimembris est. Primum membrum verum esse fateor, non magis tamen de Ameria, quam de Tudertum opido. Alteri nihil moveo controversiæ. Tertium vero est falsissimum, nihiloque verius, quod appingit Burdo, Amerinos esse quidem Mevanates, etsi non Mevanienses. Nihil enim est Ameriæ cum Mevaniæ sive opido, sive campo.

Interjecta etenim terrarum millia multa,
Qua varii retinent montes & saela ferarum.

Falsum etiam discrimen est inter Mevanates & Mevanienses, ut Mevaniensis scilicet sit natus in opido, Mevanas vero natus in planitie. Nam tria omnino campus ille habet opida, Mevaniam, Hispellum & Fulginium, quorum cives ab auctoribus Mevanates, Hispellates & Fulginates appellantur: cui consequens est, ut quoniam qui Hispellum & Fulginium sortiti sunt patriam, & in medio Mevaniæ campo nati sunt, Mevanates tamen dici non possunt, absurdissimum sit Amerinos Mevanatibus contribuere, quorum patriam in alto monte circiter viginti passuum millia distante positam esse constat. neque tamen Mevanates negaverim eosdem recte Mevanienses dici: nam locus Plinii, quo Mevanates à Mevaniensibus distinguuntur, mendosè legitur. In omnibus enim antiquioribus Plinii exemplaribus non *Mevanienses*, sed *Mevanionenses*, idque perperam legi doctissimus Clyverius monuit, qui & *Mevanionenses* legendum docet, cæterum Propertium rectè Mevanatem dici, tamquam in opido Mevaniæ natum, ultro confitetur.

tur. Tandem quartum membrum similiter falsum esse, ex eodem Clyverio quivis discat licet. Burdonis verba sunt: *Praterea & illud mire convenit, quod ait patriam suam despectare lacum Umbrum, qui lacus non alius est, quam ille Vadimonis lacus veteribus celebratus. Hoc plane cognoscitur epistola Plinii ad Gallum libro octavo: Exegerat (inquit) prosocer meus, ut Amerina pradia sua inspicerem hac perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus Vadimonis &c. Junius Philargyrius: Clitumnus & Deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt. Lacum Vadimonis Clitumnum vocat, quod ab eo lacu Clitumnus emittitur. Vides Ameria lacum esse Vadimonem?* Hic enimvero nihil denuo demonstrare attinet, quanta inscitia sit Vadimonem vel in Umbria ponere, vel Clitumnum dicere. Satis enim jam ostendi, nihil ab eo, qui vel primoribus labris literas delibarit, dici potuisse stolidius & indoctius. Hoc tantum addere libet, Philargyrium minus proprie Clitumni fontem appellasse *lacum*, cum eum non nisi late patentem fontis gurgitem esse præter Plinii auctoritatem ipsa αὐτοψία omnibus probet. Fieri tamen potest, ut Philargyrius Virgilianè loqui voluerit, nam Æn. 8. hæc Æneæ ad Tybrin verba sunt: *Quo tecumque lacus miserantem incommoda nostra Fonte tenet*. Ubi Servius: *Lacus est quoddam latentis adhuc aqua receptaculum, & dictus lacus quasi Lacuna, ex qua erumpens aqua efficit fontem, qui cum fluere cœpit, alveum facit*. Similiter autem & Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. *Iuturna lacum & fontem* indiscriminatim dicit. Quod vero ad Plinii locum attinet de lacu Vadimonis Amerinis prædiis subjecto, id Clyverius recte de *Castello Amerino*, non de *Ameria* accipiendum docet, nam Castellum illud est in Hetruria, cum Ameria trans Tiberim sit in Umbria. Hoc autem loco merito quis obstupescat, cum eodem octavo libro duæ sint Plinii epistolæ, quarum octava fontem Clitumni, vigesima vero lacum Vadimonis curiosissima narratione exsequitur, quomodo adhuc Burdo sibi persuadere potuerit, lacum eundem esse & Clitumni fontem, quis dehinc ullius rei fidem belluæ habendam putet? quis eum quoties maxime paratragœdiat & intolerantissime de novis & à se primum inventis opinionibus gloriatur, non ad idem

exem-

exemplum magno conatu maximas nugas agere exploratum habeat? quæ tandem deliciolis ejus caussificatio est? quin simul quid Catholicis ex Burdonis libris obiicitur, illi eum propter tantum inscitiæ & stoliditatis, quantum jam modo deteximus, ne responso quidem ullo dignum arbitrentur, sed pastoritia fistula mentionem ejus exsibilare satis habeant? quod quidem qui magis faciant, aliud est Festo ejus paris inscitiæ & audaciæ specimen lectorum oculis subjicere hoc loco placet. Scripserat summus vir Antonius Augustinus, versus, quos Festus in voce *Topper* ex Odyssea veteri recitat, senarios magis, quam Heroicos, ex eoque suspectos esse. Burdo ut in hoc quoque Augustinum præ se tænum esse oportere declaret, imperite ac velut in omni antiquitate hospitem censuisse insimulat, dum Livium Andronicum veteris Odysseæ scriptorem, Nævio antiquiorem, Hexametros versus scripsisse sensit. Verba ejus sunt: *Ita legenda verba Livii, quæ neque Senarii sunt, neque Livius aliis versibus Odysseam vertit, quam Saturnio: tantum abest, ut debeant esse Hexametri, quod tamen videntur sentire doctissimi viri. nam ante Nævium nemo adhuc Hexametros latine scripserat, ne ipse Nævius quidem*. Hæc postrema nos obtusioris homines ingenii percipere non possumus, quomodo scilicet ne ipse quidem Nævius ante Nævium Hexametros scripserit. Verum aliquis ex pusionibus ejus, quibus ille in Batavis olim simul cum Lucilliana omnem Burdoniæ doctrinæ vim immulsit, facile nobis istud tam sæptuosum delicaverit. Nos interea tria in paucis verbis illis mendacia notabimus, quæ hominem antiquitatis turpiter imperitum arguant. Primo, Nævium Hexametros scripsisse negat. In hoc eum mentiri nullo negotio demonstrari potest. Priscianus enim lib. 10. huc ejus Hexametrum ex Ilid. 2. laudat *fæcundo penetrat penitus thalamoque potitur*. Hunc verò Festus in voce *Sola* ex tertio ejus belli Punici: *Tarquinio dedit imperium, simul & sola regni*. Nonius in *Locos* istum ex sexto Punico: *Convenit regnum simul atque locos ut haberent*. Hunc autem ex Punicis Festus non expresso libri numero: *Summe deorum regnator quianam genus isti*. Ubi legendum suspicor, *Genuisti*? Partem verò Hexametri Isidorus: — *pulchramque ex auro vestemque citrosam*. Itaque

que quod Festus in voce *Saturnus* Bellum Punicum à Nævio Saturniis versibus scriptum ait, de majore operis parte intelligi oportere vel ex istis planum fit: nam alicubi & Senarios Jambicos intexuit, qualis est, quem libro sexto Priscianus refert, ut *Decorem* media Syllaba correpta positum probet: *Magnamque domum decoremque ditem vexerant*. Deinde nec Livium Andronicum ullos Hexametros Epicos scripsisse Burdo contendit. At enim certa res est, libros ejus XVIII. quos *Romanidem*, vel *Annales Romanos* inscripserat, magna saltem ex parte Epos sive Heroicum poema fuisse. Hæc enim Diomedis libro tertio verba sunt: *Epos Latinum primus digne scripsit Livius, is qui res Romanas decem & octo complexus est libris, qui &* Annales (*quod singulorum fere annorum actus contineant, sicut publici Annales, quos Pontifices scribæque conficiunt*) *vel* Romanis, *quod Romanorum res gestas declarat* &c. Ex horum primo & secundo libro versus Festus in *Quamde* recitat, quos ita legendos arbitror: *Jupiter ut muro fretus mage, quamde manum vi. Et in secundo: Quamde tuas omnes legiones ac popularis*. Sed & Victorinus ac Terentianus Heroum versum cum subjectis Hexametris mejuris ex Livii Jone sic recitant:

Et jam purpureo suras include cothurno,
Baltheus & revocet volucres in pectore sinus:
Pressaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra.
Dirige odorisequos ad cæca cubilia canes.

Josephus Burdo in Auson. lect. persuasum aliis cupit, non *Livium Andronicum*, sed *Levium* auctorem esse *Ionis*. Sed mentiri eum ex Terentiano discimus. Is enim perspicue ait poema esse *Livii veteris Grajo cognomine*, hoc est, *Andronici*. Sic igitur secundum Burdonis mendacium satis luculente revictum arbitror. Tertium ejus mendacium est, Odysseam Livii nullo alio versuum genere, quam Saturnio, fuisse conscriptum. Priscianus enim hos indidem Hexametros laudat:

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.
Inferus, an superus tibi fert Deu' funera Ulysses.
Non etenim te sum oblitus Laertie noster.
Cum socios nostros mandisset impiu' cyclops.

Ubi ne quis miretur in *Mandisset*, T produci, idem hoc versu Ennius fecit.

Omnis

Omnis cura viris, uter esset induperator.

Sed quid verbis opus est, cum ipse se Burdo de hoc mentitum fateatur? Ait enim etiam Jambicos Senarios in Livii Odyssea inveniri, qualis est, quem in *Nefrendes* affert Festus: *Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.* Verumtamen non hac fine stant Burdonia flagitia. Aliud enim est reliquum, idque multo etiam deformius. Qui enim Grammaticorum principem omnisque antiquitatis condum & promum se profitetur, is adhuc ignorat, quod genus carminis fuerit Saturnium, quotque pedes habuerit. Nam hoc ipso loco tres hos versus ex ejusdem Livii Odyssea petitos & Saturnios esse contendit:

Namque nei lum pejus macerat humanum,
Quamde mare sævum. Vires quoi sunt magnæ,
Topper confringent importuna unda.

At enim vel puer non quidem ex doctis illis, quos multo Burdonius in Pimplæum montem enitens, Musarum choro una cum Crepundiis suis intulit, sed qui pervulgata modò Grammaticorum de versibus præcepta non ignoret, versus istos statim agnoscat esse Jambicos Senarios Catalecticos, quibus scilicet una in fine desit syllaba, cujus generis est Horatianus ille; *Trahuntque siccas machinæ carinas*, dum tamen in primo versu *Namque* per diæresin sit trium syllabarum;& in postremo diphthongus non elidatur, quid ergo? hos Saturnios esse Burdo persuasum habet? quid hunc hominem in bonis auctoribus legisse credas, qui Saturnium versum nesciat esse Jambicum Senarium Hypercatalectum, id est, in cujus extremo una syllaba redundet? qualis est iste Plauti: *Ut demonstrata sunt, hasce ades esse oportet.* Audiatur Asconius Pedianus, cujus in Cicer. Verrin. 2. verba sunt: *Antiquum Nævii est:* Fato Metelli Romæ fiunt consules. *Cui tunc Metellus consul iratus versu responderat Senario hypercatalecto, qui & Saturnius:* Dabunt malum Metelli Nævio poetæ. Hæc Asconius: quibus consentanea sunt, quæ lib. 3. Diomedes scribit. *Saturnium* (inquit) *in honorem Dei Nævius invenit addita una syllaba ad Jambicum versum, sic:* Summas opes qui regum regias refregit. *Huic si demas ultimam syllabam, erit Jambicus.* Eadem Victorinus, Terentianus, Plotius cæte-

cæterique Grammaticorum consensu tradiderunt, quanti ergo flagitii merito putabimus, hoc eum, qui perpetuus literarum dictator audiat, ignorasse, prorsusque domi suæ hospitem fuisse? Nimirum insanivit, cum ista sic scriberet, sed nempe solemnia, quod ei non minus in Varrone suo usu venit, cum Gingivam nihil dentibus interesse, nihilque ab albo vel candido russum colorem differre censuit, quod tu si minus credis, hem tibi ipsa cerriti hominis verba:

Apud Catullum ex Apulejo legi debet: Dentem atque russam defricare gingivam. *Russam gingivam, id est, dentes, dicit habere Egnatium: quia eum colorem contraxerat ex lotii defricatione. Lotii verò color russus est, maximè* ἐρυ πεπαλαιωμένη, *ut vocat Strabo. Itaque quo plus russam gingivam haberet, eo plus urinæ ebibisse videretur.*

Vides ejus opinione Egnatii gingivam, id est, dentes esse russos, idque ex urinæ usu in dentibus defricandis. At enim gingiva illi perinde ut cæteris mortalibus à suffuso sanguine rubebat, cum dentes ab usu lotii albicarent. Sic enim ait: *Egnatius, quod candidos habet dentes, Renidet usque.* Quid jam? ecquid causæ est, quin me, quod his epistolis facturum me receperam, optima fide præstitisse, hoc est, Paradoxa nihilo Stoicis illis credibiliora attulisse prædicer? Habes quippe, si numerum capere velis, sexdecim à Burdone:

1. *Propertium fuisse Amerinum, non Mevaniensem.*
2. *Valles idem esse quod Colles.*
3. *Ameriam Mevaniæ campis esse affinem seu contiguam.*
4. *Amerinos rectè dici Mevanates.*
5. *Alios esse Mevanates, alios Mevanienses.*
6. *Clitumni fontem è lacu Vadimonis emitti.*
7. *Lacum Vadimonis esse in Umbria.*
8. *Aquam Vadimonis esse tepidam.*
9. *Nævium nullos scripsisse versus Hexametros.*
10. *Livium Andronicum nullos scripsisse Hexametros.*
11. *Livii Odysseam nullo alio versuum genere, quam Saturnio, conscriptam fuisse.*
12. *Saturnium versum esse Jambicum Senarium catalecticum.*
13. *Gingivas nihil à dentibus differre.*

14. *Ruf-*

14. *Russum colorem candido nihil interesse.*
15. *Dentes urina defricatos non albos, sed russos fieri, quoniam ipsa urina russa sit, suoque dentes colore tingat.*
16. *Urinam veterem esse, quod quisque minxit mane.* De hac quippe Catullus loquitur, cum ea russam Iberorum gingivam defricari ait.

His duo à Batavis tuis accedunt:

1. *Qui hoc genus monstra ac portenta scribat esse principem literarum, esse per omnia diis, quam hominibus similiorem, esse Deum, esse ter maximum.*
2. *Quibus Burdonem vivum officio ætatis demereri, defunctum vero defensionis & prædicationis beneficio prosequi verecundiæ non fuit, viros bonos & honestos esse.*

A me tandem hoc addas licet:

Cum Bavariæ Scaligeri à Verona principibus oriundi, vulgo perhibiti fuerint esse Tricolei, *ex eoque* vernis passeribus salaciores: *nullum Burdonis exoleto relinqui argumentum, quo eum verum Scaligerum & Principum eorumdem stirpem fuisse doceat, quam si & ipsum* Tricoleum *fuisse fateatur. De hoc enim cum aliis, tum mihi ac lectoribus meis minimo negotio fidem fecerit. Aliis quidem, tamquam testis oculatus, qui ut plurimum crederet, utraque manu officiosissima Hellespontiaci numinis beneficia cum plausu & admiratione timidissima sæpe tractaverit. Nobis autem, præsertimque in Italia viventibus, quoniam tanti stuporis sunt, de quibus velut acutissime excogitatis usque eo sibi Burdonem placere demonstravimus, ut jam præ illo, non Veronenses modo Scaligeri, sed ipsi etiam Bergomates Colei nullo pæne numero esse videantur.*

Sed Paradoxon satis est. Tu vir præstantissime ride, & vale.

ALEXANDRO TASSONIO
Philoſopho præclariſſimo.

XIV.

NArro tibi, amicorum cariſſime. Magna cum voluptate tuorum Problematum librum ſubinde manibus verſo, deque ingenio tuo ſic variarum diſciplinarum ſcientia exculto, atque polito & limato judicio ætati noſtræ gratulor. In primis autem me extrema libri illius tui pars oblectat, qua noſtrorum temporum ingenia cum Græcorum & Romanorum præſtantiſſimo quoque contendis, quaque laude alteri alteros ſuperent, diſtinctè diſputas. De Grammaticis tamen diſſimulare nequeo, minus me, quam ab illa ingenii tui feſtivitate exſpectabam, inveniſſe. Tibi ſcilicet ſatis fuit recentiores ejus artis profeſſores antiquis illis pares facere, & ſcientiæ palmam non his magis, quam illis, adjudicare. At enim non ſola eruditione & literarum notitia, ſed & ſtoliditate Grammaticos cenſeri ſolere noſti. Legiſſe enim te illud Athenæi oportet: *Exceptis medicis nihil Grammaticis eſſe ſtultius*. nec minus hoc alterum Sexti Empirici: *Maxime de artificio ſuo ſibi placent ſeque magnifice jactant Grammatici: eos autem ſemper inſectantur, qui ſunt aliis ornati diſciplinis, quaſi illi ne communem quidem Græcorum morem & conſuetudinem noviſſent: atque adeo, ſi quando in diſputatione premantur, ſæpe non inveniunt aliam evadendi rationem ad abſtrahendos eos, cum quibus diſputant, quam quod barbara ſit ac ſolœca eorum oratio. Videmus etiam Grammaticos, qui fere ne duo quidem verba dextre poſſunt contexere, velle unumquemque ex antiquis, qui dicendi facultate & Græci ſermonis proprietate plurimum valuerunt, ut Thucydidem, Platonem, Demoſthenem, tanquam Barbaros reprehendere*. Hujus reì ſpecimen paſſim in Servio invenias. Cum enim regulas Grammaticorum ratione nixas videri poſtulet, quæque loquendi genera cum regulis illis non ſatis conſentiunt, ea *uſurpari*, ſive *uſurpatione*, aut *uſurpativè*, hoc eſt, *uſu potius, quam ratione* dici contendat, non raro Vir-

 gilium,

gilium, Horatium aliosque linguæ latinæ auctores locupletissimos quasi die dicta in crimen raptare non dubitat, velut ex iis, quæ subjiciam, apparebit. Virgilius Æn. 5. Cloanthum *utrasque palmas tendere ait*. Hoc Servius cum Carminio nota dignum censet. *Per naturam enim vitiosam esse hanc elocutionem, & sive utramque palmam, sive utrasque palmas dixerimus, esse in aliquo usurpationem*. Similiter quod Æn. 2. poeta dixit, *Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus*, nulla ratione dictum, sed *usurpatum* censet, ubi & *Vetus*, seu *Veter* comparativum habere negat, cum tamen Priscianus in extrema Bacchidum Scena apud Plautum legat: *Senem illum tibi dedo veteriorem*. Et Æneid. 3. *Terra hospita*, *usurpative* dictum censet, *qua enim in ES exeunt, Communia esse possunt: nam fœminina in A, non mittunt. Lucanus: Hospes in externis audivit curia tectis*. Itaque nec Terentius satis Latine in Andria dixerit: *Propter hujusce hospita consuetudinem*. Ibidem & Plauto velut diem dicit, quod *usurpative Pauperam* dicere ausus fuerit. Et Æneid. 6. *Stabulant* à Virgilio *usurpative positum* ait, *cum latinum sit stabulor*, cui consequens est, ut nec Varro Latine sciverit, cujus 1. rei rust. 21. verba sunt; *Ut alienum pecus in suo fundo pascat ac stabulet*. Et Æneid. 3. ad hæc poetæ verba: *Lenis crepitans vocat Auster in altum*, censoriam notionem sic exercet: *Duo epitheta posuit vitiose. Fecit autem hoc impropriè in decem versibus*. Ita nec Cicero non habebit, cur à Grammatici scutica metuat, quando eum persæpe bina aut plura adeo ejusdem rei epitheta posuisse scimus. Eodem libro ad illud, *Erigit eructans*, Horatio dicam impingit, qui *usurpative* dixerit: *Hic dum sublimes versus ructatur*. Eundem solœcismi postulat in Æneid. 2. quod *Pulcras clunes*, non *pulchros* dixerit. Et iterum in Æneid. 3. quod contra regulam *Stirpes raptas*, non *raptos* protulerit. Ad hos etiam Virgilii versus Æn. 4. *Me puer Ascanius, capitisque injuria cani, Quem regno Hesperia fraudo & fatalibus arvis*, hanc notam apponit: *Longe repetiit* Quem, *& non ad caput, sed ad Ascanium retulit. Et licet excusetur, tamen solœcophanes est*. Ejusdem in 1. Georg. verba sunt: *Suppellex usurpatum est, nam artis est hac suppellectilis. Genitivus enim aut par debet*

bet esse nominativo , aut una syllaba major , ut Musa , musa , Doctor , doctoris . Si duabus majorem invenerimus , contra artem id esse manifestum est ; ut Anceps , praeceps , & pauca alia . Et in Georgic. 3. *Lea* dicit esse *usurpatum . nam Leana esse Graecum . Latine autem dici Hic* & *hac Leo* . Ergo Grammatici hujus judicio ipse Lucretius , quo nihil in omni Latio fuit Latinius , non satis Latinè scripsit lib. 5. *Irritata lea jaciebant corpora saltu*, nec Ovidius Metamor. 4. *Ut lea saeva sitim multa compescuit unda* . Tandem in principio Æneidos , ubi de hoc versu commentatur , *Italiam fato profugus Lavinaque venit Littora* , hoc modo suam reliquorumque Grammaticorum stoliditatem testatam facit : *Ars quidem hoc exigit , ut nominibus provinciarum praepositionem addamus ; civitatum numquam . Tamen hoc plerumque perverso ordine legitur , ut est hic* , Italiam venit , *pro* ad Italiam . *Tullius in Verrinis* : Ea die Verres ad Messanam venit , pro Messanam venit , *Sane sciendum est usurpari ab auctoribus , ut vel addant , vel detrahant praepositiones* . Usurpari est usurpative , & sine ratione contraque artis regulas dici . Fatetur ergo plerosque auctorum aliter loqui , ac regulæ Grammaticorum loquendum esse doceant , quod quidem nihil est aliud , quam aperte ferre , Regulas esse mendosas & fallaces , quique ex præscripto earum loquuntur aut scribunt , optimi cujusque auctoris linguæ latinæ fore dissimillimos . Et has tamen regulas linguam latinam discere aventibus obtrudere non dubitarunt veteres Grammatici , ut quin stolidi ac dementes judicentur , neminem intercessurum putem . At enim recentiores hoc eis præstant , quod easdem regulas , quas illi stolidè commenti fuerant , ipsi approbant , & à linguæ tironibus memoriæ infigi postulant . Ut enim ipse in Problematum tuorum παλιγγενεσία lib. 6. cap. 17. luculenter evicisti , haud dubie major ejus est stultitia , qui quod alteri stulte in mentem venit , comprobat , quam qui ipse stulte quid comminiscitur . Est tamen & aliud quiddam , cujus nomine stultitiæ palma recentioribus debetur , quod pueros Grammaticæ præcepta prius discere postulant , quam illi linguam latinam , qua præcepta traduntur , intelligant . quo quidem haud scio quid magis absurdum & abhorrens excogitari possit . Ve-

teres quidem certè artis magistri non nisi eos, qui jam Latine loquerentur, in disciplinam recipiebant. neque dubium habeo, si quis hodie Germanum hominem Hetruscum sermonem ex Pergamini vestri Grammatica, quæ tota Hetruscis verbis constat, discere jubeat, quin omnes ei sinciput minime sanum esse judicent, ejusque notæ magistrum ad agnatos & gentiles deducendum censeant. Bono itaque meo periculo Grammaticos nostros antiquis nec scientia artis inferiores, & stoliditate multis partibus priores pronunciare poteras. Hoc autem multo minore negotio aliis probaveris, si tibi concedatur, quod vel propter Aristotelis auctoritatem negari non debet, cujus generis maximum maximo alterius generis præstet, etiam illud genus alteri generi præstare: ut, si maximus vir maxima muliere major sit, omnino viri mulieribus majores censeantur. Jam Grammaticorum veterum quin multo maximus fuerit *M. Varro*, nemini paulum modo humaniori dubium esse potest. Hunc enim ipse Cicero *hominem omnium facile acutissimum & sine ulla dubitatione doctissimum, virum ingenio omnique doctrina præstantem & diligentissimum antiquitatis investigatorem* prædicat, *qui poetis Romanis, omninoque Latinis & literis & verbis plurimum luminis attulerit*. Hunc Quintilianus *Romanorum eruditissimum, linguaque latinæ, & omnis antiquitatis peritissimum* fatetur. Recentiorum palmam omnium concessu *Josephus Burdoscaliger* sibi vindicat, *genus Deorum, per omnia diis, quam hominibus similior, literarum Dictator perpetuus, aquila in nubibus, imo Deus, & quidem ter maximus, ad cujus aram supplices se literati abjiciunt, cujus numen si placatum habeant, iratas Musas nequaquam pertimescant*. Sic videlicet Lipsius, Casaubonus, Acidalius, aliique literatores homini vanissimo acclamabant. Jam de togatorum illius doctissimi stoliditate voluminis res sit omnia, quæ ex libris ejus afferri possent, complecti, sed satis erit unius ea de re Burdoscaligeri testimonium referre. Ejus in libro de re nummaria pag. 67. verba sunt: Illud mirum, veteres illos, cum dicerent *Mille nummum*, putasse *τὸ nummum* esse casus quarti, hoc est, accusativi singularis. Nam ut omittam Nonium, qui in illis exemplis, quæ non pauca adducit, accusativum pro genitivo positum ait in

mille

mille passum, *mille nummum*, audiamus Varronem VIII. de lingua latina: *Numeri*, inquit, *qui as non significant usque à quatuor ad centum, triplices habent formas quod dicuntur hi quatuor, hæ quatuor, hæc quatuor. Quum perventum est ad mille, quartum adsumit singulare neutrum, quod dicitur* hoc mille denarium: *à quo multitudinis fit millia denarium*. Item infra: *Si esset denarii in recto casu, atque infinitam multitudinem significaret, tunc in patrio denariorum dici oportebat: & non solum in denariis, victoriatis, drachmis, nummis, sed etiam in viris idem servari oportet, quum dicimus, judicium fuisse triumvirum, decemvirum, non trium virorum, decem virorum*. Quis tam futilem sententiam in doctissimo togatorum non miretur? Vult enim, ut ex ejus verbis clarè colligitur, *mille drachmum* ita dictum, ut *drachmum* sit quartus casus singularis. Adeo hæc stulta opinio mentibus illorum veterum inoleverat, ut putarent *amphorarum*, *drachmarum* non posse dici conjunctim, *decem millia amphorarum*, sed *decem millia amphorum*, in qua sententia fuit C. Julius Romanus vetustissimus & doctissimus magister, ut à Charisio vocatur. Quis hoc ferat in tanto Critico? quasi Lucilius non dixerit *Scalprorum forcipiumque Millia viginti*— Et Plautus Trinum. act. 2. sc. 4. *Mille drachmarum Olympicum*. Hæc Josephus, qui addere poterat hoc Terentii Heaut. *Huic drachmarum argenti hac mille dederat mutuum*: Josephi ergo judicio jocularis ista est Varronis stultitia, quod *Drachmum* & *Denarium* in *Mille drachmum*, & *Mille denarium*, quæ genitivi pluralis sunt, pro accusativis singularibus neutri generis habuit. At enim valde vereor, ne Varroni ea in re fiat injuria: nam in Ingolstadiensi ejus editione fide optimarum membranarum, quibus Faernus usus fuerat, ita scriptum habemus; *Cum perventum est ad millenarium, adsumit singulare neutrum, quod dicitur Hoc mille, à quo multitudinis fit Millia*. Veruntamen sic quoque tenebrosus est Varronis locus, neque facile quis, quid verba ejus sibi velint, expediverit. Illud quidem satis planum est, in triplici eum errore fuisse, quorum nullus vel puero non sit pudendus. *Mille* scilicet nomen substantivum, & genere neutrum, & numero singulare esse credidit, idque propterea,

 rea,

rea, quod id cum genitivo construi videret. Legerat scilicet apud Plautum Milite: *Mille annorum vivunt. Habet mille modiorum auri*. Et Stich. *Velim mihi esse mille modium argenti*. Hinc porrò satis intelligebat *Modium* non esse accusativum singularem neutri generis, sed *Modium* pro *Modiorum* esse dictum, quod nihil dubito, quin etiam in *Denarium* & *Drachmarum* usuvenire probe perspexerit. Sed tamen quoniam genitivum à nomine substantivo regi oportet, hos genitivos à nomine *Mille* regi existimans, *Mille* substantivum esse statuit. In quo quam turpiter ratio eum fugerit, hinc judicari poterit. Latine recte quæritur, *Quantum nummorum est in arca*? Sic scilicet passim legimus. Sed unum Catulli exemplum satis ei fidem fecerit: *Lugete ò Veneres Cupidinesque, Et quantum est hominum venustiorum*. Et hoc Juvenalis; *Quantum quisque sua nummorum possidet arca*. Jam in *Quantum* subauditur *Negotium*, quod idem significat ac *Res*, velut apud Græcos *χρῆμα* vel *πρᾶγμα*. Cum enim adjectivum & substantivum sint ex eorum censu, quæ *πρός τι*, seu *Relata* dicuntur, ubicumque nomen Adjectivum est, inibi substantivum, cui adjiciatur, vel expressum, vel suppressum ac subaudiendum sit necesse est. Similiter igitur recte respondebitur: *Negotio* seu *Res mille nummorum* seu *nummum est in arca*. Atque hæc est plena & regulis artis consentanea oratio. Sed quoniam Romani compendia sermonis consuetudine consectabantur, sic factum est ut per Ellipsin figuratè dicerent *mille nummorum est in arca*, voce *Res* aut *Negotium* suppressa, quod ipsum in multis aliis usuveniebat. Verbi gratia: *Moris est*, *Hoc laboris magni est*, *Satis est auxilii*, *Parum est vini*; *Non nostra opis est*, *Non mihi opera est*. In quibus omnibus *Res* vel *Negotium* subauditur. Cum enim Genitivus omnis velut possessorem significet, cujus scilicet res est, ad substantivum nomen velut ad rem possessam referatur necesse est. Id enim Relatorum natura postulat. Est autem *Res moris* idem quod Mos, *Res laboris* quod labor; *Res auxilii*, quod auxilium, eodemque modo in cæteris, quod loquendi genus Latinos à Græcis mutuatos disertissimus Muretus in Variis lectionibus olim demonstravit. Ita Plauto Amphit. *Parva res voluptatum in vita*, est parva

volu-

voluptas, pro quo & *Parum voluptatum*, ſeu *Parvum negotium voluptatum* dicere poterat. Similiter apud Phædrum cultiſſimum fabularum ſcriptorem legimus lib. 4. fab. 65. *Cum tentaret, ſi qua res eſſet cibi.* id eſt, ſi quis eſſet cibus, pro quo ſi dixiſſet, *ſi quid eſſet cibi*, *Negotium* ſuppreſſum eſſe intelligeremus. Non minus autem recte dixero, *Decem nummorum eſt in arca*, ut eodem modo *Res* vel *Negotium* ſubauditur, atque ita Paulum primi nominis Juriſconſultum loqui videmus, cujus verba ſunt L. ſervum teſtamento Dig. de manumiſſ. teſtam. *Servum teſtamento ita manumiſi: ſi juraverit ſe filio meo decem operarum daturum, liber eſto.* Similiterque L. ſi peculium §. quædam. Dig. de Statu lib. *Cum decem operarum juſſus eſt dare*, hoc eſt decem operas. Hac ratione & auctoritate ſatis defenſus fuero, ſi mihi cognatum teſtamento decem talentorum reliquiſſe dicam. *Rem* porrò in eo ſubaudiri, ex Terentio diſcamus licet, in cujus Phorm. act. 2. ſc. 3. legimus: *Si cognatus talentum rem reliquiſſet decem, Progeniem veſtram uſque ab avo atque atavo eſſet proferens.* Jam nemo tam hebes futurus videtur, ut in hoc, *Reliquit mihi decem talentum*, *Decem* Subſtantivum nomen ſingularis numeri eſſe, & genitivum *Talentum* ab eo tamquam ſubſtantivo regi exiſtimet. Satis quippe jam conſtat *Decem talentum* eſſe Syntaxin adjectivi nominis cum ſubſtantivo, Rectionem verò genitivi non eſſe regularem, ſed figuratam, id quod per Ellipſin nomen *Rem* aut *Negotium* ſuppreſſum ſit, à quo genitivus regitur. Flagitioſus igitur Varronis error eſt, quod in *Mille hominum* vel *nummum* Syntaxin genitivi cum ſubſtantivo eſſe credidit, adeoque *mille* adjectivum plurale patrii caſus eſſe non intellexit. *En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!* Neque tamen non multo majoris ſunt flagitii, quæ cum alias paſſim, tum in hac ipſa adverſus Varronem diſputatione illuſtriſſimus ille & incomparabilis Burdo noſter deſignavit. Primum enim quod Varroni prius ſtulte in mentem venerat, avidiſſime arripuit, ut ne ſcilicet ſtultitiæ priores alteri relinqueret. *Mille*, ait, *purum putum ſubſtantivum eſt ut χιλιὰς Græcis.* Quod etſi ab Agellio quoque affirmatum, quam falſum abſurdumque ſit, ſatis jam demonſtravi, nec quicquam in Lucilli verſu momenti eſt:

Tu milli nummum potes uno quærere centum. Scimus enim quæ literarum E, & I, fuerit affinitas, quamque nulla poetis, ut ne versum morarentur, alteram pro altera ponere religio. Non magis ergo aut novum aut mirum videri debet, Lucillium *Milli* pro *Mille* posuisse, quam *Corpore* pro Corpori *: Sic facies faciæ præstat , sic corpore corpus*. Cujus exemplo Ovidius Fast. 6. *In qua par facies nobilitate fuit*. Mitto jam, quod Lucillium satis constat plus æquo sibi sumere & à publica consuetudine discedere fuisse solitum, quo nomine à Varrone & Quintiliano reprehenditur, ut qui *Meille*, *Meillia*, *Meiles*, *Illei*, *puerei*, scribendum sibi duxerit. Deinde vero summa vi pugnat Burdo omninoque persuasum cupit omnibus, uti cum *Sestertium* in genitivo legimus, nos *Sestertia* legamus, dicamusque verbi gratia, *decem millia sestertia*, non Sestertium, quasi esset, *decem chiliades sestertia assium*, non decem millia assium seu nummorum sestertiorum. At enim Priscianus sibi Verrinas Ciceronis *in antiquissima scriptura emendatis codicibus* lectas fuisse, seque *Sestertium* pro sestertiorum, *Modium* pro Modiorum & *Medimnum* pro Medimnorum per Syncopam scripta invenisse testatur. Hoc Priscianum dicere ipse quoque Burdo confitetur, sed quoniam, quæ in istis loquendi generibus sit syntaxeos ratio, non intelligit, ingenio utitur, & omnia auctorum loca interpolare ac depravare postulat. Verbi gratia Ciceronis in Verrina 3. de Frumento numero 58. verba sunt*: Facta est sponsio sestertium quinque millium*. quo loco Burdo extremam vocem *Millium* inducit, quod in voce *Sestertium* ea subaudiatur, ut idem sit *Quinque sestertia*, *& quinque millia sestertia*, quo tamen modo nemo veterum locutus est. Etsi enim *Sestertia*, in plurali Adjectivum est, natura sua, usu tamen factum est substantivum, sicut *Patria*, cum adjectivum sit, in quo *Terra* subauditur, usus tamen Substantivum fecit, ut alii adjectivo subjici vel substare possit, quod fit, cum dicitur, *Neapolis mihi materna patria est*. Similiter *Sestertia quinque* substantive usurpantur, ad significanda totidem minæ sestertiæ pondera, quæ conficiunt 125. aureos sive scutatos, cum unumquodque Minæ pondus valeat decem aureis seu centum denariis, aut Juliis Romanis,

vel

vel Regalibus Hiſpanicis: ex quo *Seſtertium mina pondus* (quod Per ellipſin *Seſtertium* dicitur) 25. aureos, ſeu 250. denarios, hoc eſt, mille nummos, ſive aſſes, ſeſtertios valere omnes intelligunt. Non ergo Cicero *quinque millia ſeſtertia* dixit, ſed *Seſtertium* ſive *Seſtertiorum nummorum*, hoc eſt, *Aſſium ſemitertiorum*, qui duos ſcilicet aſſes & ſemiſſem valent, qui Romanis hodie *dimidii groſſi*, Germanis *Drit halb creuzer* vocantur, Denario ſcilicet pro denis crucigeris accepto. Ita mox Cicero numero 60. de eadem ſumma verba faciens: *Cogit Scandilium quinque illa millia nummum dare*. Et iterum: *Cogit Scandilium Apronio Seſtertium quinque millia mercedis dare*. Ejuſdem 2. Ver. de Juriſdictione num. 19. verba ſunt: *Seſtertium ducenta quinquaginta millia juſſu prætoris data*. Et mox: *Numerantur illa ſeſtertia ducenta quinquaginta Syracuſanis*. Simili modo 5. famil. epiſt. 20. *centum millia ſeſtertium*, & *centum ſeſtertia* indiſcriminatim dicit. Unde planum fit, idem eſſe *Quinque ſeſtertia*, *&* *quinque millia ſeſtertium*, ſive *nummorum ſeſtertiorum*. Neque quicquam negotii nobis exhibere debet, quod eſt apud Horatium: *Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia nummum*: nam ibi *Seſtertia* non adjective poſitum eſt, nec in eo *Millia* ſubauditur, ſed velut de *Patria* dixi, naturam Subſtantivi induit, adeoque genitivum regit, quomodo *Culmen tecti* recte dixeris;, etſi *Tectum* natura ſit adjectivum, in quo *Culmen* ſubauditur, quæ ipſa in multis aliis eſt ratio, ut *Juſta funeris*, *Nemo homo* vel *hominum*, *Liber tertius Annalium*, *Altum maris*, *Locum æſtivorum*, in quibus omnibus ejuſdem nominis ſubſtantivi genitivus regitur ab adjectivo, in quo ſubaudiebatur. Sed nec Chariſii quicquam nos movere debet ſententia, negantis recte dici *Quinquaginta ſeſtertium*, vel *Centies nummum*, cum tamen *quinquaginta ſeſtertia*, & *centies ſeſtertium*, rectè dici agnoſcat. Primum enim in aliis quoque alucinatum eum videmus, quale eſt, quod *oſtrea* neutrum plurale eſſe negat, cum Lucillius perſpicue dixerit, *Luna alit oſtrea & implet echinos*. Ita *Pervigiliam* dicendum contendit, cum Pervigilium in Catulliani trochaici inſcriptione & apud Livium, Suetonium, Tacitum & Petronium habeamus. *Favitor* quoque pro *Fautor nec auctoritate nec ratione dici* affirmat, cum

cum eo Plautus Amphit. & Lucillius apud Nonium utantur. Horum similia multo plura afferri possent, sed vel ista satis sunt, ut ne quid ei temere credamus. Deinde habemus Livii locum lib. 40. *Sestertium nummum quater & vicies ab eis est exactum*. Ubi ridicule Burdo τὸ *Nummum* tolli jubet, quia Charisius neget recte dici *Vicies nummum*: nam causæ nihil est cur Charisio potius, quam Livio credatur, & ad Syntaxin nihil prorsus refert, sive *Vicies nummum*, sive *Vicies sestertium* dicas, cum uterque genitivus pluralis sit, & alter cum altero semper intelligatur, pendeatque à Substantivo, quod per ellipsin subticetur. Integra enim oratio secundum regulas est: *Quater & vicies centena millia nummorum sestertium sunt ab iis exacta*, & per Syllepsin numeri, *est ab iis exactum*. Rem ita se habere docet Cicero, qui Dionem modò *decies sestertium*, modo *decies centena millia sestertium Verri numerasse* ait, ut in *Decies*, *Vicies*, *Centies*, *semper Centena millia* subaudienda intelligamus, adeoque nihil in hoc Capitolini loco mutari debet: *Omne convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertium*, quod quivis non indoctus 150. millia aureorum seu Philippeorum esse intelligit, cum *decies* Plutarcho teste sit 25. myriades drachmarum, sive 227. millia denariorum. Sic neque in Velleji loco de Curione quicquam mutandum est: *Simulatione contra Pompejum & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit. Id gratis, an accepto centies sestertium fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus*. Nam eodem modo Cicero dixerat: *Multorum tabulis satisfactum vobis est, Sestertium decies numeratum esse*. Etsi ibi legi quoque potest, quomodo in nonnullis libris scriptis exstat, *numerata esse*. Utrovis enim modo integra oratio erit sive dicas, *Negocium decies centenorum millium sestertiorum esse numeratum*: sive, *Decies centena millia sestertiorum esse numerata*. Hanc Syntaxeos rationem quod non intelligeret Burdo, ista loquendi genera *barbara* esse pronunciare, & viginti quatuor auctorum loca interpolare ausus est, ut quin stultitiæ priores ferat, nihil te intercessurum arbitrer. quem in eo quoque fugit ratio, quod hunc Livii locum lib. 38. corrigendum censuit: *De pecunia summa, quam penderent Romanis Ætoli, nihil ex eo, quod cum Consule convenerat, mutatum: pro argento si aurum dare mallent*,

lent, *convenit*, *dum pro argenteis decem aureus unus valeret*. Contendit enim barbariſmum eſſe *Aureus valet pro decem argenteis*, ac propterea præpoſitionem inducendam. Ratio ejus eſt, *quia Plinius ſoleat præpoſitionem omittere*. Itaque ſi huic Grammaticorum principi dicto audientes ſimus, quicquid Cicero, Cæſar, Livius, alii aliter quam Plinius dixerunt, barbarum judicare nos oportebit. Atqui ephebus quivis, qui noſtra Grammatices præcepta cognoverit, omnem ablativum ab aliqua præpoſitionum ſive expreſſa, ſive ſuppreſſa regi intelligit, adeoque æque Livium ac Plinium Latinè locutum defendet: Plinium quidem Syntaxi irregulari, ſeu figurata, ut qui præpoſitionem conſtructioni neceſſariam per ellipſin ſubticuerit, Livium vero regulari, ut qui eam expreſſerit, quemadmodum & Seneca fecit lib. 7. de beneficiis cap. 15. *Non ſemper numero numerus æquandus eſt, aliquando una res pro duabus valet*. Sed ad *Mille Seſtertium* & *Decies Seſtertium* redeo, quæ ut per Genitivum pluralem efferri fiat manifeſtius, notat Priſcianus à Tullio in Frumentaria Verrina dictum: *Sed tritici ſepties medimnum ex Nymphonis arationibus tollit*. aitque *Medimnum* eſſe Medimnorum. Burdo fatetur ſubaudiri *centena millia*, & nihilominus *Medimnum* eſſe adjectivum pugnat quæ jam ejus notæ eſt non ſtultitia, ſed inſania, ut ellebori jugere, vel dicam omni Anticyra perſanari nequeat, quid homini putas eſſe reliquum, niſi ut *Talentum* quoque dicat eſſe Adjectivum? quippeni? cum prorſum ad exemplum Seſtertii dicatur *Mille Talentum*, *Decies centum millia talentum*. Valerius Maximus lib. 6. cap. 4. *Dario filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentum pollicente*. Nec tamen hactenus tantum Burdonis delirat acumen. Monet enim nos, ut obſervemus, Latine quoque dici ſolitum *Ducentum millia* & *Sexcentum millia*, pro ducenta & ſexcenta. Quomodo ſi denum annorum puer locutus fuiſſem, certo, non arbitrario vapulaſſem. Et tamen Lucillii verſibus, ut nobis perſuadeat, utitur. Sed eos minime bona fide, nec ut à Nonio laudati ſunt, recitat. Verba enim Nonii ſunt: *Sexcentum pro ſexcentorum*. *Lucillius*: *Maximus ſi argenti ſexcentum ac mille reliquit*. *Idem*: *Quid vero eſt, centum ac ducentum poſſideas ſi Millium?* Hic videmus prioris verſus ſententiam eſſe: Maximus ſi rem mille ac

ſexcen-

ſexcentorum nummorum argenti reliquit. Poſterioris autem: Quid magni eſt, ſi rem centum ac ducentorum millium nummorum poſſideas? Ubi ergo ſunt *ducentum millia*, & *ſexcentum millia*, quæ Burdo nobis obtrudit? Tertius Lucillii verſus eſt iſte: *Millia ducentum frumenti tolle medimnum, Vini mille cadum*. Sed in eo legendum *Millia tu centum*, nemini non obeſæ naris ſtatim ſuboleat, ut ſenſus ſit: Tu tolle negotium mille cadorum vini, & centum millium medimnorum frumenti. Sed neque non ſecunda intelligentium voluntate in ſuperiore verſu ſcriptum quis fuiſſe cenſeat: *Centum atque ducentum poſſideas ſi*. Eadem ſcilicet opera & legi pedariæ ſatisfiet, nec ſolœciſmi poeta inſimulari poterit. Et dubitamus adhuc, quin ex facili lectoribus libri tui probaturus ſis, quæcumque in veterum Grammaticorum ſtultitiam dici poſſunt, ea longe recentiorum fatuitatem exſuperare? Vale Italiæ lumen, meque mutuè amare perge. Mediolano Calend. Majis anni M.DC.XXVIII.

ALBERICO & CAROLO SEPTALIIS Mediolanenſibus.

XV.

Nihil mirum eſt, idem ipſum vobis, nobiliſſimi juvenes, quod aliis plurimis in legendis linguæ latinæ auctoribus uſuvenire, ut permoleſta vobis accidat rei nummariæ, qua Romani & Græci utebantur, ratio. Sed ea moleſtia non magno negotio liberabimini, ſi hominum doctorum ea de re Syntagmata, quæ poſtremum exierunt, conſulere volueritis, præcipueque, *Petri Giacconii Tolletani*, ſummi in omni diſciplinarum genere viri, edita Romæ opuſcula, & *Andreæ Schotti* rei nummariæ tabulas Antuerpianis typis deſcriptas, quos libros non dubito, quin ornatiſſima patris veſtri biblioteca contineat. Is enim cum Peripateticorum Philoſophorum & Medicorum ætatis noſtræ familiam ducat, nec humanitatis ſtudia faſtidit, quod alii ſolent, ſed quoties à graviorum curarum ſeveritate laxare animum cupit, ad amœnitates iſtas divertere conſuevit, eaque re vix ullo

ullo librorum carere animum inducit, quem ad veterum sciptorum intelligentiam momentum aliquod facere intellexerit. Sed quoniam Schottus *Manutios* & *Ciacconium* sequendos sibi putavit, egoque *Fulvium Ursinum* & *Justum Lipsium*, rectius Sestertia & Talenta ad hodiernum Romanæ monetæ usum revocasse arbitror, rem minimè vobis ingratam facturus mihi visus sum, si novas vobis tabulas conficerem, quarum inspectione dubium omne, si quod vobis inter legendum auctores objiciatur, discutere possitis. Eas ergo vobis nunc mitto, ut me officiorum, quibus me sibi ac vobis pater vester devinxit, memoriam conservare intelligatis. Verum hoc vos præmonitos velim, non eadem semper significatione Nummi vocem in auctoribus usurpari. Alias enim *Denarium* significat argenti, qui est decem assium, cui par est pretium Julii Romani & Regalis Castellæ. Sic Terent. Heaut. act. 3. sc. 3. *Mille drachmarum* & *Mille nummum* indifferenter pro mille denariis dixit, qui & *Nummi argenti* dicuntur, ut Plaut. Pseud. *Nummum nusquam reperire argenti queo*: Et Mostel. *Locare argenti nemini nummum queo*. Alias *Nummus* significat *Drachmam auri*, seu decem denarios argenteos, qui Romæ hodie *Scutatus moneta* vocatur, decem puta Juliorum, quem vos Mediolani Ducatonem dicitis, Germani Talerum Philippeum. Livius lib. 38. *Dum pro argenteis decem aureus unus valeret*, subaudi Nummis. Plaut. Rud. *Nummi octingenti aurei in marsupio insuerunt*. Idem Persa: *Sexcenti nummi quid agunt*? aurei puta, quos aliter ibidem vocat *Sexaginta minas*, id est, sexcentæ drachmæ auri, sive 600. scutati vel ducatones aut philippi. Et hic est *Nummus auri*. Absolute tamen cum *Aureus* dicitur, nummus auri sestertius intelligitur, qui valet. 25. denarios argenti sive Julios. Alius *Nummus* pro *didrachmo* accipitur seu duobus denariis argenti, ut Ciacconus notat in hoc Plauti loco Trucul. act. 2. sc. 7.

Nam jam de hoc obsonio de mina deminui modo quinque
Nummos: mihi detraxi partem Herculaneam

Josephus Burdo, qui turpe sibi putaret aliquid à Ciacconio discere, quem tamen multo se doctiorem esse facile intelligebat, quinque nummos interpretatur totidem drachmas auri, sive 50. denarios, quod ea sit Hercula-

nea

nea ſeu decima pars de quinque minis ſeu 500. drachmis. At enim ſervus non de quinque minis, quas meretrici ferre juſſus erat, ſed de una illa mina, qua obſonaverat, quinque ſe nummos ait detraxiſſe: quoniam decima Minæ pars ſunt, decem denarii ſint oportet, ex quo nummum duobus denariis hic valere appareт. Alias *Nummus* ſignificat *Aſſem*, qui eſt nummus æreus penditque libram æris, ex quo & *Aſſipondius*, & *Aſſarius* dicebatur, voce *Nummus* per ellipſin ſuppreſſa. Aliter & *Libella* dicitur, Romanis hodie *Bajoccus*, Germanis *Ein creuzer* ſeu cruciger aut cruciatus, ſi philippeus centum cruciatis æſtimetur. Hinc *Dupondius* eſt As vel Aſſis duorum ponderum, ſeu duarum librarum, hoc eſt, duo aſſes, pro quo *Bini æris* dicebant, ut ſubaudiretur *Nummi*. Sic *Treſſis*, id eſt, tres aſſes, terni æris: *Quartuſſis*, *quinqueſſis*, *ſextuſſis*, *ſeptuſſis*, *octuſſis*, *nonuſſis*, *decuſſis*, *viceſſis*, *triceſſis*, *centuſſis*, ſive quatuor æris, quini æris, ſeni æris, ſepteni æris, noveni æris, deni æris, viceni æris, triceni æris, centeni æris, pro quatuor, quinque &c. centum aſſes. *Mille æris*, *mille aſſium*, *mille aſſariorum*, & *centum millia aſſium*, vel *centum millia æris*, ſubaudi nummum aut nummorum. Eſt autem *res mille æris* idem quod mille ſcutati, vel ducatones, vel philippi. Tandem *Nummus* plerumque ſignificat *Seſtertium*, id eſt, quartam denarii partem, qui Romæ *dimidius groſſus* vocatur, qui valet duos aſſes & ſemiſſem, adeoque hac nota inſignitur IIS. quod eſt Aſſes duo & ſemis ſeu dimidius, aut LLS. id eſt, duæ libellæ æris & ſemis. Dicitur *Seſtertius nummus* quaſi as ſemitertius. Sæpe autem tam *Seſtertius*, quam *Nummus*, in proferenda pecuniæ ſumma ſubticetur, adeoque indiſcriminatim dicitur. Debet mihi quinque millia nummum ſeſtertium, & Debet mihi quinque millia nummum, & Debet mihi quinque millia. Sed *Seſtertium* neutro genere ſignificat ſummam mille nummorum ſeſtertiorum, quæ facit 25. ſcutatos, philippeos aut ducatones. Eſt autem nomen adjectivum, in quo ſubſtantivum aliquod neceſſario ſubauditur. Et quoniam Chariſii monitum eſt: *In adjectivis abſolutè poſitis ſubaudiendum, quod quiſque voluerit*, modo ſcilicet ſenſui exprimendo ineptum non ſit: propterea mihi,

dum

dum alii melius quid inveniant, *Pondus minæ* ſubintelligere placet. Cum enim Minæ pondus pendat decem ſcutatos, ſive centum denarios, vel regales, vel Julios: duo minæ pondera conficiunt ducentos denarios, ſeu 20. ſcutatos. Ita minæ pondera duo & ſemis, ſive pondus minæ ſeſtertium ſummam 250. denariorum ſive ſcutatorum 25. conficiet. Cæterum de nodo illo, quem ex Plauti Rudente Burdo affert, ubi Talentum magnum mille ducentis nummis ſeu ſcutatis valet, aliud quod dicam non habeo, niſi videndum eſſe, alia ne Cyrenis, ubi ea fabula agi fingitur, rei nummariæ ratio fuerit, ut ſcilicet nummus auri non niſi dimidium ejus, quod alibi valebat, Cyrenis valuerit. Nunc, ſi vobis libet, noſtras porrò Tabulas inſpicite ac valete.

TABULA I.

Sestertii Nummi.

Sestertius		
1	Valet asses seu bajoccos 2 ½	
2	5	
3	7 ½	
4	10	*id est Denarium, seu Julium, seu Regalem.*
5	12 ½	
6	15	
7	17 ½	
8	20	*id est duos denarios, seu Julios, seu regales.*
9	22 ½	
10	25	
20	50	
30	75	
40	100	*id est, decem denarios, sive unum scutatum aut Ducatonem, aut Philippeum.*
50	125	
60	150	
70	175	
80	200	*id est, 20. denarios seu duos scutatos.*
90	225	
100	250	*id est, 25. den. sive Aureũ Romanum*
200	500	*sive 5. scut. duc. philippeos.*
300	750	*sive scut. 7. & dimidium.*
400	1000	*id est decem scutatos.*
500	1250	*id est scut. 12. & dimidiũ.*
600	1500	*id est scutatos 15.*
700	1750	*id est scut. 17. & dimidiũ.*
800	2000	*id est scutatos 20.*
900	2250	*id est scut. 20. & dimidiũ.*
1000	2500	*id est scutatos 25.*

TABULA II.

SESTERTIA.

Seſtertia duo, vel duo ſeſtertia nummum, vel duo millia nummum, vel duo millia ſeſtertium.

2 valent ſcutatos	50	
3	75	
4	100	
5	125	
6	150	
7	175	
8 ————	200	
9	225	
10	250	
20	500	
30	750	
40 ————	1000	
50	1250	
60	1500	
70	1750	
80 ————	2000	
90	2250	
100	2500	—*Hoc ſic effertur*, *Debet mihi centum*, *debet centum ſeſtertia debet centum millia ſeſtertium.*
200	5000	
300	7500	
400 ————	10000	—*Debet quadringenta*, *debet quadringenta nummum*, *debet quadringenta millia ſeſtertium.*
500	12500	
600	15000	
700	17500	
800 ————	20000	
900	22500	
1000	25000	

TABULA III.
Decies Seſtertium &c.

Cum Adverbiis ſemper ſubauditur Centena millia, & in Seſtertium ſubauditur Nummum ſeu Nummorum. Decies, vel Decies ſeſtertium, vel decies centena millia HS, vel mille ſeſtertia valet ſcut. millia 25.

Undecies valet ſcut. ſeu ducatonum millia	27 & 500	
Duodecies *millia*	30	
Tredecies	32 & 500	
Quaterdecies	35	
Quindecies	37 & 500	
Sedecies	40	
Decies ſepties	42 & 500	
Decies octies	45	
Decies novies	47 & 500	
Vicies, vel Vicies HS.	50	
Tricies	75	
Quadragies	100	*Germanis dicitur Tonna.*
Quinquagies	125	
Sexagies	150	
Septuagies	175	
Octogies	200	*Germanis dua Tonna.*
Nonagies	225	
CENTIES, vel Centies HS.	250	
Ducenties	500	*Quinque Tonna. Dimidius*
Trecenties	750	*Millio Italis.*
Quadringenties	1000	*Italis Millio. Germ. Decem*
Quingenties	1250	*Tonna.*
Sexcenties	1500	*Millio unus & ſemis.*
Septingenties	1750	
Octingenties	2000	*Milliones duo, viginti Tonna.*
Nongenties	2250	
MILLIES HS.	2500	*Milliones 2 ½ Tonna 25.*
Millies decies	2525	*Million. duo, & millia 525.*
Millies centies	2750	*Milliones duo & millia 750.*
Bis millies		*Milliones quinque.*
Bis millies centies		*Milliones quinque & millia 250.*
Tres millies		*Milliones ſeptem & dimidius.*
Quater millies HS.		*Milliones decem.*

TA-

TABULA IV.

Drachmæ seu Denarii.

Drachma una sive Denarius unus valet decem assibus seu bajoccis, seu cruciatis, qui sunt quatuor nummi sestertii.

Drachmæ seu Denarii		
10	valent aureum, seu scutatum, seu ducatonem aut talerum philippeum	1
20		2
30		3
40		4
50		5
60		6
70		7
80		8
90		9
100		10 *Et hi valent Minam.*

TABULA V.

Mina.

Mina valet centum drachmas seu denarios, sive decem scutatos, ducatones, philippeos.

Minæ		
2	valent scutatos, seu ducatones aut philippeos	20
3		30
4		40
5		50
6		60
7		70
8		80
9		90
10		100
20		200
30		300
40		400
50		500
60		600 *Et hæ valent Talentum.*

TABULA VI.

Talentum.

Talentum valet Sexaginta minas, ſive 600. ſcutatos, philippeos, ducatones.

Talenta		
2	valent ſcutatos, philippeos, ducatones	1200
3		1800
4		2400
5		3000
6		3600
7		4200
8		4800
9		5400
10		6000
20		12000
30		18000
40		24000
50		30000
60		36000
70		42000
80		48000
90		54000
100		60000
200		120000
300		180000
400		240000
500		300000
600		360000
700		420000
800		480000
900		540000
1000		600000

Syllabus

Syllabus Auctorum linguæ Latinæ Ætatis Aureæ.

MArcus Tullius Cicero, editus à Petro Victorio, Paulo Manutio, Dionisio Lambino, Jano Grutero, Alexandro Scoto.

Plauti Comœdiæ editæ à Plantino & Raphelengio & postremum à Friderico Taubmanno cum magni ponderis & oneris commentario.

Terentii Comœdiæ editæ à Gabriele Faerno & M. Ant. Mureto. In eas commentarii Donati & Eugraphii veterum Grammaticorum editi sunt Lutetiæ Parisiorum.

In Terentium Index Augustini Gambarelli editus est Bergomi.

Ennii fragmenta omnia cum commentario Hieron. Columnæ edita sunt Neapoli: Annales cum Pauli Merulæ Comment. Lugduni Batavorum.

Lucillii fragmenta edidit Franciscus Dousa Lugduni Batav.

Fragmenta veterum poetarum Latinorum edidit Henricus Stephanus.

Fragmenta Historicorum Latinorum collecta ab Antonio Augustino una cum Fulvii Ursini notis edidit Plantinus.

Catonis opera à se collecta & restituta edidit Ausonius Popma Lugduni Batavor.

Lucretii poemata cum Lambini comment. edita Paris. & Francofurti.

Lucretium cum Oberti Gifanii Indice edidit Plantin. & Rapheleng.

Cæsaris opera cum variorum notis edita Francofurti.

Cornelius Nepos (male vulgo Æmilius Probus) cum Savaronis notis editus Lutetiæ, & cum Lambini, Schotti, aliorumque comment. Francofurti.

Catullus, Tibullus, Propertius editi à Plantino & Rapheleng. & cum variorum comment. Francofurti.

In Propertium commentarius Johannis Passeratii, quo numquam quicquam visum fuit perfectius, editus Parisiis.

Varronis opera omnia cum suis notis edidit Ausonius

Popma Lugduni Batavor. Eadem cum Antonii Augustini, Jos. Scalig. & Pet. Victorii notis Lutetiæ.

Varronis libros de lingua latina infinitis locis emendatos edidit Gaspar Scioppius Ingolstadii anno 1605.

Virgilii opera cum commentario Servii ex bibliotecha Petri Danielis & Gasp. Scioppii edita Parisiis anno 1600.

In Virgilium vastæ molis commentarios ediderunt Jacobus Pontanus & Ludovicus Cerda Jesuitæ.

Horatium edidit Muretus, Xylander, Cruquius, Heinsius, & cum commentar. Lambinus & Marcilius, cum Paraphrasi Frideric. Cerutus.

Sallustii opera cum variorum notis & comment. edidit Gruterus Francofurti, & Raphelengius Lugd. Batavor.

Livii opera cum variorum notis Franciscus Modius Francofurti edidit, sine notis Gruterus ibidem, sed ea editio parum respondit Gruteri voto, neque est ex lectorum usu, cum typographus typis obsoletis & evanescentibus usus fuerit, operæ verò frequentius oscitaverint.

Catalecta Virgilii & poetarum edidit Parisiis Petrus Pithœus anno 1590. & cum Josephi Scaligeri suisque notis Frideric. Lindebrugius Lugduni Batavor. 1595.

Vitruvium de Architectura cum comment. edidit Daniel Barbarus Venetiis anno 1567. ubi & anno 1557. editæ sunt annotationes in eundem Guilielmi Philandri.

Bernardinus Baldus Urbinas de Vitruvianorum verborum significatione eruditissimum Commentarium edidit Augustæ Vindel. 1662.

Ætatis Argenteæ.

Ovidii opera cum commentariis variorum Francofurti. In ejus Metamorphosin, Tristia & de Ponto comment. edidit Pontanus Jesuita.

Vellejus Paterculus editus à Lipsio, Acidalio, aliis.

Valerius Maximus editus à Pighio, Lipsio, Colero.

Curtii historiam edidit Modius, & Acidalius, cumque commentario suo Matthæus Raderus Jesuita.

Dictys Cretensis de bello Trojano cum Merceri notis Lutetiæ.

Cornelius Celsus de re medica.

Phædri Augusti liberti fabulas Æsopicas edidit Rigaltius Parisiis.

C.Ju-

C. Julii Hygini Mythologica & Aſtronomica edidit Comelinus.

Aſconius Pedianus in orationes Ciceronis editus à Manut. & Hotoman.

Senecæ Rhetoris & Senecæ Philoſophi opera cum variorum notis edita Pariſiis & Lugduni Bat.

Senecæ Tragœdias cum comment. edidit Delrius Jeſuita.

Perſius cum Vineti, Pithœi, Marcilii notis editus Pariſiis, cum paraphraſi Friderici Ceruti Veronæ, cum comment. Caſauboni Pariſ.

Lucanus cum comment. Baſileæ.

Columella cum Catone, Varrone & Palladio de re ruſtica cum Fulvii Urſini notis editus à Comelino 1593.

Pomponius Mela & Julius Solinus à Schotto Jeſuita editus Antverp.

Manilii Aſtronomica edita cum comment. Joſ. Scalig. Pariſ. & Lugduni Bat.

Quintiliani Patris Declamationes editæ à Pithœo apud Comelin.

Ætatis Æneæ.

Quintiliani Oratoriæ Inſtitutiones editæ Pariſ. & Lugdun.

Plinii majoris Hiſtoriam edidit Jacobus Dalecampius.

Plinii minoris epiſtolas & Panegyricum edidit Caſaubonus.

Suetonium edidit Beroaldus, Torrentius, Caſaubonus.

Tacitum cum variorum notis edidit Gruterus.

Flori hiſtoriam cum variorum notis edidit Comelinus.

Frōtinum de Aquæductibus & Coloniis edidit Onuphrius. Panuinius. Ejuſdem Stratagemata edita ſunt cum Vegetio.

Statii poemata cum veterum & recentiorum notis edita ſunt Pariſiis.

Valerium Flaccum edidit Ludovic. Carrio.

Silium Italicum doctiſſimus puer Daniel Heinſius una cum crepundiis ſuis edidit Lugduni Batavor.

Solinus una cum Mela editus eſt à Schotto.

Martialem cum Indice & comment. editum habemus Pariſiis, in eumque commentaria & notæ exſtant Raderi, Ramireſii, Gruteri, Scriverii, aliorum.

Juvenalis cum Comment. & notis variorum editus eſt

Parisiis, & cum paraphrasi Friderici Ceruti Augustæ Vindel.

Ætatis Ferreæ.

Agellii (vulgo Auli Gellii) noctes Atticæ editæ ab H. Stephano Lutetiæ Parisiorum.

Justini Historia ex Trogo Pompejo, edita à Jac. Bongarsio.

Apulejus à Vulcanio editus Lugduni Batavor. cum comment. Beroaldi & notis Stevechii Basileæ cum Petri Colvii notis Lugd. Bat. in eum Symbola Critica Gasp. Scioppii Augustæ Vindel.

Vegetius de re militari cum comment. Stevechii.

Ejusdem de re veterinaria seu Mulomedicina edita à Sambuco.

Aurelii Victoris historia edita ab And. Schotto Jesuita.

Rhetores antiqui Latini editi à Petro Pithœo, quorum Rutilius est Quintiliano antiquior.

Historiæ augustæ scriptores Spartianus, Lampridius, Trebellius Pollio, Capitolinus, Vulcatius & Vopiscus cum doctissimis Casauboni & Claudii Salmasii comment.

Panegyrici duodecim à Grutero, Acidalio & Rittershusio recogniti.

Censorinus de die natali editus ab Aldo Manutio.

Apicius de re culinaria cum notis Tiguri.

Ausonius cum Eliæ Vineti comment. & notis Jos. Scaligeri.

Claudianus cum notis Delrii.

Gratii & Nemesiani poematia cum notis edidit Robertus Titius.

Ammianus Marcellinus editus à Lindebrugio Hamburgi.

Julii Obsequentis de Prodigiis Lugduni.

Martianus Capella cum Hugonis Grotii notis.

Q. Sereni Sammonici carmen, Rutilii Itinerarium & Symposii Ænigmata exstant inter Poematia vetera edita Parisiis 1590.

Auctores finium regundorum à Nic. Rigaltio editi Paris. qui de singulorum ætate in præfatione monet.

Inscriptionum antiquarum volumen ingens edidit Janus Gruterus.

PASCASII GROSIPPI

DE

RHETORICARUM EXERCITATIONUM GENERIBUS,


Præcipuèque de recta Ciceronis Imitatione; deque Orationis Latinæ vitiis ac virtutibus

DISSERTATIO

Ex Propædia ejus ad Scholas Rhetoricas excerpta:

Accessit parandæ verborum Copiæ exemplum.

De Rhetoricarum Exercitationum generibus, percipuèque de recta Ciceronis imitatione.



E. Viri-

- *E. Virilis, quæ habet.*
  - *Electionem optimi*
    - *Artificis, nempe Ciceronis, ut scribat quomodo*
      - *Cum ipse scripsit*
      - *Tùm rectè scribi censuit, exemplo scilicet Plauti, Terentii, Cæsaris, Nepotis, Livii. g.*
    - *Operis in*
      - *Rebus*
      - *Verbis*
  - *Custodiam decori, ut ne imitatio dedeceat vel*
    - *Materiam*
    - *Imitatoris naturam.*

EXPLANATIO.

(*a*) Ut in omnibus artibus, item in Rhetorica, oportet prius discere faciendi & operandi regulas, tum in eo, quod didiceris, exerceri. Præcepta tamen convenit esse brevia, exercitationem longiorem & diuturniorem. Horatius: *Quicquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta Percipiant animi dociles, teneantque fideles*. Seneca: *Longum iter est per præcepta, breve & efficax per Exempla*. quid enim faciendum sit à faciente meliùs discitur.

(*b*) Exercitatio secundum Artem fit prius per Analysin, posteà per Genesin. *Analysis* sive resolutio est mentis actio, sive intellectus operatio, considerans in opere alieno, quid quibusque instrumentis factum sit. Verbi gratia, cum in aliqua Ciceronis oratione considero, quæ sit *Quæstio* sive res, de qua tractatur, tum quæ sit *Inventio*, id est, quid excogitarit Cicero ad Quæstionem illam tractandam: hoc amplius, quæ sit *Dispositio*, id est, quot orationis partes fecerit, & quid rerum inventarum in quaque Orationis parte posuerit: tandem quæ sit *Elocutio*, id est, quo verborum genere res inventas & dispositas extulerit, quibus Tropis, quibus Figuris, qua collocatione, qua junctura, quibus numeris usus fuerit, qua denique vocabulorum phrasiumque varietate unam eandemque rem significaverit. Similiter exerceri oportet in resolvendis Horatii Odis, Catul-

Catulli epigrammatis, & Propertii Elegiis, aliorumque magnorum auctorum operibus.

(*c*) *Genesis* seu Compositio est Intellectus operatio, per quam facit quis, quod faciendum esse regulæ artis præcipiunt, verbi gratia, cum orationem scribit, memoriæ mandat, recitat. Similiter cum scribit Epistolam, vel carmen, excogitat ea, quibus quæstionem sibi propositam tractet, excogitata collocat, collocata exornat, vel amplificat. nam Poeta iisdem prorsus instrumentis utitur, quibus Orator, nisi quod numero differunt.

(*d*) Exercitatio secundum artificem est imitatio alicujus in arte excellentis. Est autem *Imitari* non idem opus iisdem instrumentis efficere nam idem opus diversorum artificum sine furto esse non potest. Fur ego idem, quod scripsit alius, Imitator non idem, sed eodem modo, scribit. Imitatio autem alia Puerilis est & incipiens, alia Virilis & provectior. *Puerilis* imitatio aut inventionis inopia fit, aut judicii. Illius generis imitatio est, cum magister discipulis artificis alicujus opus interpretatus, Quæstionem similem proponit, & argumenta similia excogitat, ut discipuli in opere simili faciendo eadem dispositione & iisdem fere instrumentis uti possint. Verbi gratia, prælecta Ciceronis oratione pro M. Marcello, in qua restitutio Marcelli omnibus reliquis rebus gestis C. Cæsaris ad laudem antefertur, fingit Magister quæstionem illius similem, qualis est hæc, Resurrectionem Christi cæteris ejus operibus præstare: ad quam probandam argumenta illorum, quibus Cicero utitur, quam potest simillima excogitat. Ita cum in Oratione pro Rege Dejotaro adversus accusatorem domesticum ejus hoc agat Cicero, ut insidias vitæ Cæsaris à Dejotaro nequaquam structas fuisse doceat, similia illorum argumenta Magister discipulis comminiscitur, quibus Cristo adversus Judam patrocinetur, eumque Tyrannidem nequaquam affectasse, nec regno Tiberium Cæsarem exuere conatum esse demonstret.

(*e*) Judicii inopiam arguit imitatio, si non circa optimum occupetur, nec decorum custodiat. Cum enim artifex fieri optimus cupiat, certe optimo ut simillimus

esse

esse studeat, necesse est, nam quo quidque optimo est similius, tanto est melius; cum optimum cujusque generis sit mensura ac norma reliquorum. Optimum vero arguit artificum consensus, quibus, de arte sua iisque quæ ad artem pertinent judicantibus, nemo, nisi cui helleboro opus sit, fidem abrogare audeat. Itaque tanquam insani alligandi videntur & ad agnatos ac gentiles deducendi, qui se aliter, quam Cicerone imitando consecuturos putant, ut excellenter Latinè scribere existimentur. Huic enim Latinæ orationis summam ac principatum, cum æquales ejus, tum ei suppares Livius, Seneca, Quinctilianus, quicumque denique à mille sexcentis annis doctrinæ & judicii opinionem habuere, summo consensu tribuerunt. in quam sententiam minor Plinius lib. 1. Epist. 5. *Est mihi*, inquit, *cum Cicerone æmulatio, nec sum contentus Eloquentia sæculi nostri. nam stultissimum credo, ad imitandum non optima quæque proponere.*

(*f*) Judicium porro optimum imitantis non ad Artificem modo, sed etiam ad opus ejus respicit, ut nimirum cùm eligat, cui artificii palma debetur, tum illud ad imitandum sibi proponat, quod in eo artifice optimum existimatur: quod quidem vel Opus est, vel operis Judicium, hoc est, quod vel ipse fecit, vel faciendum esse judicavit. Itaque Ciceronis imitator non ad ea tantum, quæ fecit Cicero, id est, quæ dixit aut scripsit, componitur, sed etiam quæ facienda esse aut rectè fieri censuit. Quæ fecit, partim in rebus, partim in verbis spectantur.

(*g*) In rebus inventio & collocatio: quibus Cicero semper summum consilium adhibuit, ut operæ pretium sit imitatoris in eo exerceri studium, cur quidque ab eo dictum, quaque causa hoc potius, quam alio loco positum fuerit. Sic enim discet, quanto major ejusdem dicti vis sit ad conciliandum, ad movendum & ad docendum, si tanti artificis exemplo adhibeatur.

(*h*) In verbis cum Ornatus, tum Copia spectatur, de quibus infra suo loco explicabimus. Hic satis sit monuisse, Ciceronis imitatori rationem diligenter habendam esse, quibus ~~ille~~ Tropis, quibus Figuris sive dictionis, sive sententiæ, orationem illuminarit, quam

verbis

verbis collocationem, quam juncturam, quos numeros adhibuerit, quam multifariam denique rem eandem verbis extulerit. Hæc enim omnia sunt, quorum nomine Cicero multò maximè cæteris omnibus præstitisse, planeque in Latina lingua regnum obtinuisse semper visus est. Quod vero ad Judicium ejus attinet, de iis, quæ facere eum oportet, qui Latinè scribendi laudem affectat, illos demum laudem mereri censet, qui Veteres cum judicio imitantur, qui barbariem domesticam seu vitiosam loquendi consuetudinem cum Ratione, tum pura & incorrupta consuetudine expurgant vel emendant, qui denique peregrina ex diversis locis in Urbem influentia excludunt: illis rursum eam laudem judicio suo abrogat, qui veterum verba obsoleta ac jam desita referre audent, qui novam inquinatè loquentium consuetudinem sequuntur, qui postremo peregrinis ac parum vernaculis cum verbis, tum loquendi generibus orationem infuscant. Prioris generis, ipso quoque Cicerone teste, fuerunt C. Cæsar, & Cornelius Nepos, quibus merito nos Livium annumeramus, quem re ipsa videmus præstitisse id quod ille facere alios monebat, *ut scilicet Ciceronem imitarentur, & ut quisque esset Ciceronis simillimus*, cujus quidem moniti Quinctilianus testis est. Inter posteriores, Cicero familiarem suum, L. Sisennam historicum numerat, quem doctum sane virum & studiis optimis deditum benèque Latinè loqui solitum fatetur, irridet tamen, quod usitati sermonis emendator esse vellet, rectèque loqui putaret esse, inusitatè loqui. In qua ipsa hæresi Varronem & Sallustium fuisse apparet: qui hoc amplius mirificè sibi in novando indulserunt, nec parum sæpe quodam patriæ consuetudinis fastidio, ut Græcæ locutionis similitudinem exprimerent, allaborarunt. In Philippicis quoque Antonium notat Cicero, quod præ novandi studio ea subinde diceret, quæ à nemine intelligerentur, qualia sunt *Piissimus*, & *Dignus* pro eo, qui est in Dignitate seu munere publico, & *Contumeliam facere*, pro pati: quorum similes nulloque genere meliores neoterismos passim in Varrone, Sallustio, hujusque simio Corn. Tacito invenias. Sicut ergo ab id genus auctoribus, tantopere à Ciceronis cum exemplo, tum judicio se abstrahentibus,

ei cavendum est, qui Ciceronis imitator perhiberi postulat, quod aliter τὸ κοινισμὸ vitium (de quo mox litera *r*.) evitari non possit: ita pro explorato haberi debet, nihil Ciceronis imitatione alienum ab eo fieri, qui Cæsarem, Livium, Nepotem, Plautum & Terentium, iis dumtaxat vitatis, quæ in his obsoleta se offerunt, imitando effingit. Ità quippe ipse in tertio de Oratore judicat: *Omnis* (inquit) *loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis Oratoribus & Poetis. Sunt enim illi Veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes propè præclarè locuti: quorum sermone adsuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latinè. neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur*. Et in Bruto, *Solum*, inquit, *& quasi fundamentum Oratoris est locutio emendata & Latina. Cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiæ, sed quasi bonæ consuetudinis. Mitto C. Lælium, P. Scipionem. Ætatis ista fuit laus, tamquàm innocentiæ, sic Latinè loquendi. nec omnium tamen. nam illorum æquales Cæcilium & Pacuvium malè locutos videmus. Sed omnes tum ferè, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, rectè loquebantur. Sed hanc certè rem* (id est rectam locutionem) *deteriorem vetustas fecit* (id est temporis processus aut longinquitas) *& Romæ & in Græcia. Confluxerunt enim & Athenas & in hanc urbem multi inquinatè loquentes ex diversis locis* (quorum scilicet confluxu Latinitas vernacula corrupta est) *quo magis expurgandus est sermo, & adhibenda tanquam obrussa Ratio, quæ mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula. Cæsar rationem adhibens, consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum* (*quæ etiamsi Orator non sis, & sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est,*) *adjungit illa Oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine*. Ibidem: *De Cæsare ita judico, illum omnium fere Oratorum Latinè loqui elegantissimè: nec id solum domestica consuetudine, sed quamquam id credo quoque fuisse, tamen ut esset perfecta illa benè loquendi laus, multis literis, & iis quidem reconditis & exquisitis, summoque studio & diligentia est consecutus.*

(*i*) Jam

(*i*) Jam Decori quoque neglectus Judicii arguit inopiam; si nempe parum pensi sit, quid materiam sive scriptionis argumentum, quidque scriptoris ingenium deceat. Sæpe quippe usu venit, ut *Ornari res ipsa neget, contenta doceri*, tanquam in scribendis familiaribus Epistolis, in condenda historia, in explicando loco aliquo communi, in disputationibus de re literaria, & similibus; ubi omnis dictionis laus in perspicuitate, puritate, elegantia seu verborum delectu & varietate continetur; ornatus vero Troporum, figurarum, amplificationum, collocationis, juncturæ & numeri Oratorii adeo intempestivus est, ut hoc ipso ornata videatur Oratio, quod id genus ornamentis careat.

(*k*) Deinde non omnium ingenia ad eandem dictionis seu styli formam facta esse, certum est, adeoque

Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est,
Ne quicquam invita dicat scribatve Minerva.

Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam sequi, quod assequi nequeas. quod in vita quidem agenda præcipi solet: sed non minus locum in stylo habet, ut nimirum etiamsi alius sit præstabilior, tamen suam quisque dictionem naturæ regula metiatur. Dum ergo hoc quisque præstet, ut emendata sit Oratio, hoc est, nullis solœcismis aut barbarismis, nullo archaismo aut neoterismo, nulla denique peregrinitate sive Idiotismo aliarum linguarum inquinata, tum ut sit honesta sive elegans, nihilque sordidum, vile aut plebejum sapiat (hæc enim vitia non à diserti tantum, sed à cujuscumque ingenui civis Romani oratione abesse debere, monentem paulo prius Ciceronem audivimus) cæterum suo utetur ingenio, Ciceronisque ab orationis ornamentis, præcipueque ab intervallis (quæ sunt incisa, membra & eriodi) & à numeris similem se hactenus esse volet, put imitationem cum materiæ conditione, tum ingenii sui modulo metiri meminerit. Aliter enim ὁ τῇ φακῇ μύρον ἐπιχέας (Lenti unguentum infudisse) aut bovi clitellas merito imposuisse judicabitur. Cujus stoliditatis justam reprehensionem effugere volet, si rationem inierit, nihil intercedere, quin etiam illa perpulchra & amabilis sit Oratio, quæ Ciceronianæ ad ornatum sit dissimillima: sicut cum longe omnes Hele-

Aa næ

næ forma antecederet, non propterea mille aliis Græciæ mulieribus species defuit, quæ amatores allicere ac retinere posset. Multum quidem Cæsaris dictionem Tulliana interfuisse, vel orationum & epistolarum ejus fragmenta nobis argumento sunt. nec tamen non eam ille commendationem abstulit, ut omnibus eum sui temporis Oratoribus ad elegantiam & splendorem Cicero anteferret. Mitto jam quod ornatu Cicero ad permulcendos & impellendos judicum aut concionis animos uti necesse habuit: nobis non fere nisi ad ostentationem ullus ejus usus hodie esse potest, ut in oratione pollienda multoque cum labore dimetienda occupari, effæminatum minimeque maturi judicii viro dignum videatur.

De vitiis Orationis Latinæ.

- *Orationis vitia alia,*
  - *Generalia, quæ omnibus Latine loquentibus sunt turpia, ut*
    - *Obscuritas a.*
    - *Impuritas repugnans præceptis, ut*
      - *Barbarismus b.*
      - *Solœcismus*
    - *Insolentia repugnans consuetudini, ut*
      - *Archaismus c.*
      - *Neoterismus d.*
      - *Idiotismus e.*
  - *Specialia, quæ quibusdam modò sunt deformia, ut*
    - *Honestis*
      - *Plebitas seu Vilitas f.*
      - *Κοινισμὸς, Inæqualitas aut confusio g.*
    - *Disertis*
      - *Incultus ratione*
        - *Materia si verba sint sine*
          - *Tropis. h*
          - *Figuris.*
          - *Amplificationibus*
        - *Forma. Vide B.*
      - *Inopia sive Egestas.*

- *B. Forma, si compositio sit*
  - *ἄτακτος, Male collocata.*
  - *Κακοσύνθετος, Male juncta.*
  - *Ἀνάριθμος, Parum numerosa.*

EX-

EXPLANATIO.

(*a*) Vitiorum locutionis alia Homine indigna sunt, alia homine Romano, alia homine Romano ingenuo sive honorato aut nobili, alia denique homine Romano ingenuo diserto, id est, Oratore. nec alia est virtutum vitiis istis oppositarum ratio. Homini cuivis deformis est sermonis *obscuritas*, cum homini facultatem loquendi eo nomine natura fuerit impertita, ut animi sensa seu cogitata sua alteri explanare posset. Itaque si quis intelligi, hoc est, cogitationes suas sciri nolit, longe melius tacendo, quam obscurè loquendo id, quod vult, assequetur. Est autem obscuritas alia in verbis singulis aut conjunctis, id est, in loquendi generibus seu phrasibus, si sint inusitata: alia in compositione, si sententiæ sint amputatæ, aut concisæ, aut verba trajecta, nimiumque ordo eorum turbatus. Cujus utriusque generis passim exempla Varronis, Sallustii & Taciti lectio suppeditat: quorum similitudinem ætate nostra Lipsius ac non nemo discipulorum ejus affectarunt, sic tamen ut facilè in eo genere primas ferat Johannes Barclajus, qui sæpe ne ipse quidem, quid scriberet, videtur percepisse. Causa porrò obscuritatis est, quod quis apertè ac dilucidè loqui vel non potest, vel non vult etiam cum potest. Qui enim suæ sibi infantiæ est conscius, quamque parum Latini sermonis potens sit, celare alios postulat, quo majoribus sensum suum tenebris circumvallaverit, eo difficilius cæteros, quam curta ipsi sit verborum supellex, perspecturos confidit. nec dissimiliter homo vanus gloriolæ inanis choragium hinc sibi comparat, quod opinionem acuminis & ingenii, aut reconditioris cujusdam scientiæ accessuram sibi præsumit, si quæ dixerit, ea paucissimi intelligant, atque ob hoc ipsum cæteri admirentur. Talem nobis Lucretius Heraclitum philosophum describit, cui obscuritas τοῦ σκοτεινοῦ cognomentum peperit:

Heraclitus init quorum dux prælia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,
Quamde graves Grajos inter, qui vera requirunt.

Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt,
Veraque constituunt, quæ bellè tangere possunt
Aures, & lepido quæ sunt fucata sonore.

Hoc ipso obscuritatis vitio eique affinibus aliis Oratorum plerosque, qui Ciceronis & Livii ætatem excepe-runt, ingenii plausum quærere solitos, non uno loco Quintilianus testatur, quod vel ex iis, quæ recitabo, verbis ejus intelligi potest; quibus ætatis nostræ φλυαρογράφυς seu Milesiarum conditores, quique stolidè eos admirantur, notari putes. Sic igitur ille libri 8. proœmio: *Illa*, inquit, *quæ curam fatentur, & ficta atque composita videri etiam volunt, nec gratiam consequuntur & fidem amittunt, propter id, quod sensus obumbrant, & velut læto gramine sata strangulant. Pleraque significare melius putamus, quam dicere. quid, quod nihil jam proprium placet? dum parum creditur disertum, quod & alius dixisset. A corruptissimo quoque Poetarum figuras seu translationes mutuamur, tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos, opus sit ingenio. Atqui satis aperte Cicero præceperat, in dicendo vitium vel maximum esse, à vulgari genere Orationis, atque à consuetudine communis sensus abhorrere. Sed ille durus atque ineruditus; nos melius, quibus sordent omnia, quæ natura dictavit, qui non ornamenta quærimus sed lenocinia.* Et mox cap. 2. *Obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis, ut si commentarios quis Pontificum & vetustissima fœdera & exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex his, ut quæ inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam soli scire videantur. Plus tamen est obscuritatis in contextu & continuatione sermonis, & plures modi*, nempe sermo nimis longus, hyperbaton seu mistura aut trajectio verborum, parentesis longior, ambiguitas, turba inanium verborum in iis, *qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate, quæ dicere volunt. In hoc malum etiam à quibusdam laboratur. nec id novum vitium est, cum jam apud T. Livium inveniam fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare, quæ dicerent, juberet, Græco verbo utens, σκότισον. Unde illa scilicet egregia laudatio*: Tanto melior; ne ego quidem intellexi. *Alii, brevitatis æmuli, necessa-*

necessaria quoque orationi subtrahunt verba , & velut satis sit , scire ipsos quæ dicere velint , quantum ad alios pertineat , nihil putant . At ego otiosum sermonem dixerim , quem auditor suo ingenio non intelligit . Pessima verò sunt ἀδιανόητα *, hoc est , quæ verbis aperta occultos sensus habent , ut* Conductus est cæcus secus viam stare . *Ingeniosa hæc & fortia , ut ex ancipiti diserta credantur , perficiunt . At pervasit quidem jam multos ista persuasio , ut id jam demum eleganter atque exquisitè dictum putent , quod interpretandum sit . Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt hæc , quæ cum intellexerunt , acumine suo delectantur , & gaudent non quasi audiverint , sed quasi invenerint . Nobis prima sit virtus , Perspicuitas , propria verba , rectus ordo , non in longum dilata conclusio , nihil neque desit , neque superfluat . Ita sermo & doctis probabilis , & planus imperitis erit.* Ejusdem lib. 2. cap. 3. verba sunt : *Plerumque accidit , ut faciliora sint ad intelligendum & lucidiora multò , quæ à doctissimo quoque dicuntur , nam & prima est eloquentiæ virtus , Perspicuitas : & quo quisque ingenio minus valet , hoc se magis attollere & dilatare conatur , ut statura breves in digitos eriguntur , & plura infirmi minantur . nam tumidos , & corruptos , & tinnulos , & quocumque alio cacozeliæ genere peccantes , certum habeo , non virium , sed infirmitatis vitio laborare : ut corpora non robore sed valetudine inflantur , & recto itinere lapsi , plerumque divertunt . Erit ergo obscurior etiam quo quisque deterior.*

(*b*) Vitia sermonis homini Romano deformia sunt , cum *Impuritas*, tum *Insolentia* , quarum illa præceptis artis ac rationi , hæc receptæ consuetudini bene loquentium adversatur. Illius genera sunt, Barbarismus & Solœcismus. *Barbarismus* vitium est adversus Orthoepejæ, Prosodiæ, Etymologiæ regulas, sed ab aurea illa Ciceronis ætate approbatas. quas enim illa judicio repudiavit, Latioque minimè dignas censuit, merito Barbaris relinquimus. Tale est *Soluit* pro Solitus est, & *Paritas opes* pro partas, queis pro reliqua sua cacozelia Sallustius utitur, qui, contra quàm Virgilius factitabat, non ex Ennii & Catonis stercore aurum , sed ex auro stercus, hoc est verba jam ad latrinam relegata seligere, curæ habuit; ut merito eum Lenæus , ætatis ejusdem Grammaticus , non *scriptis* minus , quam *vita monstro-*

sum , *praterea priscorum Catonis verborum ineruditissimum furem appellarit* . nec tamen magnam Historiæ ejus laudem deberi nego , quæque non velut Sallustius , sed ut ætatis illius homo Romanus scripsit, cum emendata & Latina , tum lecta & elegantia esse fateor . Sed vitia styli ejus à virtutibus discernere , non est τοῦ ἐπιτυχόντος , adeoque Quintilianus Livium potius , quam Sallustium tironibus legendum censet . Tales Barbarismi sunt Josephi Burdoscaligeri : *Juvarunt & Adjuvarunt* , *Aures erroribus personantur* , *Valeant qui bonis obtrectantur* , *Hoc me injusso factum est* , *Materia ictibus resistendis apta* , *Canes mundiora loca immingunt* . Et Justi Lipsii : *Canis illum permingit* , *Frigidis imprime juvor* , *Mihi abunde satisfacitur* . Et Isaaci Casauboni : *Tot palmis* , *tot lauribus* : *lana pectita* : *Strigil est supellex* : *Omnes mortales omnium avorum* : *Mensura cujus fundum sit collisum* . Et Jacobi Thuani ; *Substraxit* : *Substractus* , *Aboletus* , *Coliturus* , *Perculsit* . Et Pauli Jovii : *Prostrantes se* pro *Prosternentes* . Solœcismus vitium est adversus constructionis regulas & figuras . Aliter *Striblígo* dicebatur . Insignis Burdoscaligeri solœcismus est in præfatione Varroniana : *Non dubito quin hac Conjectanea maturius edenda erant* . Et Lipsii : *Sol meridies erat* . *Vereor ut milites nos pellant* . *Non ambigo quin peregrinationem laudabis* . Et Casauboni : *Multa quorum interpretibus ne suboluisse quidem videbamus* . *Jussit me Rex ut tibi significarem* . Et Thuani : *Castellum aggrediuntur sed irrito successu* , *qui intro erant gnaviter se defendentibus* . *Tantum terroris oppidanis injecit* , *ut tandem positis armis deditionem faciunt* . *Incommodare aliquem* . Et Maffeii : *Amiculum breviorem tunica superinduunt* . Et Famiani Stradæ : *Nos monitore necesse non habemus* : pro moneri necesse non habemus . Et *pecuniam mutuò dare* pro Mutuam . Et Pauli Jovii , Henrici Stephani ac Burdoscaligeri : *Putant se occisos iri* . quod scuticam merebatur .

-(*c*) Insolentia consuetudini aureæ Latini sermonis ætati non congruit . Ejusmodi sunt Archaismus , Neoterismus & Peregrinitas sive Idiotismus . *Archaismus* est usus verborum , quæ intelligebantur quidem Ciceronis ætate , sed tamen in usu esse desierant . nam quæ tam essent obsoleta , ut non intelligerentur , ad *Obscuritatis*

vitium

vitium pertinebant. Hoc vitio præcipuè Varro & Sallustius & Sisenna laborarunt, in eoque nostra memoria imitatorem invenerunt Lipsium & disciplinæ ejus alumnos. In prima editione centuriæ primæ epistolarum Lipsii hoc erat epistolæ cujusdam initium: *Ajo locutio tu lita: ego fidei strenuè*. quod tamen obscurum magis est, quam antiquarium. Ejus sententia est: Tu noli silere diutius, sed scribe, ut Deum illum, qui ab ajendo & loquendo nomen sortitus est, habeas propitium, sicut ego Fidem habeo propitiam, quam servavi, scribendo scilicet, sicut facturum me promiseram. Etiam illud potius ad obscuritatem pertinet, quod me puerum etiam exerciturus Henricus Stephanus proposuerat: *Rebare fari scio, fabare nescio*. pro Rebaris sive opinabaris te fari seu loqui homini scio vel scienti, fabaris autem seu loquebaris nescienti. Ista porro Lipsii sunt verè obsoleta: *Volupe mihi auditu est*. *Hilum non ego deterior*. *Vale mi ocul-lissime, & mutuiter me ama*. *Non magis propritim expresseris*. *In civitatibus est confluges vitiorum*. Sallustiani archaismi hæc sunt specimina: *Fama*, *famarum*, *famas*, *magnas vis* pro vires. *Armis decoribus* pro decoris, *Senati* pro Senatus, *Plebes* pro Plebs, *Satias* pro Satietas, *Sallere* pro Salire, *Secus virile* pro Sexus virilis, *Calui* pro Decipi, *Claudere* pro Claudicare. *Egere aliquam rem*, *Supplicium* pro Supplicatione. *Locus hostibus ignarus*, pro ignotus. Cajus Cæsar in libris de Analogia ad Ciceronem missis *tamquam scopulum, sic inauditum atque insolens verbum fugiendum monuerat*. quia scilicet, ut Ciceroni visum est, Ratione Cæsar utebatur, verborumque elegantia omnes æquales multum superabat: cui consequens est, Ut Varro & Sallustius nulla ratione in scribendo usi fuerint, Ciceronis saltem & Cæsaris judicio, cum verba loquendique genera jam olim antiquata & missa facta, tanto cum studio retulerunt. Sed & Quinctilianus lib. 1. capite 6. *Abolita*, inquit, *atque abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est & frivolæ in parvis jactantiæ*.

(*d*) Neoterismus est usus verborum loquendique generum, quibus Romani aurea illa Latinæ Linguæ ætate usi nondum fuerunt. Is quod habuerit Romæ initium, supra ex Ciceronis verbis didicimus. *Confluxerunt*, in-

Aa 4 quit,

quit, *in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis*. Ho[illegible]n consuetudini Julius Cæsar restitit, eamque Ratione, obrussæ instar, adhibita expurgavit. Sed Augustus postea, cui nec eadem benè loquendi consuetudo domestica, nec tantundem literarum reconditarum & exquisitarum contigerat, non modo novitiæ ac vitiosæ consuetudini non intercessit, sed & seipsum quoque ea auferri passus est.

Ejus rei testem habemus literatissimum hominem, Hadrianum Imperatorem, cujus verba referens Charisius lib. 2. ita scribit:

Divus Hadrianus sermonum primo quærit, an Obiter *Latinum sit*. quamquam (*inquit*) apud Laberium hæc vox esse dicatur: at eam Scaurus Latinam esse negat. *Quamquam D. Augustus, reprehendens Tiberium Claudium, ita loquitur*: Scribis enim Per viam, *ἀντὶ τοῦ* Obiter. *Sed D. Hadrianus*, Tametsi, *inquit*, Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id Adverbium ex usu potius, quam Ratione protulerit.

Itaque minimè jam mirandum est, extremo Imperio Augustæo usque eò Linguæ Latinæ faciem fuisse innovatam, ut mox Seneca suæ homines ætatis Latinè loqui negarit. Sic enim scribit epist. 39: *Vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam hæc quæ nunc vulgo* Breviarium *dicitur, olim cum Latine loqueremur*, Summarium *vocabatur*. Id ipsum Quinctilianus lib. 9. c. 3. & lib. 8. c. 3. satis nobis totidem verbis confirmat: *Verborum figuræ & mutata sunt semper, & utcumque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne jam quicquid loquimur, figura est*, ut Huic rei invidere, *non* (*ut omnes & Cicero præcipuè*) Hanc rem: *&* Incumbere illi, *non* In illum: *&* Plenum vino, *non* Vini: *&* Huic, *non* hunc adulari, *jam dicitur, & Mille alia: utinamque non pejora vincant. Quid multa? totus prope mutatus est sermo*. Eat nunc disertissimus Muretus, & stultitiæ, temeritatis, arrogantiæque minimè ferendæ eos accuset, qui scriptores Ciceronis & Virgilii ætate adolescentiores plurimum à Latinæ Linguæ puritate descivisse, ac propterea phrasibus eorum non temerè utendum esse, judicant. *Certè* (inquit) *neque quisquam umquam Veterum eos male Latinè locutos esse dixit: neque nos tam lon-*

go

go intervallo valde boni ejus rei existimatores sumus. At enim ipse Seneca & Quintilianus se male Latine loqui, & in mille loquendi generibus boni sæculi consuetudinem ætate sua corruptam fuisse, perspicuè confitentur, ut mirer qua fronte Muretus id scripserit, in quo mendacii tam nullo negotio revinci poterat: etsi minimè fugit me, quod ejus, cum ita scriberet, fuerit consilium. Paratam sibi scilicet excusationem esse voluit, si quid homines Itali in scriptis ejus invenissent, quod aurea Ciceronis ætate in usu non fuisse appareret. Diceret enim non errore se, sed judicio ac scientem iis uti, quæ posteriores suppeditassent. *Non erubescit autem solœcismum Grammaticus, si sciens faciat; erubescit, si nesciens*, ut ait Seneca. Hujus porro generis nova apud Muretum sunt: *Figmenta poetarum*: *Ne optimi quidem jaculatores semper collimant*, pro collineant (quod non est ferire destinatum, sed dirigere telum) *juxta præceptum Hesiodi*: *Martialis Silio Italico coævus fuit*: *Quorsum necesse est*. *Hoc tibi imputabis*. *Syllaba modus impedire mutationi videtur*. *Ad Episcopi munus promoveri*. Neque tamen idem de vocabulis rerumque appellationibus, quod de loquendi generibus sive phrasibus, quæ apud posteriores extant, judico; facileque mihi persuadeo, nec Ciceronem, Celsi, Senecæ, Columellæ & Plinii verba repudiaturum fuisse, si ei de re medica, de re rustica, deque multis aliis rebus physicis scribendi occasio evenisset. Sed loquendi genera certum est magnopere degenerasse; multorum quoque vocabulorum significationes ita fuisse immutatas, ut ea in posteriorum libris non temerè Cicero & Cæsar intellecturi fuisse videantur. nec vero obscuros ea degeneratio & immutatio gradus habuit, ut ætas Latini sermonis aurea medio ferè Augusti principatu finem habuerit, cum secundo bello Punico cœpisset: quod Porcius Licinius apud Agellium lib. 17. cap. 21. his versibus significat:

Punico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

Auream excepit argentea unà cum excessu Neronis finita. Hinc Ænea ad Hadriani usque exitum producitur. quod inde est temporis ad secundum usque Theodosium *ferro* asseramus licebit. Qui porrò ad Carolum

usque

usque Magnum Latinè scrinserunt, nihil nisi Lignum sunt: illis recentiores Lutum. Itaque si quis vitio Neoterismi affinem se perhibere nolit, appellationes rerum quidem ab argenteæ vel æneæ ætatis auctoribus petere religioni non habebit (id enim nisi obmutescere velit, necesse habet) sed phrasibus non temere utetur, quas aut sæculo illo aureo nemo usurpavit, aut is, qui magnum scriptorum ætatis illius usum habeat, judicioque limato sit præditus, neminem illorum usurum fuisse statuat. Idem verò de novis verborum significationibus dictum volo, cum Antonium à Cicerone exagitatum videamus, quod *Contumeliam facere*, pro pati dixisset. *Nonne satius est* (inquit) *mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere*? quoniam vero ab iis abstinendum putamus, quæ posteriores Cicerone & Livio novarunt, multo magis, ne ipse aut nova loquendi genera, aut novas verborum significationes inveniat, ei, qui puncta doctorum ferre velit, cavendum arbitramur. *Neque tamen accedo Celso, qui ab Oratore verba fingi vetat* (ait Fabius lib. 8. cap. 3.) *nam cum sint eorum alia (ut dicit Cicero) nativa, id est, quæ significata sunt primo sensu, alia reperta, quæ ex his facta sunt: etsi jam nobis ponere alia, quam quæ illi rudes homines primi fecerunt, fas non sit: at derivare, flectere, conjungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere*? Hac porro de re Q. Marrius Corradus in libris de copia Latini sermonis tam scripsit accuratè, ut si homines docti monitis ejus uti animum inducant, linguam Latinam multò locupletiorem mox habituri videamur. A phrasibus tamen, ut dixi, & à significationibus novandis magno studio ei, qui puræ dictionis Latinæ laudem affectat, cavendum est. quod quidem si Paulus Manutius fecisset, scripta ejus cæterum cultissima sordibus quibusdam deturpata non haberemus, ut sunt *Ingratitudo*, *Speculatio*, *Contrarietas*, *Damnum pati*, *Dissuadere aliquem ab aliqua re*, pro dehortari, *Adhibere fidem alicui*, pro Credere. Talia sunt quoque Maffeii: *Mercimonio dare operam*, pro mercaturæ: *Locus exercendo mercimonio idoneus*. *Fluvios, quamvis ad jugulum usque aqua pertingeret, transibat*, pro pertineret. nam *Pertingere* hoc sensu ætate aurea non dicebatur, etsi uno Sallustii & Cæsaris loco

corru-

corrupto invenitur: Sic, *Quæ Arabes de Angelorum corporibus turpiter adstruunt*, pro affirmant. *Ut minimum*, pro minimum, vel ad minimum. *Spiritum mortificationis spiritui speculationis præferre*. *Hactenus de toto vitæ cursu, nunc præcipua de dictis ac moribus per species exsequemur*, pro distinctè, singulatim. *Toto ditionis suæ imperio*, pro Regni vel Provinciæ. *Cujus bonitatem supplices exoramus, ut nos ad cælestia regna pervenire patiatur*. pro oramus, imploramus. *Aliquot Collegia in ea urbe fundavit*, pro condidit, constituit. nam *Fundare* est stabilire. *Proprium Navarræ gentis est conversio Ethnicorum*. *Compenset Deus hanc ejus in nos voluntatem*. *Virgo à Meacensi quodam procere expetita*, pro magnate. *Christianæ doctrinæ fundamenta memoriter hauserat*, pro memoriæ mandarat. Meminisse & Recitare memoriter, Latinum est, non, Discere memoriter. *Totum illud bellum circiter annum viguit*, pro tenuit. *Vigere*, testatur Festus, *ad res hostiles non pertinere*, *Secus mare*, *Secus aream*, pro juxta, secundùm; quod Charisius *& fatuum & sordidum* dictu esse ait. *Talarem tunicam in caligas infundunt*, pro in braccas, seu femoralia. *Caligæ* sunt calcei militares. *Detrimentum passus est*. *Homini voluptuoso jucunda proponere*, pro Voluptuario, ut Cicero, Plautus & Seneca loquuntur. *Voluptuosus* minori Plinio est voluptate plenus: Maffejus imperitè pro eo usurpat, qui voluptates consectatur. Hæc & horum similia plura vehementer Maffeii Latinitatem infuscant; eumque multo plus laboris, quam rationis, aut scientiæ ad Latinè scribendum attulisse arguunt. Lipsii porro neoterismos vix justo volumine comprehendero, paucos tamen in exemplum subjiciam. *Septimanam*, Substantivè dicit pro dierum hebdomade; quod non modo novè, sed & sordidè dicitur. *Saltem*, pro tantummodo. *In consistorio decretum est*. *Vide ne seducat te affectus*, pro auferat, in errorem inducat. *Gratitudo & Ingratitudo*. *Ut quid*, pro quare. *In locis dissitis*, pro longe remotis. *Juramentum*, pro Jusjurandum, Sacramentum. *Ore ad os aliquem alloqui*. *Nepos ex fratre*. *In ditione Leodicensi subsistam*. *Ubi leonina pellis non pertingit, vulpinam assuere oportet*. pro, quo non pertinet. *Meus amanuensis*. *Dio asserit aliter vixisse Senecam quam scripserit*, pro affirmat. *Rerum circumstantiæ* pro

attri-

attributiones. *Lenocinium circumponere dolori*, pro delinimentum. *Te volo meum amicum & crebrum invisorem esse*, pro visitatorem. *Quid agas fac me scitiorem*, pro scientem, certiorem. *Ex corde, è pectore dico, pro vero, serio*. *Invalentia mea causam sustinet*, pro invaletudo. *Æquitas ipsa sententiam à me donet*. Etiam Casauboni magnus est νεωτερισμῶν numerus, ut: *Complices conjurationis*, pro affines, participes, populares, conscii. *Consequentias elicere*. *Carentia* pro orbatione, detractione, sive caritate. *Rebus sic stantibus*, pro his rebus, quomodo nunc est. *Tenetur nuptias cogitare*, pro debet. *Mutuò rogare pecuniam*, pro mutuam. *Tu unus à multis retrò seculis extitisti*. *Tuas laudes attaminare*. *Errant inobservantia hujus rei*. *Risum alicujus tollere*, pro movere alicui. *Turpis & defœdus mos*. *Conciliare duas lectiones diversas*, pro in concordiam vel consensum redigere. *Libri manuales*, pro manu descripti. *Multum sibi in barbaris dictionibus permiserunt*, pro Vocabulis. *Versus penultimus, & antepenultimus*. *Cibi aliis indicti, & innominati*. *Error memorialis*. *Multoties*. *Judiciosissimus*. *Balbutie laborare*. *Monstruositas*. Thuani quoque novitatum vix iniri potest numerus. Tales sunt *Nullatenus*, pro nihil penitus, omnino non, nullo modo. *Juxta veterem sententiam*. *Nostra & retro seculorum memoria*. (quod etsi Schottus Jesuita pro Ciceroniano venditat, non magis tamen Tullio dignum est, quam *Congruè loqui*, quod idem à Monachis haustum usurpat.) *Pejerare in Deum*. *Impar contra tantam multitudinem*. *Vir nupsit puellæ*. *Literæ fiduciariæ*, pro Auctoritates, vulgo credentiales. *Caliga* pro braccis. *Improperare alicui*, pro exprobrare, cùm eo Varro usus sit pro *Intro properare*. *Obiter notandum*. *Dejeramenta in Deum*. *Ad mortem damnare aliquem*, pro Capitis. *Ne ipsorum dignitati tractu temporis præjudicetur*, pro ne in posteritatem fraudi sit. *Dietim*, pro in singulos dies. *Ultroneus*, *Spontaneus*. *De rerum statu optime instructus*. *Per transennam appellare*. Etiam Barclaii novè ac nullo auctore dicta volumen haud pusillum expleverint; quoniam scilicet experimento jam capto stultorum plena esse omnia didicerat; quibus se Latinitatis auctorem esse, quam à veteribus quicquam discere, multo gloriosius ducebat.

(*e*) Idio-

(*e*) Idiotismus seu Peregrinitas est verborum Latinorum usus ad idiomata seu propriam aliarum linguarum consuetudinem conformatus. Hoc vitio Sallustium laborasse Quintilianus agnoscit, ex quo adducit illud *Amat fieri*, pro Solet. Et Attejus Philologus, Nobilissimus Grammaticus, Sallustium, quo familiariter usus fuerat, sermone non *noto*, sed abstruso sive obscuro, non *civili*, sed peregrino & Græcissante, non denique *proprio*, sed improbissimarum translationum pleno uti solitum censebant; adeoque Asinium Pollionem, cum eum præceptis de dicendi ratione instrueret, in primis monebat, *ut vitaret obscuritatem Sallustii & audaciam in translationibus*, ut auctor est Suetonius. Talis Græcæ linguæ idiotismus est in illo: *Non me latet*. *quia scilicet Græcum* λανθάνω cum Accusativo construitur, cum Latinum *Latet* non magis accusativum externum quam *Patet* regere possit. Eodem ergo modo *Latet mihi*, quo *Patet mihi* Latino more dicitur, velut in Grammaticæ nostræ præfatione copiosius demonstratum est. Itaque miror cum alios homines literatissimos, tum ipsum etiam Muretum peregrinitate ista Orationem suam inquinare non dubitasse, quam præsertim Ratio palam aspernaretur; qua viros doctos velut obrussa uti monet Cicero, ad expurgandam corruptam loquendi consuetudinem. Aliter enim *eccozelia* reprehensio evitari non potest, quæ est mala affectatio, cum scilicet ingenium, judicio *caret*, *& specie boni fallitur*, *omnium in eloquentia vitiorum pessimum*, ait Fabius lib. 8. cap. 3. Nimirum quia magna est Græcæ linguæ elegantia, continuo Latinis verbis Græco more uti, laudem habebit. Dicamus igitur cum Vitruvio, *Nummus ex auri*, & *Poculum ex ligni*, & *Studium in juris*, pro ex auro, ex ligno, in jure: quoniam ævi Augustæi scriptori sic Græcissare visum est. At enim fuit ille stolidè in eo κακόζηλος, & Ciceroniana illa obrussa seu lapide Lydio ad exigendam sermonis consuetudinem uti neglexit; quemadmodum & Varro in usu verbi *Latet*. Nullo genere minor est Taciti cacozelia in principio Histor. lib. 5. cum sic scribit: *Titus ut superior sui jam crederetur, decorum se, promtumque in armis ostendebat*. Græco enim more *superior sui* dixit, pro *superior se*, quod non animadvertens Lipsius fecit, quod Critici-

cis solemne est, ut, quæ non intelligunt, correctum eant. Ridicule ergo emendare conatus est: *Ut super fortunam crederetur*. Si porro Rationem consulamus, absurdè fieri comperiemus ab eo, qui Græcorum more *Superior illius* dicere audet. nam in Græco subauditur propositio πρὸ vel πρὸς, a qua Genitivus regitur: sed in Latino supprimitur *Præ*, quæ semper Ablativum adsciscit. Græce igitur per regularem syntaxin dicitur: Μείζων πρὸς τούτων ἡ ἀγάπη, figurate vero & usitate per ellipsin. Μείζων, τούτων: sed Latine secundum regulas: *Major præ his caritas*, per figuram: *Major his*. Si dicas *Major horum*, Græcissas quidem, sed es κακόζηλος, nec ratione, aut judicio satis uteris. Multo tamen minus tolerandi sunt, qui linguarum hodiè usitatarum idiotismos Latinæ Orationi inserunt, velut doctissimus Jesuita Johannes Mariana fecit in isto: *Rex sumtus istos excusare debet*, pro compendifacere, ponere ad compendium, sumptibus supersedere; quia Hispanico idiotismo dicitur: *Escusar los gastos*. Ita Lipsius: *Orientales Imperatores in specie, gestu & cultu magis curiosi aut affectati*; pro, ista talia magis aucupantur, venantur, nimio studio persequuntur, sunt putidi & nimii in talibus, quia scilicet Italorum idiotismus fert: *E troppo affettato in questo*. Ita Thuanus: *Rex Episcopum aliquando deponere potest*, pro Episcopatu abigere, exuere, movere, removere, dimovere, depellere, detrudere, dejicere, abire cogere, aut Episcopatum alicui abolere, vel abrogare. Ejusdem est: *Viginti ad minus dies*. quia scilicet Galli dicunt *Au moins*, Itali *Almeno ò manco*, Hispani *A lo menos*, quod Latinis est, minimum, saltem, dumtaxat, quod minimum est. Sic *Fidem dare alicui*, pro credere, sunt qui usurpent, vernaculæ linguæ idiotismo decepti, cum Latinè significet Promittere alicui. Nempe cum *fidem tibi dedi*, id est, promisi, ac velut fidem meam apud te deposui, tu mihi fidem habes, sive, est mihi apud te fides, hoc est, tu mihi credis: pro quo novè ac barbarè Ausonius, Manutius, Burdoscaliger, multique alii dicunt: *Tu mihi fidem adhibes*. cum, Adhibere fidem, sit, Afferre fidem ad rem aliquam, uti fide, sicut *adhibere diligentiam*. Lucretius novè dixit: *Fidem dare* pro persuadere, facere ut res

habeat

habeat fidem, sive credatur. Lib. 5. *Dictis dabit ipsa fidem res Forsitan*, quod statim sic interpretatur: *Hoc ratio potius, quam res persuadeat ipsa*. Sed & *Fidem habere*, aliàs credere, alias credi, seu credibile esse, significat.

(*f*) Vitia sermonis homini Romano ingenuo seu nobili turpia sunt, cum *Vilitas*, seu Catoniano vocabulo *Plebitatem* dicere malumus, tum Κοινισμός, seu *Confusio*, quæ utraque Adiaphoriæ subjiciuntur, & Dilectui, sive Elegantiæ aut Electioni adversantur. Adiaphorus enim sive Indifferens, nullo discrimine, sive Dilectu utitur in verborum usu, nec vel sordes sermonis, seu vilitatem, vel inæqualitatem effugere, curæ habet. *Vilitas* cujusmodi sit, ex *Honestate*, quæ illi virtus contrario nomine opponitur, perfacilè intelligetur. Est autem honestas, sive Dilectus, sermonis virtus inter varia, seu vocabula, seu loquendi genera eligens id, quod minus humile seu Plebejum videtur. Hinc *Lecta* dicuntur, quæ homo nobilis Linguæ peritus usurpare mavult, quam alia, etsi eandem sententiam non minus aliis exprimere posset. Eliguntur vero vel significationis, vel usus ratione. *Significationis* ràtione vir honestus ea, præfert, quæ rem minus honestam circuitione aliqua non directè aut proximè, sive ἀμέσως, aut immediatè significant. Ita Cicero, *Detractionem confecti consumtique cibi*, *Reliquias cibi depellere*. Sallustius, *proficisci ad requisita natura*; Lucilius, *Eluviem per ventrem facere*; Virgilius, *Genitale arvum*, Seneca, *Irritationem humoris obscœni*. *Corpora nostra ad egestum venter exhaurit*, *Medicus reliquias*, & *effusa ægrorum intueri non dedignatur*, & alia eodem modo dixerunt, nullo pudoris impendio. Sic Donatus à Terentio honestè dictum monet, *Cum amica se oblectare*, pro rem habere; quale etiam est, *cum aliqua consuescere*. Ratione *Usus* honestæ & Lectæ voces aliæ grandiores sunt & sonantiores, aliæ nitidiores, aliæ usitatiores. *Grandiores* sunt Superlatæ seu Superlativæ, præsertimque in numero multitudinis: tum à Verbis deductæ, ut *Dominatrix*, pro Domina, *Regnatricem domum*, pro Regiam, *Regnatorem Asia*, pro Regem, *Ductores Danaum*, pro Duces: Similiter Compositæ, ut: *Conscelaratissimus*, *Constuprare*, *Excruciare*, *Pernoscere*,

Præ-

Præpotens, *Pertimesco*, *Perturbatus*: præterea polysyllabæ seu plurium syllabarum, ut *Tempestas*, pro Tempus, Immanis & *Immensus* pro magnus, *Confligere* pro pugnare, *Trucidare* pro necare, *Impuratus* pro Impurus, *Perduelles* pro hostes: Macrosyllabæ denique seu longarum syllabarum voces magis aures implent, ut *Princeps* quam Primus, *Ferratus* quam Ferreus. Nitidiora censentur, *Materia*, quam Lignum, *Custodia*, quam Carcer, *Sorex*, quam mus, *Boves*, quam Vaccas, *Sæpenumero*, quam plebejum, ac sordidum, *Multoties*, quo una Livii Epitome utitur, *Nusquam*, quam πτωχικὸν ϗ καπηλικὸν illud *nullibi*, quod semel tantum in plebejo scriptore Vitruvio inventum Basilius Zanchus annotarat, ejusque me Franciscus Barberinus Cardinalis commonuit. Sic *Sculna* minus nitidum atque adeo sordidum est vocabulum; *Sequester* vero honestum atque elegans, etsi utrumque à sequendo factum sit; quod ejus, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. nec tamen Varro sordido illo uti dubitavit, quoniam *Elegantia* ei deerat, nec vulgo usitata, ac plebeja illi sordebant; id quod P. Lavinius in Libro de verbis sordidis annotaverat; ubi etiam perspicuè docet, **Elegantiam** sermonis in vitandis sordidis ac vulgaribus verbis spectari; quemadmodum apud Agellium lib. 20. cap. 11. videre est, qui tamen alucinatur in eo, quod *Sequestro* Adverbium esse censet, quod nomen est in *dandi* casu. Plaut. Mercat. *Immo sequestro mihi data est*. Fraudi scilicet fuit Agellio, quod *Sequester* secunda & tertia declinatione dici solitum, non animadvertit. Sic *Cacumen montis* honesto homine dignius est, quam quod vulgo usurpari solitum ait Charisius, *Cyma* seu *Cuma*; & *Asilus* vel *Oestrus* honestius dicitur, quam *Tabanus*. nam hoc plebejum esse vocabulum Servius testatur, meritoque adeo urbani homines id rusticis relinquunt. Servius honestam locutionem esse monet *Inter cœnam*, pro per cœnam. Et Donatus in illud Terentii Phorm. act. 2. sc. 1. *Si est ut culpam ille in se admiserit, non causam dico, quin quod meritus sit, ferat*. Sic annotat: *Honesta locutio*, *Si est ut admiserit*, *pro si admisit*. Usitatiora sunt, quæ aliter Grammatici *Idiomata Linguæ Latinæ* vocant, quorum plurima in Plauto & Terentio inveniuntur, ver. gr.


Phorm.

Phorm. act. 2. sc. 1. *Verum si cognata est maximè, non fuit necesse habere: sed, id quod lex jubet, dotem daretis.* Ubi Donatus: *Per Idiotismum addit* Maximè. *non enim recipit magis aut minus, nec dicitur* maxime cognata, & cognata minime: *sed aut est, aut non est*. Est autem illud quoque Idiomatis Latini, *id quod*, pro Quod. quo Virgilius quoque utitur: *Verum id quod multo tute ipse fatebere majus*. Sic ἰδιωτικῶς dictum notat idem Donatus: *Ut cum matre sua una plus esset*. pro diu ac majorem partem, Et *Excoctam reddam*, pro faciam. Et *hic mihi gloriatur*. pro hic gloriatur. *Quid ait nobis Sannio*, pro quid ait Sannio. Usitatioribus porro adversantur, quæ sunt, Singularia, hoc est, quibus unus aliquis præter aliorum consuetudinem utitur; quale est Sallustianum illud, *Libidinem in canibus habere*, pro in canibus se oblectare: Cui geminum germanum hoc alterum ejusdem, *Bona mihi libido est gratificandi vobis*, pro libet mihi gratificari vobis. Cæterum omnes id genus Sallustii, Varronis & Taciti ineptiæ, peculiare sibi volumen postulant.


(*g*) Κοινισμὸν sic nobis Quintilianus describit lib. 8. cap. 3. Κοινισμὸς *appellatur quædam mista ex varia ratione linguarum oratio, ut si Atticis Dorica, Ionica, Æolica etiam dicta confundas. Cui simile vitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, vetera novis, poetica vulgaribus misceat. Id enim tale est monstrum, quale Horatius fingit*, Humano capiti cervicem pictor equinam Jungere si velit, *& cætera ex diversis naturis subjiciat*. Hoc quoque vitium in illis est, qui nullo discrimine verba scriptorum ætate & genere dissimillimorum usurpant, ut oratio eorum sit velut discolor vestis & multiformis, homine potius servo, vel certè ætatis ejus, quæ decentius lasciviat, quàm viro nobili gravique digna. Ab hoc vitio non satis Politianus caverat, etsi id eum ingentibus aliis virtutibus redimere fatendum est. Transalpini homines id ultro etiam affectant, adeoque non tam judicii, & elegantiæ, quam variæ eruditionis laudem ferunt; etsi ex Gallis, *Lambinus*, *Muretus*, *Regius*, *Hotomanus*; ex Germanis, *Rudolphus Agricola*, *Johannes Rivius*, *Anton. Schorus*, *Franciscus Fabricius Marcoduranus*; ex Britannis, *S. Thomas Morus*, *Reginaldus Polus*, *Thomas Linacer*, & pro-


pter hæresin atque improbitatem non nisi cum venia memorandus *Georgius Buchananus*, non minorem cultissimæ, decentissimæque orationis commendationem habent, quam *Sebastianus Corradus*, *Franciscus Robortellus*, *Petrus Victorius*, *Carolus Sigonius*, *Paulus Manutius*, *Horatius Tursellinus*, & alii, quos magno numero Italia produxit Eloquentiæ Latinæ fama illustres; etsi eorum nemo est, cui idem, quod *Buchanano* contigerit, ut in quovis carminum genere summam obtineret: cujus quidem rei laude omnem etiam antiquitatem *Buchananus* provocat; ut tanta illa ingenii, vere unici & incomparabilis, ornamenta ad impietatem conversa fuisse, vehementer non ipsius magis, quàm Reipublicæ causa dolendum sit.

De Virtutibus Orationis Latinæ.



B. Roma-





Elocutionis genera tria { *Sublime grãde, ãplum, vehemens, copiosũ, & grave.* C
Humile, tenue, subtile, acutum.
Medium, interjectum, mediocre, temperatum.

EXPLANATIO.

(*a*) Virtutes Elocutionis, seu dictionis aut stili, naturales sunt, quæ naturæ potius beneficio contingunt, quam disciplina aut studio parantur: adeoque fieri potest, ut oratio alicujus, etsi minus pura, nec satis elegans aut ornata, aut copiosa, sit nihilominus acuta & venusta, libenterque legatur: & rursum alterius oratio sit emendata, elegans, æquabilis, ornata & copiosa, sed sit hebes & obtusa, nec ullo venustatis lenocinio lectori commendetur. Hujus exemplum in Paulo Manutio habemus, illius in Politiani; etsi apud hunc minime desunt multa lectissima verba ac phrases, & Compositionem nec Tulliani aspernentur.

(*b*) Supra ex Cicerone didicimus, quasdam orationis virtutes esse, quæ cuivis ingenuo civi Romano, quas-

dam quæ Oratori ſint neceſſariæ : Illius generis eſſe *emendatam* & *Latinam orationem* , hoc eſt Puritatem & elegantiam ; hujus vero eſſe *Ornatum* & *Copiam* . Et *Puritas* quidem ea excludit vitia , quæ vel arti ac doctrinæ puerili adverſantur , ut ſunt Barbariſmus & Solœciſmus , vel cum pura & emendata bene loquentium conſuetudine non congruunt ; ut ſunt cum obſoleta ac judicio repudiata , tum nova & nondum Romæ audita , tum denique exotica ac peregrina , ſive Idiotiſmi . Elegantia idem ſignificat quod Eligentia ſive Electio (nam veteres ut *Dicere* & *dicare* , *Lavere* & *Lavare* , ſimiliter & *Ligare* & *Legare* dicebant , unde *Eligans* , & poſtea elegans) eſtque virtus eligens inter alia ejuſdem poteſtatis verba , quæ honeſtiora , nitidiora , & uſitatiora videntur : de quibus ſupra Tabula prima litera Q , ſatis diximus . Æquè autem & κοινισμῷ hominem ingenuum ac nobilem vacuum eſſe, & orationem æquabilem uniuſque coloris habere convenit propter eam , quam eadem Tabula litera R , expoſui cauſam . *Ornatus* alius in orationis materia conſiſtit , alius in Forma . In materia , hoc eſt , in Verbis loquendique generibus , *Tropus* & *Figura* (de quibus infra Tab. XII. XIII. & XIV.) & *Amplificatio* , quam tamen Figuræ ſpeciem facere ſolent , de qua infra Tab. XVI. explicabimus : In forma ſive compoſitione verborum eſt *Collocatio* , *Junctura* & *Numerus oratorius* , de quibus agemus Tab. XVI. Copiam oratori ſimiliter neceſſariam eſſe , nemo paulum modo humanior dubitaverit , cum orationem , quantumvis puram & ornatam , auditori ſatietatem ac faſtidium afferre oporteat , niſi jucunda verborum varietate ſubinde ſit diſtincta . Ei autem , cui tædio ſit ac moleſtiæ , non æque Orator perſuaſerit , ac ſi ſatietati ejus occurrat , animumque non minus varietate & copia , quam ornamentis verborum permulceat .

(c) Tria ſunt dicendi ſive artificioſæ elocutionis genera ; quorum aliud alia Cauſa , alia orationis pars , alia denique cum dicentis , tum audientis perſona poſtulat . Ejus autem rei hæc eſt oratio , quoniam orationis officia ſunt docere , conciliare & movere : ad docendum verò accommodatum eſt genus dicendi ſubtile, acutum ,

tenue ,

tenue, humile; quod scilicet contentum sit perspicuitate, puritate, dilectu, æquabilitate & modico troporum ac figurarum ornatu, minusque sit de periodis ac numeris solicitum. Ad conciliandum, genus temperatum & mediocre, in quo nulla non orationis virtus locum habeat, nisi quod patheticis illis figuris minus utitur, quibus audientium animi vehementius impelluntur. Ad movendum denique genus illud sublime, grande, amplum & vehemens, in quo cum reliquorum omnium ornamentorum usus sit, tum vel præcipue figurarum illarum, quibus, quocumque orator velit, audientium animi impelli possint. Atque hinc judicare facile est, quod horum generum cui orationis parti maxime conveniat. Diximus enim proxima tabula Exordium præcipue hoc agere, ut auditor *concilietur*; Tractationem, ut *doceatur*; Epilogum, ut *moveatur*. Illud ergo dicendi genus in quaque parte adhibendum erit, cujus opera, quod quæque habet propositum, effici posse jam didicimus.

Modus de Scriptorum Stylo judicandi.

Ut corpus humanum laudari queat, primum omnium retectum, non velatum sit necesse est; deinde, ut careat nævis, maculis, & sordibus: postremo ut sit pulchrum, id est, jucundo colore, qui ex rubro & albo temperatus sit, tum membrorum symmetria & proportione præditum; præterea vero *εὐσαρκον* carnosum, corpulentum, sive succi plenum, non exile vel attenuatum. Similiter in Elocutione Rhetorica primum requiritur, ut oratio sit perspicua, non obscura: tum ut sit pura, emendata seu Latina, hoc est, barbarismis, solœcismis, archaismis, neoterismis & aliarum linguarum idiotismis careat: postremo ut sit pulchra, sive bene temperati coloris & justæ Symmetriæ ac proportionis, nec nimis attenuata. Color albus est Elegantia, ubi nempe verba sunt Lecta, quæ linguæ peritus ex multis ejusdem potestatis eligeret. Ruber verò est Ornatus, cum oratio Tropis & Figuris illustratur. Τὸ εὐσαρκον sive corpulentia, vel Carnositas est Amplificatio.

catio. Proportionis rationem habet compositio, cujus partes sunt Collocatio, Junctura, & numerus oratorius. Qui ergo de scriptoris cujuspiam stylo judicium facere volet, is sibi ad duas Naturales, & decem Artificiosas Elocutionis virtutes respiciendum esse meminerit. Exempli causa in *Justi Lipsii* stylo, scriptoris aetate nostra clarissimi, istae apparent dotes: Acumen, Venustas, Dilectus, Ornatus vel nimius, cum vix quicquam proprie dictum ei placeat, tum schemata nullo numero, tandem verborum copia: desunt autem Perspicuitas, Puritas, Aequabilitas, Collocatio, Junctura & Numerus oratorius. Itaque oratio ejus obscura est, non paucis barbarismis & soloecismis, plurimis vero archaismis, & idiotismis, innumeris etiam neoterismis inquinata; comprehensio obscura, compositio fracta & in particulas concisa, vocum similium aut ambiguarum puerilis captatio. Similiter & *Johannis Barclaii* dictio (ejus qui hodie quoddam quasi juventutis cymbalum est) arguto & venusto hominis ingenio plus, quam Latinitatis genere commendatur. Ut enim de Obscuritate dicere praetermittam, in quam saepius eum necesse fuit incidere, qui nec majorum gentium auctores studiose volutasset, & quomodo alius nemo, dicere averet, nec Barbarismi & Soloecismi apud eum non inveniuntur; *νεωτερισμῶν* vero iniri vix potest numerus, quos ipse calori indulgens, ac nec suae nec amicorum limae patiens, se solo auctore invexit. quo magis autem dulcibus vitiis cum ipse, tum non nemo ejus similis, an simius abundat, & ipso Milesiae scriptionis lenocinio lectorum animis insinuat; hoc magis sibi prudentes ac fidi Rhetoricae doctores providendum meminerint, ne studiosi adolescentes misso veterum cognoscendi imitandique studio, quos aureae Latini sermonis aetate, omnium concessu, optime locutos constat, ad novitios, quodque ipsi, nisi depuduerint, fatebuntur, vere barbaros nostrae memoriae *φλυαρογράφυς* irreparabili temporis jactura adhaerescant. Ad rem vero pertinet, quod expeditissimam habet rationem, magnopere hoc eis instillari, nequaquam satis esse si cujus orationem vel gratia ac lepos, vel acumen & argutia commendent (nam ista, ut monui, natura constant) sed ut ne oleum & operam

ram in Rhetorum ſcholis & Latinæ linguæ ſtudio perdidiſſe judicetur, hæc ei præſtanda fore, ut dictio ſit perſpicua, ſit pura, ſit elegans, ſit æquabilis, ſit ornata, ſit copioſa. Aliter enim evitari non poteſt, quin merito ei vel obſcuritatis, vel impuritatis, ſive ſolœciſmi aut barbariſmi, neoteriſmi aut idiotiſmi, vel Vilitatis, vel κοινισμȣ, vel Incultus, vel denique Jejunitatis aut inopiæ nota inuratur.

FINIS.



VENETIIS, M.DCCXXVII.
Prid. EID. AUGUSTI
Apud LAURENTIUM BASILIUM
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

CATALOGUS LIBRORUM

ALIQUOT GRAMMATICORUM

QUI ANNO, M. DCCXXVII.

APUD LAURENTIUM BASILIUM VENET. Bibliop. reperiuntur.

BOnciarius *Marcus* Grammatica institutio. 8. *Macerata* 1703. & *alibi.*
Corderius *Maturinus* de corrupti sermonis emendatione, & latine loquendi ratione. 8. *Venetiis* 1551.
Cerrius *Antonius* Satyrarum scholiasticarum centur. 2. ad omnigenos auctores. 8. Arimini 1606.
Capharus *Hieronymus* Ciceronianæ Phrases. 8. *Venetiis* 1587.
Cellarius *Christophorus* Orthographia Latina. 8. *Patavii* 1724.
Diomedis de arte Grammatica. *Item Phoca* de nomine, & verbo. *Prisciani* epitoma. *Capri* de Orthographia, & latinitate verborum, *Agretii* de Orthographia, & proprietate, & differentia sermonis. *Donati* de octo partibus orationis. *Servii Honorati*, & *Sergii* in Donatum interpretatio. *fol. Venetiis* 1500.
Despauterius *Johannes* Commentarii Grammatici. 4. *Lugduni* 1582.
Donato Romano *Elio* Grammatica Latina *colla traduzione* del Corradi Monsanpolitano. 8. Roma 1654.
Frischlinus *Nicodemus* Strigilis Grammatica qua Grammatistarum quorundam sordes Arti liberalissimæ adspersæ deterguntur. 8. *Venetiis* 1584.
Goclenius *Rodolphus* Analecta observationum Latinæ linguæ. 8. *Licha* 1598.
Grifoni *Andrea* Specchio della lingua Latina. 8. *Venezia* 1566.
Garcea *Hyacinthus* Ingeniosa Apis. 8. *Neapoli* 1724.
Hadrianus *S. R. E. Cardinalis* de sermone Latino, & modis

modis Latine loquendi. Horatius Tuscanella emaculavit *&c.* 8. *Venetiis* 1572.

Latinus *Franciscus &* Nerius *Nicolaus* Janua Grammaticæ, seu Declinationes Nominum, Conjugationesque verborum expansæ. 8. *Viterbii* 1709.

Limen Grammaticum ovvero principii della Gramatica. 8. *Venezia* 1720.

Manutius *Aldus Pius* Institutionum Grammaticarum lib. quatuor. 8. *Venetiis* 1547.

—— *Aldus junior* Epitome Ortographiæ. 8. *Venetiis* 1575. apud Aldum.

—— —— Eleganze della lingua Latina. 12. *Venezia* 1700.

Murmellius *Joan.* Tabulæ in rudimenta componendorum versuum. 8. *Mediolani* 1553.

Mazzone *Marco Antonio* Oracolo della Lingua Latina 12. *Venezia* 1665.

Oliva *Joannes* de antiqua in Romanis scholis Grammaticorum disciplina dissertatio. 8. *Venetiis* 1718.

Popma *Ausonius* de differentiis verborum cum addit. & notis *Jo. Friderici* Hekelii. Item de usu antiquæ Locutionis. 8. *Neapoli* 1719.

Perottus *Nicolaus* Cornucopia linguæ Latinæ. *fol. Venetiis* 1504. *& apud Aldum* 1527.

—— —— Optima Grammatices rudimenta. 8. *Florentiæ apud juntas* 1572.

Pollux *Julius* Onomasticon seu rerum, & Synonymorum Dictionarium. 4. *Basileæ* 1541.

Principia seu Rudimenta Grammatices. 8. *Sumptibus* Martini endteri.

Prisciani Grammatici libri omnes. 8. *Basileæ* 1568.

Pomei *Franciscus* Flos Latinitatis raccolto da' migliori Autori della lingua Latina. 12. *Treviso* 1720.

—— —— Indice universale *Volgare e Latino*. 12. *Bologna*.

Pharaonius *Franciscus* Institutiones Grammaticæ. 8. *Venetiis* 1622.

Pellissonus *Joannes* Contextus universæ Grammaticæ Despauterianæ brevissimè concinnatus. 8. *Venetiis* 1590.

Prisciancse *Francesco* de' primi principii della lingua Latina

tina, ovvero il Priscianello, e della Lingua Latina libri sei. 8. *Venezia* 1563.

Quinctianus Stoa *Jo. Franciscus* de syllabarum quantitate epographiæ sex. 8. *Venetiis* 1531.

Ricciolius *Jo. Baptista* Prosodia Bononiensis reformata 12. *Patavii* 1721.

Regius *Bartholomæus* Dialecti Fori hoc est, vocabula, & formulæ Forenses, Militares, Rusticæ e priscorum hominum, Ciceronis præcipuè, monumentis descriptæ, & italicæ redditæ. 8. *Papiæ* 1608.

Racani *Giovambatista* Navicella Grammaticale. 8. *Venezia* 1665.

Rocca *Angelo* Osservazioni intorno alle bellezze della lingua Latina. 8. *Venezia* 1576. *Aldo*.

Scioppius *Gaspar* Minerva Sanctiana; hoc est *Francisci* Sanctii de causis linguæ Latinæ commentarius cum observationibus Scioppianis. 8. *Patavii* 1663.

Sicinianensis *Jo. Stephanus* Compendium regularum ad elegantiam Latini sermonis comparandam. 8. *Venetiis* 1586.

Sidicinus *Al. Ant. Sompanus* totius ferè rei Grammaticæ epitome. 8. *Venetiis* 1667.

Schorus *Anthonius* Phrases ex omnibus Ciceronis operibus excerptæ. 8. *Colon. Agripp.* 1604.

Smetius *Henricus* Prosodia in novam formam digesta. 8. *Venetiis* 1657.

Stevvechius *Godescalchus* de Particulis linguæ Latinæ. 8. *Colon. Agripp.* 1580.

Toscanella *Orazio* Institutioni Gramaticali volgari, e Latine. 8. *Venetia* 1610. 1615.

Tondelli *Francesco Onorato* Donato di nuovo emendato nel volgarizzamento colla giunta d'alcuni avvisi per la Gramatica volgare accomodati alla capacità de principianti per ripurgarli dallo scorretto scrivere, e parlar Toscano. 8. *Venezia* 1716.

Tursellinus *Horatius* de Particulis Latinæ orationis ad usum seminarii Patavini *edente Jacobo Facciolato* 12. *Patavii* 1719. & *Venetiis* 1720.

——— cum addit. *Jacobi* Thomasii, & *Conradi* Schvvartz. 12. 2. *vol. Patavii* 1715.

Vorstius *Johannes* de Latinitate falso suspecta, deque Lati-

Latinæ linguæ cum Germanica convenientia . *Item* de Latinitate merito ſuſpecta . 8. *Lipſiæ* 1722.

Valla *Laurentius* Elegantiæ linguæ Latinæ . *fol. Venetiis* 1488.

Verrepæus *Simon* Epitomes Grammaticæ Deſpauterianæ 8. *Ingolſtadii* 1600.

Zampanelli *Marino* Nuovi lumi Grammaticali . 8. *Macerata* 1692.

